
3 1761 07444646 9

Conspectus

Juris Publici

Regni Hungariae


ad Annum 1848.

Historicis Animadversionibus Illustratus

per

Comitem Antonium Moysem Cziráky.





TOMUS I.

Sit mihi fas
Pandere res alta terra, et calligine mersas.

Virgilius.

VIENNAE, 1851.
Typis Joannis B. Wallishausser.

Ut ex nimia potentia Principum oritur interitus Principum, sic hunc nimis liberum Populum libertas ipsa servitute afficit. Sic omnia nimia cum vel in tempestate, vel in agris, vel in corporibus laetiora fuerunt, in contrarium fere convertuntur. Maximeque in rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis, et privatis in nimiam servitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate tirannis gignitur, et illa injustissima, atque durissima servitus.

Cicero de Republ. edit. Maj. p. ***111*** *et seqq.*

Aequo Lectori Salutem!

Regio mandato obsecutus, bene multos ante annos Opus conscripsi, Doctrinam Juris publici Regni Hungariae complectens, quod tametsi nuspiam reprobatum foret, subinde tamen variis de causis haud amplius vulgare decreveram. Cedo nunc sollicitantium — inquam — urgentium votis, atque illud propter patulam rerum conversionem magis in historicam formam redactum, et ad postrema nobis hucdum legalia Comitia deductum, illam utcunque ob rationem scriniis meis excidere sino, ut qui a Scriptoribus odium aequitatis amori, veritati commenta praeferentibus per subrostranas vel maxime ephemeridum fabulas in errorem inducti de veteribus institutis nostris nimium injuriose sentiunt, limpidius videre valeant, ac vera a falsis discernere; nec deinceps existiment, permulta, quae legum devia interpretatione, arbitrio, licentia, ignavia, aut parum provida indulgentia — iliacos intra muros peccando et extra — in Regni, municipiorumque conventus, in politica, et judiciaria collegia, verbo in publicam rem nostram pedetentim irrepserunt constitutioni avitae manifeste adversa, hac ipsa suffragante, hac viam praemonstrante locum reperisse.

Erunt, neque fors pauci numero, quibus laborem serotinum superflue suscepisse videbor; latium aliis idioma non arridebit: verum illos advertere cupio, eruditum imo studiis bonarum artium vel mediocriter deditum non facile enarrationem memorabilium quomodocunque praeteritorum quasi inutilem consideraturum: Isti vero ante omnia observent quaeso, quod haec elucubratio, dum a primordiis suis ad cal-

cem usque conficeret, pro publicis praelectionibus latine decurrentibus concinnata fuerit; meminerint porro fontes, subsidia, fundamenta, quae huc faciunt, caetera, ipsas adeo leges, si novissimas demas, universas hac lingva prostare, eandem autem viris litteratis, certe solida, ac mascula juris scientia excultis, cujuscujus nationis sint, sic incognitam vix esse posse, ut Opus pervolvere volentibus non aeque ancilletur.

Intelligant denique: me pene octuagenarium magnis passibus ad tumbam properare; itaque si versioni in quamcunque aliam conatus meos impenderem, plane verendum erat, ne illos postrema vitae meae dies nondum consumatos abrumpat.

Synopsis.

Introductio.

§. I.

Jus Hungariae publicum est, et privatum.

§. II.

Illud internum et externum.

§. III.

Juris Publici objecta.

§. IV.

Hungaria propriis semper gaudebat legibus.

§. V.

Quid Regni Constitutio?

§. VI.

Quid Forma Gubernationis?

§. VII.

Incunabula Civitatis Hungaricae,

§. VIII.

Et initia Constitutionis,

§. IX.

Sub Arpado,

§. X.

Non primum cum Regia dignitate exorta.

§. XI.

Memorantur Argumenta in contrarium.

§. XII.

Jurisprudentiae publicae Notio,

§. XIII.

Ejus utilitas, et praestantia,

§. XIV.

Differentia a Scientiis affinibus.

§. XV.

Principia Juris Publici sunt propria et communia;

§. XVI.

Ad illa referuntur: A) Leges fundamentales.

§. XVII.

1. Bulla Aurea.

§. XVIII.

Quod contra quam adversarii statunnt,

§. XIX

Est Decretum Comitiale,

§. XX.

Ut tenor ipse ostendit.

§. XXI.

Non injusta vi extortum,

§. XXII.

Sed genuinum,

§. XXIII.

Regem ad impossibilia non obligat.

§. XXIV.

2. Diploma Inaugurale.

§. XXV.

3. Pacificatio Viennensis, et Lincensis cum Articulo 26. et 27 Anni 1791.

§. XXVI.

4. Articuli 1. 2. et 3. 1723.

§. XXVII.

5. Item nonnulli Comitiorum Anni 1791.

§. XXVIII.

Utrum Titulus 9. Partis I. sit lex fundamentalis?

§. XXIX.

B) Leges publicae civiles.

§. XXX.

C) Opus Tripartitum Stephani de Verböcz.

§. XXXI.

D) Statuta et Privilegia.

§. XXXII.

E) Pactorum, et Foederum Tabulae.

§. XXXIII.

F) Constitutiones Regiae Argumenti singularis.

§. XXXIV.

G) Observantia Regni,

§. XXXV.

Non item Analogia.

§. XXXVI.

Fontibus Communibus Jus Publicum Universale,

§. XXXVII.

Non sine temperamento applicandum,

§. XXXVIII.
Gentium.
§. XXXIX.
Et Canonicum accensentur.
§. XL.
Historia,
§. XLI.
Antiquitatis Studium,
§. XLII.
Juris Patrii partes reliquae,
§. XLIII.
Principia Juris Feudalis,
§. XLIV.
Historia Juris Hungariae,
§. XLV.
Ac Litteraria,
§. XLVI.
Lingvarum denique cognitio,
§. XLVII.
Et Philosophia justi adminicula constituunt.
§. XLVIII.
Quid in his vitandum?
§. XLIX.
Animadversio.
§. L.
Methodus.
§. LI.
Partitio.

Liber I. *De Territorio Hungariae.*

Caput I. De Territorio Metropolitano.

§. 1.
Quid Territorium?
§. 2.
Varii ejus obtutus.
§. 3.
Limites Regni Hungariae primaevis saeculis.
§. 4.
Limites Hungariae hodierni.
§. 5.
Ejus Provinciae, partesque adnexae.

Caput II. De Territorio accessorio.

§. 6.
Sclavonia orientalis,
§. 7.
Utut Juris ab olim Hungarici,
§. 8.
In titulis Regum ante Mathiam haud visitur.
§. 9.
Croatia
§. 10.
Sub Colomanno
§. 11.
Certis sub Conditionibus,
§. 12.
Prouti et Dalmatia Provinciae adnexae evaserunt.
§. 13.
Veteres Croatiae et Dalmatiae Limites.
§. 14.
Rama
§. 15.
Jure clientelari
§. 16.
Hungariae subjecta,
§. 17.
Servia item
§. 18.
Sub Geisa acquisita.
§. 19.
Bulgaria
§. 20.
Valachia cum Moldavia
§. 21.
Eodem titulo,
§. 22.
Quod ultra probatur,
§. 23.
Pariter ac Galicia cum Lodomeria,
§. 24.
Quae armis occupata primum,
§. 25.
Deinceps nexu clientelari,
§. 26.
Regi Hungariae, qua tali, suberant.
§. 27.
Argumenta Gustermanni

§. 28.
In Contrarium
§. 29.
Refelluntur.
§. 30.
Continuatio.
§. 31.
Vetusta Galiciae Administrationis forma.
§. 32.
Transilvania pars integrans Hungariae,
§. 33.
Dein a propriis Principibus gubernata,
§. 34.
Sub Leopoldo I.
§. 35.
Ad Hungariae Coronam reapplicita,
§. 36.
Hoc titulo
§. 37.
A Regibus Hungariae possidetur.
§. 38.
Littorale Hungaricum
§. 39.
Non est Provincia separata,
§. 40.
Quod situs ejusdem ostendit.

Caput III. De Jure Finium, et activis Regni Praetensionibus.

§. 41.
Activae Coronae Praetensiones
§. 42.
E Generalibus,
§. 43.
De Jure finium Principiis,
§. 44.
Hungariae adplicitis cognoscendae sunt,
§. 45.
Quae praetensionibus
§. 46.
Nec quidem in Galiciam, et Lodomeriam.
§. 47.
Haud unquam renunciavit.
§. 48.
Observatio.

Caput IV. De Divisione Hungariae.

§. 49.
Hungariae Divisiones variae:
§. 50.
Praecipua in Comitatus,
§. 51.
Originis perantiquae;
§. 52.
Numerus Comitatuum olim.
§. 53.
Divisio Sclavoniae, et Croatiae.

Liber II. *De Imperante.*

Caput I. De modo habendi summum Imperium in Hungaria.

§. 54.
Civile Imperium suis in primordiis
§. 55.
Stirpi Arpadianae obtigit,
§. 56.
Nullo Successionis ordine praestabilito.
§. 57.
Unde quaedam electionis Species
§. 58.
Ad regiam stirpem restricta,
§. 59.
Quamdiu exstiterat, usu veniebat.
§. 60.
Periodo Regum altera
§. 61.
Andegavensium Familia
§. 62.
Regnum pari ratione obtinuit.
§. 63.
Sigismundus, et Albertus,
§. 64.
Horumque Successores ex consensu Ordinum regnarunt
§. 65.
Initia nexus Hungariae
§. 66.
Cum Serenissima Domo Austriaca.
§. 67.
Regulatam antiquitus Successionem

§. 68.
Nec pacta primaeva complectuntur,
§. 69.
Nec Diplomata Principum nostrorum,
§. 70.
Neque leges, ususque demonstrant.
§. 71.
Regii sanguinis respectum tamen
§. 72.
Exempla ex Historia petita,
§. 73.
Legesque aperte evincunt
§. 74.
Cum Jure praeelectionis usque Josephum I.
§. 75.
Cujus incommoda
§. 76.
Sub Leopoldo I.
§. 77.
Et Carolo III. sublata.
§. 78.
Hodiernus ordo Successionis haereditariae.
§. 79.
Notatur Jordan.
§. 80.
Consectaria praemissorum.

Caput II. De Regia Coronatione in Hungaria.

§. 81.
Regia Coronatio
§. 82.
Sub S. Stephano introducta,
§. 83.
Citra dubitationem,
§. 84.
Contra quam Gustermann
§. 85
Erronee asserit,
§. 86.
Consuetudine haud interrupta,
§. 87.
A Successoribus continuata fuit,
§. 88.
Ut Historia, fidesque Diplomatum ostendit.

§. 89.
Quae legibus fundamentalibus,
§. 90.
In specie Inaugurali Diplomate,
§. 91.
Novissime clarius adhuc praescripta,
§. 92.
Fundamentum attamen apprehendendi Imperii non constituit.
§. 93.
Num per solennia Inauguralia Regiae Potestati quidquam accedat?
§. 94.
Ad Coronationem legitimam
§. 95.
Regni Corona semper requirebatur.
§. 96.
Neque levi de causa.
§. 97.
Essentiales Iaugurationis Partes sunt:
§. 98.
I. Diploma Inaugurale
§. 99.
Vetustae Originis,
§. 100.
Quod exemplis Andreae III., ac Ladislai I.
§. 101.
Ferdinandi item I. confirmatur,
§. 102.
A Mathiae II. temporibus praecedit Coronationem.
§. 103.
Quibus hodie constet articulis?
§. 104.
An nova Capitulatio amplius,
§. 105.
Aut quaedam mutatio locum habeat?
§. 106.
II. Ritus Inaugurationis Regiae,
§. 107.
Ordoque Ceremoniarum
§. 108.
Continuatur.
§. 109.
Jus Regem coronandi cui competat?
§. 110.
III. Regis Jusjurandum,

§. 111.
Cujus Origo
§. 112.
Omnino antiqua,
§. 113.
A Statibus quoque aliquando praestitum.
§. 114.
Locus Inaugurationis.
§. 115.
Inauguratio Reginae
§. 116.
A quo peragenda?
§. 117.
Honorarium offerri solitum.

Caput III. De Ornamentis Regalibus.

§. 118.
Huc pertinet Diadema Regium,
§. 119.
Quo divus Protorex redimitus fuit.
§. 120.
Binae objectiones diluuntur.
§. 121.
Deinde Sceptrum cum reliquis Cleuodiis,
§. 122.
Crux Apostolica.

Caput IV. De Regina Hungariae.

§. 123.
De qua hic sermo est,
§. 124.
Ejusdemque dignitate,
§. 125.
Ac Bonis olim Reginalibus
§. 126.
Ad Reginatum, vel jus privatum spectantibus.
§. 127.
Dos Reginarum hodierna,
§. 128.
Aulae Reginalis splendor.

Caput V. De Liberis Regiis.

§. 129.
Eorum Titulus,
§. 130.
De Ducibus olim Familiae regnatricis.
§. 131.
De Rege Juniore.

Caput VI. De Administratione Regni Rege minorenni

§. 132.
Tutela Regis minorennis
§. 133.
Primis Regni Saeculis nuspiam definita,
§. 134.
Ast Mathiae I. tempore Palatino delata,
§. 135.
In usum hactenus non venit,
§. 136.
Quod exemplum proximum docet.
§. 137.
Quid modernae constitutionis ratio svadere videatur?
§. 138.
Nullo Regni detrimento
§. 139.
Modo consentientibus Regni Ordinibus fiat,
§. 140.
Tutela haec Regis quando desinat?

Caput VII. De Corregente Regio.

§. 141.
Corregentes
§. 142.
Primorum Saeculorum.
§. 143.
Exemplum Corregentiae recentioris.
§. 144.
Certis sub Conditionibus.
§. 145.
An Corregentis assumtio
§. 146.
Sit negotium diaetale?

Caput VIII. De modis, quibus Imperium civile desinit.

§. 147.
Voluntaria Regni abdicatio,
§. 148.
Non vero coactiva locum habet,
§. 149.
Neque aegritudo amissionem Principatus involvit.

Liber III. *De Incolis Regni.*

Caput I. De Statibus et Ordinibus, Regni generatim.

§. 150.
Incolarum diversitas.
§ 151.
Ex obtutu Juris publici.
§. 152.
Ordo Statuum quotuplex?
§. 153.
Exordia Nobilitatis Hungariae,
§. 154.
Caeterarumque Classium;
§ 155.
Origo Conditionariorum,
§. 156.
Optimatum, et Equestris Ordinis;
§. 157.
Dein Praelatorum.
§. 158.
Ac tandem Liberarum, Regiarum Civitatum,
§. 159.
Quae e liberis potissimum Villis enatae
§. 160.
Nonnisi serius in communionem Regni Statuum venerunt.
§. 161.
Quorum omnium una, eademque erat Nobilitas,
§. 162.
Nequaquam a systemate feudali repetenda.
§. 163.
Haec primitus Populum ipsum constituerat,
§. 164.
Modus perveniendi ad qualitatem Status Regni.
§. 165.
A Regia Majestate proficiscitur,

§. 166.
Quod ultra illustratur,
§. 167.
Cui universi fidelitatis homagio obstringuntur.

Caput II. De Juribus, et Praerogativis Nobilitaribus.

§. 168.
Quid nomine Praerogativarum Nobilitarium venit?
§. 169
Ex his cardinales,
§. 170.
Sensu genuino
§. 171.
Accipiendae,
§. 172.
Legum praescripto
§. 173.
Quasdam exceptiones subeunt.
§. 174.
Propria Nobilitatis jura alia personalia, alia realia,
§. 175.
Jus Terrestrale
§. 176.
Primaeva occupatione,
§. 177.
Vel Regia Donatione acquisitum proprietatem secumfert.
§. 178.
Quod leges primigeniae
§. 179.
Aurea Andreae Bulla,
§. 180.
Ipsaque Donationum exempla,
§. 181.
Inde a primis Saeculis continua,
§. 182.
Sat superque evincunt.
§. 183.
Adeoque perperam pro feudis accipiuntur,
§. 184.
Quibusdam analogis attributis non obstantibus:
§. 185.
Neque Devolutio ad Coronam
§. 186.
E Defectu,

§. 187.
Aut e Crimine
§. 188.
Nostram Sententiam everit.
§. 189.
Utrum ulla unquam in Regno Feudorum vestigia?
§. 190.
Consectaria Proprietatis
§. 191.
Et beneficia e Jure communi.
§. 192.
Beneficia speciali Privilegio impetranda;
§. 193.
Obligationes his Juribus correspondentes.

Caput III. De Statibus Regni singulis, ac primum: De Praelatis.

§. 194.
Praelati nobis qui?
§. 195.
Utrum etiam Episcopi solo nomine tales?
§. 196.
Jura Praelatorum communia;
§. 197.
Specialia;
§. 198.
Ad quae beneficium Decimarum refertur.
§. 199.
Archi-Episcopo Strigoniensi propria.

Caput IV. De Statu Baronum, et Magnatum.

§. 200.
Nomen Baronum, et Magnatum olim promiscue sumtum.
§. 201.
Qui Barones Regni
§. 202.
In specie numerantur.
§. 203.
Et quo ordine?
§. 204.
Num etiam Comes Posoniensis?
§. 205.
Palatinorum in Hungaria Institutio
§. 206.
Sancto Stephano debetur.

§. 207.
Quidquid Goldastus contra moveat?
§. 208.
Qui prima quoque Periodo
§. 209.
E Consilio Regnicolarum creati fuisse videntur.
§. 210.
Conjecturae differentes ad se invicem conciliantur;
§. 211.
Quare Lex eatenus sub Alberto condita.
§. 212.
De subreptionis vitio
§. 213.
Perperam condemnatur.
§. 214.
Quid Leges
§. 215.
Circa electionem Palatini praescribunt?
§. 216.
Eminentiam hujus Dignitatis
§. 217.
Locumtenentia Regia,
§. 218.
Suis cum Consectariis,
§. 219.
Tum Mediatoris,
§. 220.
Ac reliqua politica,
§. 221.
Militaria
§ 222.
Et judiciaria Auctoritas abunde ostendunt.
§. 223.
Quorsum Judicium Palatinale quondam pertinuit,
§. 224.
Regiae Majestati minime adversum;
§. 225.
Accessit perpetui Supremi Comitis Munus,
§. 226.
Et Donationum faciendarum potestas,
§. 227.
Per Palatinale Judicium exorta.
§. 228.
At Donationes Palatinales hodiernas

§. 229.
Jure Locumtenentiae Regiae fieri,
§. 230.
Indubium est.
§. 231.
Judicatus Curiae Regiae Initium.
§. 232.
Et Auctoritas.
§. 233.
Bani Croatiae
§. 234.
Activitas hodierna
§. 235.
In re cumprimis militari.
§. 236.
De Tavernicorum Regalium Magistro,
§. 237.
Ejusdemque agendis.
§. 238.
De reliquis Regni Baronibus;
§. 239.
De Coronae Duum-Viris.
§. 240.
Magnates in Regno Hungariae
§. 241.
Officio, vel genere
§. 242.
Exemplo vicinarum Gentium,
§. 243.
Quamvis restricta subinde cum potestate,
§. 244.
In specie nativi Comites
§. 245.
Per omnes tres Regum Periodos,
§. 246.
Quod adductis exemplis probatur,
§. 247.
In Hungaria comparent
§. 248.
Non profani solum, sed et sacri ordinis.
§. 249.
Magnatum Classes reliquae,
§. 250.
Ante Austriacos Reges pariter jam visibiles;

§. 251.
Quae cuncta recentiorem de Magnatibus opinionem
§. 252.
Erroneam esse comprobant,
§. 253.
Salva semper una, eademque Nobilitate.
§. 254.
Utrum haereditarios Supremos Comites,
§. 255.
Vel liberos, ac majores Bulla aurea aboleverit?

Caput V. De Statu Nobilium.

§. 256.
Regni Nobiles,
§. 257.
Quorum Classes olim variae,
§. 258.
Per Regem triplici modo creantur.
§. 259.
I. Donatione Regia,
§. 260.
Legitime facta;
§. 261.
Etsi collatae Nobilitatis mentio desit.
§. 262.
Adoptio et Praefectio
§. 263.
Species Donationis Regiae sunt.
§. 264.
II. Per Litteras Armales,
§. 265.
Ad quarum valorem, praeter Publicationem
§. 266.
Expressa Nobilitatis mentio requiritur.
§. 267.
III. Indigenatus collatione,
§. 268.
Per quam Exteri in Regni Nobiles creantur;
§. 269.
Idque ipsum hodie
§. 270.
Diaetali Articulo inseritur.
§. 271.
De Legitimatione.

§. 272.
Praemissorum Corollarium
§. 273.
De Probatione Nobilitatis.
§. 274.
Nobilitas quomodo intereat?

Caput VI. De Liberis Regiisque Civitatibus.

§. 275.
Urbium incunabula in Hungaria.
§. 276.
Liberae Regiaeque Civitates,
§. 277.
Regum Privilegio tales,
§. 278.
Singularibus Juribus gaudent,
§. 279.
Legum Praesidio firmatis.
§. 280.
Nec Cives singillatim
§. 281.
Suis immunitatibus destituuntur.
§. 282.
In numero Regiarum Civitatum
§. 283.
Censentur etiam montanae.

Caput VII. De Communitatibus caeteris nobilitari praerogativa ornatis.

§. 284.
Jazygum, et Cumanorum
§. 285.
Primae in Regno Coloniae,
§. 286.
Eorum Fata,
§. 287.
Et post restitutam pristinam libertatem
§. 288.
Recentior Conditio;
§. 289.
Immunitates,
§. 290.
Praestationesque.
§. 291.
Oppida Hajdonicalia

§. 292.
Status eorum hodiernus.
§. 293.
Sedes Lanceatorum.
§. 294.
Campus Nobilium Turopolya.

Caput VIII. De Praedialibus, et Libertinis

§. 295.
Differentes a Nobilibus Incolarum classes.
§. 296.
Praedialium Origo,
§. 297.
Causa hujus Instituti
§. 298.
Quinam hodie supersint?
§. 299.
Quibus gaudent exemtionibus?
§. 300.
Praediales improprie appellantur Nobiles.
§. 301.
De sedecim Oppidis Scepusiensibus.
§. 302.
De Libertinis.
§. 303.
Quinam Honoratiores, et Agiles?

Caput IX. De Civili Colonorum Conditione.

§. 304.
Conditio Colonorum,
§. 305.
Quorum Diversae olim Classes,
§. 306.
A tempore introductae regularis militiae
§. 307.
Per Urbarium cumprimis,
§. 308.
Addita ex lege recentissima
§. 309.
Libera Tenutorum emtione, ac venditione,
§. 310.
Plenaque testandi facultate,

§. 311.
Beneficiis,
§. 312.
Praestationibusque stabili norma definitis,
§. 313.
Multo ac antea
§. 314.
Favorabilior evasit.
§. 315.
De oneribus Nobilitatem antea,
§. 316.
Et deinceps ferientibus.

Liber IV. *De Juribus Majestaticis.*

Caput I. De Juribus Majestaticis generatim.

§. 317.
Jurium Majestaticorum
§. 318.
Diversa Partitio.
§. 319.
Quae nobis accommodatissima?
§. 320.
Continuatio Argumenti ejusdem
§. 321.
Quid potestas Rectoria?
§. 322.
Jura Regiminis externa.
§. 323.
Divisio alia
§. 324.
In Jura reservata, et communicata.

Caput II. De Personalibus Regis Juribus ex ratione Dignitatis.

§. 325.
De Independentia Regis, et Regni.
§. 326.
Summa Majestatis dignitas,
§. 327.
Ejus attributa:
§. 328.
I. Titulus Regis Hungariae
§. 329.
Cum Agnomine Apostolici

§. 330.

Hodiernus,

§. 331.

Ad Jura Coronae enunciauda.

§. 332.

II. Scuta Regnorum

§. 333.

Hungariae, Croatiae, Dalmatiae Sclavoniae,

§. 334.

Et reliquarum Provinciarum.

§. 335.

III Sigilla Regum.

§. 336.

Sub Bullae Aureae nomine.

§. 337.

Sigillum duplex

§. 338.

Secretum, Judiciale, Annulare.

§. 339.

Materia Regiorum Sigillorum.

§. 340.

IV. Residentia,

§. 341.

Quae modo Viennae est.

§. 342.

V. Aula

§. 343.

VI. Ordinis Praerogativa.

§. 344.

VII. Quaedam adhuc publicae Venerationis Symbola.

Caput III. De Juribus Regiminis in genere, et nonnullis separate.

§. 345.

Quae hoc titulo Regi Hungariae asseruntur?

§. 346.

Jus concedendi Privilegium est Regi proprium;

§. 347.

Requisita

§. 348.

Ad Privilegiorum valorem.

§. 349.

Eorundem Vis, et efficacia,

§. 350.

Quibus de causis cessent?

§. 351.
De Privilegiorum Confirmatione.
§. 352.
Monitum,
§. 353.
De Jure Regio circa Honores conferendos
§. 354.
Liberrimo, non tamen prorsus arbitrario.
§. 355.
Equestris Ordo Draconis;
§. 356.
Equites S. Georgii;
§. 357.
Equites Aurati;
§. 358.
Ordo S. Stephani;
§. 359.
Sodalium numerus,
§. 360.
Ornamenta,
§. 361.
Officia.
§. 362.
Quid nomine Fisci Regii veniat?
§. 363.
Jura Fisci ex Successione.

Caput IV. De Legislativa Potestate.

§. 364.
Potestatem legislatoriam
§. 365.
Reges Hungariae omni tempore exercuerunt,
§. 366.
Accedente Regni Statuum Consensu
§. 367.
Et cooperativo influxu.
§. 368.
De Legum Mutatione, et Interpretatione,
§. 369.
De Legis revocatione ad usum pristinum;
§. 370.
Jus suspendendi Legis effectum
§. 371.
Regi salutis publicae causa denegari non pote.

Caput V. De Regni Comitiis.

§. 372.
Notio Comitiorum Regni,
§. 373.
Eorum varia Denominatio;
§. 374.
Origo.
§. 375.
Interventus Praelatorum, et Magnatum
§. 376.
Ad Comitia continuus,
§. 377.
Nobilitatis item, jam Periodo I.,
§. 378.
Ac subsequis,
§. 379.
Partim in persona, partim medio Repraesentantium.
§. 380.
Jus Comitia indicendi, et solvendi,
§. 381.
Tum Locum, terminumque iisdem defigendi.
§. 382.
Atque Commembra ad Diaetam evocandi, Regis est.
§. 383.
Evocati comparere tenentur;
§. 384.
De cursu Juris durante Diaeta.
§. 385.
Nunciorum Comitialium delectum,
§. 386.
Antea observari solitum,
§. 387.
Lex provisoria
§. 388.
Ad universos Regni incolas extendit,
§. 389.
Modumque eligendi
§. 390.
Praescripsit.
§. 391.
Regni Comitiis Rex praeest.
§. 392.
De Praesidio Comitiorum;

§. 393.
Inchoatio Diaetae,
§. 394.
Tabula Statuum superior, et inferior,
§. 395.
Quinam Tabulae Procerum,
§. 396.
Qui Tabulae Statuum intersint?
§. 397.
Et quo ordine antea interfuerint?
§. 398.
Qui modo intersint?
§. 399.
Negotia Comitialia quae?
§. 400.
Materiam legi condendae
§. 401.
Propositiones Regiae, ac Regni Desideria suppeditant.
§. 402.
Ratio consultandi in Comitiis,
§. 403.
Cum plena votorum libertate;
§. 404.
De mutua Statuum correlatione.
§. 405.
Utrum unius Status Contradictio Concluso reliquorum offecerit aliquando?
§. 406.
Decretum Comitiale quid?
§. 407.
De Jure Leges promulgandi.
§. 408.
An quaedam Leges in Hungaria?
§. 409.
Inalterabiles existant?
§. 410.
In specie 8. 1741.
§. 411.
Jura Regis circa Comitia in complexu,
§. 412.
Jura item Comitialis Collegii,
§. 413.
Regnique Jurisdictionum.
§. 414.
Committentium Instructiones

§. 415.
Nuncios
§. 416.
In Tractatibus Diaetalibus
§. 417.
Indiscriminatim ligare nequeunt.
§. 418.
Contrarium nec Leges,
§. 419.
Nec facta evincunt.
§. 420.
Qua lingva Leges condantur?
§. 421.
Conventus particulares Regni,
§. 422.
Partiumque adnexarum.

Caput VI. De Potestate Executiva in genere.

§. 423.
Necessitas Potestatis Executivae
§. 424.
In Hungaria Regi competit.
§. 425.
Quod ultra probatur;
§. 426.
Ab Ordinum Regni consensu
§. 427.
Minime suspensa.
§. 428.
Ambitus hujus potestatis.

Caput VII. De potestate judiciaria.

§. 429.
Cura administrandae Justitiae
§. 430.
Judiciaria cum potestate Regem respicit.
§. 431.
Respondetur ad objectionem 1.,
§. 432.
Et alteram.
§. 433.
Judiciorum Coordinatio Objectum Legislationis constituit.

§. 434.
De habitu Curiae Regiae ad summum Principem.
§. 435.
Specialia Regis Jura
§. 436.
Circa rem judiciariam;
§. 437.
Potestas coërcitiva
§. 438.
Regi reservata,
§. 439.
Jus quoque Statarium,
§. 440.
Et Gratiam Reis faciendi
§. 441.
In se comprehendit.

Caput VIII. De Jure Supremae Inspectionis.

§. 442.
Ambitus hujus Juris exporrigitur.
§. 443.
I. Ad publicae Administrationis rationem.
§. 444.
II. Ad Consociationes, et Instituta publica, et privata.
§. 445.
III. Ad Objecta Politiae reliqua;
§. 446.
Quae hinc Regis Officia?
§. 447.
IV. Ad vires physicas, et morales cognoscendas.
§. 448.
V. Ad Vias tam publicas,
§. 449.
Quam privatas.
§. 450.
VI. Ad Cursum publicum, sive Postas;
§. 451.
Specialia Regis Jura circa Postas,
§. 452.
Privilegia Postarum,
§. 453
Postae Magistrorum officia.
§. 454.
VII. Ad Flumina, et Navigationem.

§. 455.
VIII. Ad vigilantiam circa morum disciplinam,
§. 456.
Quae causa publicae securitatis
§. 457.
Ad Censuram absoluta necessitate protenditur.
§. 458.
Refelluntur argumenta
§. 459.
In Contrarium ;
§. 460.
Praeventivae Censurae
§. 461.
Repressiva successit ,
§. 462.
Cum lege poenali
§. 463.
Ad Typographos, et Bibliopolas extensa.
§. 464.
Quae praesidia maxime
§. 465.
Promovendae morum disciplinae subserviunt ?

Caput IX. De Jure Regis circa negotia Religionis.

§. 466.
Imperanti Jus circa Sacra
§. 467.
Quarumvis Religionum negari nequit ;
§. 468.
Quod Reges nostri omni tempore prosequebantur ;
§. 469.
I. Invigilando Disciplinae externae.
§. 470.
II. Piis Fundationibus.
§. 471.
III. Legi sic dictae Amortisationis.
§. 472.
IV. Legali diversarum Religionum libertati ;
§. 473.
In specie vero reflexe ad Religionem Catholicam
§. 474.
Utebatur Jure Placeti Regii
§ 475.
Rex Hungariae a Seculis,

§. 476.
Ac splendidis Patronatus Juribus.
§. 477.
Eorum fundamento in Hungaria
§. 478.
I. Rex nominat, et transfert Episcopos, et caeteros Beneficiatos,
§. 479.
Salva Pontificis Confirmatione;
§. 480.
II. Instituit Dioeceses.
§. 481.
III. Intendit conservationi Ecclesiarum.
§. 482.
IV. Succedit Praelatis;
§ 483.
Utrum Bona Ecclesiastica in Hungaria in Bona Status possint converti?
§. 484.
Quid Imperanti intuitu Religiosorum Ordinum proprium?
§. 485.
Religionum,
§. 486.
Per Leges receptarum,
§. 487.
Jura, et libertates ampliatae,
§. 488.
Et Graecorum non Unitorum.

Caput X. De Jure Regum Hungariae in Educationem, et Institutionem Juventutis.

§. 489.
Emporia Litteraria
§. 490.
Jam divus Stephanus,
§. 491.
Dein Ludovicus I., Sigismundus, Mathias,
§. 492.
Proceres Rege annuente,
§. 493.
Tandem post Avum, Genitoremque Augustos, Maria Theresia
§. 494.
Liberali cura erexerunt.
§. 495.
Quid eatenus

§. 496.
Comitialiter decretum?
§. 497.
In specie de Universitate.
§. 498.
Jus Regis Hungariae
§. 499.
Relate ad Scholas catholicas,
§. 500.
Respectu Protestantium,
§. 501.
Post Art. 26. 1791. conditum,
§. 502.
Quaedam Reflexiones examinantur
§. 503.
Adversus hanc Regiam Potestatem allatae.
§. 504.
Favores peculiares Docentibus, Studentibusque per Leges tributi.

Caput XI. De Jure circa Munia, et Dignitates in Hungaria.

§. 505.
Necessitas Ministeriorum in Republica;
§. 506.
Publicorum Officiorum varietas.
§. 507.
Munia publica Rex confert
§. 508.
Jure proprio quidem,
§. 509.
Ex indole tamen Imperii, legumque praescripto.
§. 510.
Ejusdem argumenti continuatio.
4. 511
Jura Regis hoc in objecto reliqua,
§. 512.
Legumque sanctiones.
§. 513.
De Jure Numerum Regni Baronum augendi,
§. 514.
Quae nobis se sistunt vestigia?
§. 515.
Civilia munia quaedam,
§. 516.
Aliquando nobilitati reservata.

Caput XII. De Jure Armorum, et Militia ordinaria.

§. 517.
Quid Jus Armorum?
§. 518.
Ejusdem robur in Militia consistit;
§. 519.
Hungariae ordinaria, vel extraordinari
§. 520.
Ordinaria olim
§. 521.
Stabilis dici non poterat
§. 522.
Usque Caroli VI. tempora,
§. 523.
Quo, et Confinia,
§. 524.
Postliminio revecta, referuntur;
§. 525.
Accessit Militia Nationalis.
§. 526.
Supremum in Copias Imperium,
§. 527.
Hujusque Consectaria
§. 528.
Ad Regem unice pertinet.

Caput XIII. De Militia extraordinaria, sive Regni Insurrectione.

§. 529.
Quid Insurrectio?
§. 530.
Et quotuplex?
§. 531.
Banderiorum Etymologia;
§. 532.
Ad Banderium Regale
§. 533.
Personalis Insurrectio non pertinebat.
§. 534.
De Reginali, Officialiumque Regiorum,
§. 535.
Et Privatorum Banderiis.
§. 536.
Hujus Instituti occasio,

§. 537.
Onera, et Praerogativae Banderiatorum
§. 538.
Certis Bonis,
§. 539.
Familiisque non inhaerebant;
§. 540.
Quod probatur.
§. 541.
Diluuntur argumenta
§. 542.
In Contrarium.
§. 543.
Banderia Ecclesiastica,
§. 544.
Banderiis Secularium coaeva,
§. 545.
A Praedialibus distincta,
§. 546.
Duplici titulo praestabantur.
§. 547.
Portalis Militiae numerus
§. 548.
Pro temporum ratione variabat.
§. 549.
Personalis Insurrectio.
§. 550.
Quo cum temperamento accipienda?
§. 551.
Utrum Nobilitas
§. 552.
Etiam extra Patriam
§. 553.
Militare obstricta fuerit?
§. 554.
Insurrectionem exigere omni tempore Regii Juris erat.
§. 555.
Quae in Regni Conventibus
§. 556.
Regulari consvevit,
§. 557.
Per introductam stabilem militiam
§. 558.
Prior insurgendi modus

§. 559.
Mutationem quamdam
§. 560.
Necessario subivit.
§. 561.
Explicantur tenores
§. 562.
Articuli 8. 1715.
§. 563.
De Taxis Cleri pro fortalitiis.
§. 564.
De Conventione Kolonichiana.

Caput XIV. De fontibus Redituum publicorum, in specie de Bonis Regiis.

§. 565.
Fontes Redituum publicorum.
§. 566.
De Regiis proventibus priscae aetatis.
§. 567.
Bona cameralia,
§. 568.
Coronalia,
§. 569.
Vel fiscalia sunt;
§. 570.
Accedunt fructus vacantium beneficiorum.

Caput XV. De Jure regali tricesimali.

§. 571.
Quae species regalium in Hungaria?
§. 572.
Introductio Tricesimae;
§. 573.
De obligatione solvendi Tricesimam,
§. 574.
Consectaria hujus obligationis,
§. 575.
Quid praeterea circa rem tricesimalem,
§. 576.
Vectigalisque rectificationem,
§. 577.
Et regulationem in Comitiis constitutum?

§. 578.
Num igitur Tricesimae pro objecto Comitiali habendae?

Caput XVI. De Jure Regali Salinarum.

§. 579.
Salinae Regii sunt Juris,
§. 580.
Ortus hujus juris pervetustus,
§. 581.
Elevatio pretii Salis non erat objectum diaetale
§. 582.
Usque Leopoldi II. tempora;
§. 583.
Rationes in contrarium
§. 584.
A natura Coronalium proventuum,
§. 585.
Vel ab exemplis petita,
§. 586.
Parum probant.
§. 587.
Quid eatenus modo obtineat?
§. 588.
Pars salis pretii operibus publicis sacrata.

Caput XVII. De regali Metallifodinarum, et Minerarum Jure.

§. 589.
Proventus minerarum omni tempore ad Jus regale pertinuit;
§. 590.
Varii aliquando Juris hujus limites,
§. 591.
Extenditur hodie quoque ad privatorum Metallifodinas
§. 592.
Omnis generis.
§. 593.
Specialia Regis Jura huc pertinentia,
§. 594.
Corollarium.

Caput XVIII. De Jure Regis circa Rem monetariam.

§. 595.
Jus cudendi monetam est Regi proprium,

§. 596.
Interdum aliis quoque communicatum,
§. 597.
Ac legibus Regni subinde temperatum,
§. 598.
Ad damna a Republica avertenda;
§. 599.
De veteri Piscatarii Officio.
§. 600.
Regis Officia circa Rem monetariam.

Caput XIX. De Contributione.

§. 601.
Tributi genus
§. 602.
Olim admodum varium.
§. 603.
Ubi prima Lucri Camerae mentio?
§. 604.
Quid Portae designant?
§. 605.
Quando Lucrum Camerae desiit?
§. 606.
Contributio.
§. 607.
Stabiliter licet adoptata,
§. 608.
Relate ad quantitatem in Comitiis defigitur:
§. 609.
A qua Nobilitatem leges eximunt.
§. 610.
Utrum etiam quoad fundos,
§. 611.
Contributioni secus obnoxios?
§. 612.
Continuatur uberior
§. 613.
Ejusdem Quaestionis
§. 614.
Illustratio
§. 615.
Ex Articulo 8. 1741.

Caput XX. De reliquis, qui supersunt, Reditibus publicis.

§. 616.
Qui fixi sunt, vel eventuales

§. 617.
In specie pars inventi Thesauri,
§. 618.
Indirecta adjutoria,
§. 619.
Regulamentum Militare.

Caput XXI. De Dominio eminenti.

§. 620.
Dominium eminens
§. 621.
Competit summo Principi,
§. 622.
Certis tamen sub limitibus;
§. 623.
Quid Plenitudo Regiae potestatis?

Caput XXII. De Juribus Regiminis externis.

§. 624.
In quo consistunt?
§. 625.
Et ad quem pertinent?
§. 626.
De Jure Legationis.
§. 627.
Notatur Rosemann:
§. 628.
Quae hujus Juris partes?
§. 629.
In Foederibus ineundis
§. 630.
Interventus Ordinum Regni aliquando necessarius.
§. 631.
Quod etiam exempla docent.
§. 632.
Jus belli gerendi
§. 633.
Reges Hungariae
§. 634.
Proprie respicere,
§. 635.
Uberius explicatur.
§. 636.
De potestate pacem ineundi;
§. 637.
Consectaria.

Caput XXIII. De Forma Imperii, et Regiminis in Hungaria.

§. 638.
Forma Imperii in Hungaria.
§. 639
Est monarchica,
§. 640.
Neque mixta Regiminis forma,
§. 641.
Sed pura;
§. 642.
Nihil officientibus nonnullorum in contrarium argumentis,
§. 643.
Suo tamen modo temperata.
§. 644.
Corollaria.
§. 645.
Articulus 12. Anni 1791.
§. 646.
Summo regis imperio non adversatur.
§. 647.
Nec quod positivis Regni legibus obligetur.

Liber V. *De publica Regni Administratione.*

Caput I. De publicis Institutis generatim, in specie de Cancellaria Aulica.

§. 648.
Generalis partitio Administrationis publicae.
§. 649.
Vetus Cancellariae Regiae initium.
§. 650.
Summus Cancellarius.
§. 651.
Ab Aulae Cancellario distingvendus.
§. 652.
Recentior Cancellariae Auctoritas.
§. 653.
Ejus Constitutio.
§. 654.
Atque Activitas.
§. 655.
Illa Juribus Majestaticis eminenter invigilabat;
§. 656.
Ratio, et forma consultandi.
§. 657.
Regimen in Hungaria.

§. 658.
A Rege separari nequit.
§. 659.
Cancellaria erat semper locus authenticus.

Caput II. De Consilio Locumtenentiali Regio.

§. 660.
Instituti hujus initia, et causae,
§. 661.
Fata varia.
§. 662.
Usque tempora Caroli VI.,
§. 663
Hujusce Dicasterii Scopus,
§. 664
Ad Regiam Majestatem relatio,
§. 665.
Ejusdemque per Regnum
§. 666.
Agendi potestas
§. 667.
Ampla quidem,
§. 668.
Sed Regi subordinata;
§. 669.
Quae praesente Rege suspenditur.
§. 670.
Interna ejusdem coordinatio.

Caput III. De Institutis Consilio Locumtenentiali Regio subordinatis.

§. 671.
Sunt haec duplicis generis;
§. 672.
Commissariatus Provincialis
§. 673.
Agenda quae sint?
§. 674.
Instituta reliqua;
§. 675.
Gubernium Fluminense.

Caput IV. De Jurisdictionibus Regni publicis.

§. 676.
Quid Jurisdictio in genere?
§. 677.
Jurisdictionum Regni publicarum

§. 678.
Attributa essentialia
§. 679.
In executione altiorum Ordinum.
§. 680.
In vigilantia legum,
§. 681.
Et Negotiorum publicorum administratione consistunt.
§. 682.
Quae igitur Jurisdictiones hoc nomine veniunt?

Caput V. De politica Comitatuum Administratione.

§. 683.
Argumentum hujus Capitis.
§. 684.
Congregatio Comitatuum,
§. 685.
Objecta eo spectantia.
§. 686.
Quorsum etiam cura Politiae,
§. 687.
Rei Contributionalis,
§. 688.
Et Cassarum pertinet.
§. 689.
Modus negotia publica
§. 690.
In Comitatibus pertractandi,
§. 691.
Conclusaque ferendi;
§. 692.
Singulares Comitatuum Praerogativae.
§. 693.
Munia Supremi Comitis
§. 694.
Ad negotia politica,
§. 695.
Juridica,
§. 676.
Cassalia, et Oeconomica,
§. 697.
Atque reliqua Praesidii Consectaria se diffundunt.
§. 698.
Vice-Comitum existentia pervetusta,
§. 699.
Quos antiquitus Comites Supremi nominabant,

§. 700.
Horum Auctoritas;
§. 701.
Officia Judicis Nobilium
§. 702.
Summarie recensentur.
§. 703.
Agenda Jurassorum.
§. 704.
Notariorum.
§. 705.
Fisci Comitatensis.
§. 706.
Perceptorum, et Exactoris.
§. 707.
Officiales, et Servitores Comitatuum.
§. 708.
Magistratus Comitatensis a quo constituitur?
§. 709.
De Restauratione ejusdem.

Caput VI. De Administratione negotiorum in L. R. Civitatibus, atque reliquis Jurisdictionibus.

§. 710.
Regimen Civitatum,
§. 711.
Hujus forma,
§. 712.
Modusque
§. 713.
Civicum Magistratum restaurandi.
§. 714.
Objecta Administrationis civilis,
§. 715.
In specie politica, et oeconomica.
§. 716.
De Administratione negotiorum in Districtibus.

Caput VII. De Institutis Oeconomicis.

§. 717.
Origo Camerae Regiae.
§. 718.
Recentior Constitutio.

§. 719.
Independentia ab aliis Dicasteriis.
§. 720.
Munus.
§. 721.
De reliquis Cameralium negotiorum Administris ;
§. 722.
Ratione bonorum subest Camera Juri communi ;
§. 723.
Administratio Montana in Hungaria inferiori ,
§. 724.
In Hungaria reliqua ,
§. 725.
De agendis eo pertinentibus.

Caput VIII. De ratione administrandi Justitiam.

§. 726.
Vetus Justitiae administrandae ratio ,
§. 727.
Foraque olim ,
§. 728.
Ac Judicia varia.
§. 729.
Curia Regia
§. 730.
E Tabula Septemvirali ,
§. 731.
Velut Supremo Justitiae Tribunali ,
§. 732.
Et Tabula Regia Judiciaria coaluit.
§. 733.
Accessit Forum Appellatorium cambiale ;
§. 734.
Tabulae Regiae in Judicialibus provincia
§. 735.
Tabula Banalis.
§. 736.
Tabulae Districtuales.
§. 737.
Fora cambialia I^ae^ Instantiae.
§. 738.
Judicia Comitatensia.
§. 739.
Sedes Judiciaria e quibus membris componitur ?

§. 740.
Judicia Urbana.
§. 741.
Montanistica.
§. 742.
Districtuum, aliorumque Locorum.
§. 743.
Sedium Dominalium,
§. 744.
Cujus Forma,
§. 745.
A Forma reliquorum Fororum,
§. 746.
In favorem Colonorum divergebat.
§. 747.
Fora Fluminensia.
§. 748.
Fora Ecclesiastica.
§. 749.
Judicia Delegata.

Caput IX. De Militaribus Institutis.

§. 750.
Administrationem Rei Militaris universae
§. 751.
Ordinare, ac praescribere Imperantis est.
§. 752.
Instituta Militaria
§. 753.
Summarie recensentur,
§. 754.
De Foris militaribus.
§. 755.
Nova Gubernationis Forma.
§. 756.
Cum distincto Hungarico Ministerio,
§. 757.
Responsioni obnoxio.
§. 758.
Vix decreta interiit.



TOMUS I.

I n t r o d u c t i o.

§. I.

Jus Hungariae publicum est, et privatum.

Doctrinae, quam historice commentari adgredior, notiones binae ad se invicem complexae pro fundamento sunt, altera C i v i t a t i s, et altera J u r i s. Societas hominum sub Imperio communi in suo vivens territorio, Civitas dicitur. Cujus proinde substantiales partes I m p e r i u m, I n c o l a e, T e r r i t o r i u m constituunt. Jus autem, missis significationibus caeteris, in libris Jurisconsultorum obviis, hoc loco nobis complexum legum denotat, quas Civitas quaecunque proprias habet; estque pro illarum diversitate publicum, aut privatum.

§. II.

Illud internum et externum.

Jus Civitatis sensu latiori utrumque, tam videlicet publicum, quam privatum complectitur, quorum illud nexum Imperantem inter, ac subditos, istud Jura singulorum Incolarum definit, ac repraesentat. At strictiori, magisque communi usu J u s C i v i t a t i s cum J u r e p u b l i c o pro eodem accipitur, atque in i n t e r n u m, seu quod intra limites territorii obtinet, et e x t e r n u m, quod relate ad exteras Nationes viget, tamquam totidem ejusdem integrantes partes — neque incongrue — dividi solet.

§. III.

Juris Publici objecta.

Huc igitur, si de Hungaria sermo sit, refertur, quid quid circa Jura et Officia Regis, Regni, singulorum Statuum, ac Subditorum — qua talium — legibus sancitum, moribusque probatum obtinet. Ex iis ipsis porro leges,

quae modum, ac formam habendi, exercendique Imperii definiunt, ac circumscribunt, atque hinc pro fundamento deserviunt, nobis fundamentales sunt merito. Caeteras diversam Reipublicae administrandae rationem statuentes, Scholae legum publicarum nomine insigniunt.

§. IV.

Hungaria propriis semper gaudebat legibus.

Hungaria — tametsi arcto nexu caeteris haereditariis regnantis Augustae Domus provinciis jungatur — sitque Ejus inter ditiones una e praecipuis, quin facile princeps, suis tamen semper utebatur tam legibus, moribus, institutis; quam Judiciis, ac publicae rei administratione; utque ipsis jam verbis legis [a]) rem dicam: „Est illa una cum partibus adnexis Regnum liberum. et relate ad totam legalem Regiminis formam — huc intellectis quibusvis dicasteriis suis — independens. id est, nulli alteri Regno obnoxium, sed propriam habens consistentiam, et Constitutionem.“ Quae unam felicitatem communem pro fine habere debet *).

*) Secundum illud Ciceronis [b]) „Constat profecto ad salutem „Civium Civitatumque incolumitatem, vitamque hominum „beatam inventas esse leges, eosque, qui primum hujusmodi „scita sanxerint, populis ostendisse: ea se suscepturos, atque „laturos, quibus illi adscriptis, susceptisque honeste, ac beate „viverent.“

§. V.

Quid Regni Constitutio ?

In Constitutionis significatu definiendo non semper Juris publici Doctores convenerant. Gubernationis formam nonnulli, quidam primaevum subjectionis pactum, vel systema Regni fundamentale, utrumque simul alii hoc nomine subintelligebant. Rectius moderna aetas complexum eorum Constitutionem vocat, quibus norma, ambitus, limitesque Supremae Potestatis continentur, secundum quae singulae Imperii partes legitime exercentur.

a) 1791. 10.
b) De Legibus L. 2.

§. VI.

Quid Forma Gubernationis?

Gubernationis vero forma, atque administratio modus ipse, est, quo potentiales Imperii partes efficaciam suam exercent. Quorsum nobis referenda sunt Instituta Comitiorum, Dicasteriorum, Judicum supremorum, aliorumque legitimorum Magistratuum. Illa porro Regni in Comitatus divisio, Illa supremorum Comitum auctoritas, Illa determinandorum, percipiendorumque publicorum redituum; Illa denique Patriae defendendae, militisque legendi, atque alendi ratio. Quae omnia simul sumta Gubernii formam efficiunt, et cum Regni Constitutione arctissime licet juncta, ab hac tamen una, ut modus a re ipsa, discernuntur.

§. VII.

Incunabula Civitatis Hungaricae.

Incunabula Civitatis Hungaricae in primaevo pacto Unionis, subjectionisque haud dubie quaerenda sunt, confirmantibus id etiam pervetustis scriptoribus, Imperatore scilicet Constantino Porphyrogenito [a]), atque Anonymo Belae Regis Notario [b]). Istos si audimus — et quidni audiamus — obstet, causam nullam video *). Majores nostri ex Asia oriundi [c]), qui patrio se nomine, in hanc usque diem retento, Magyarok dixere, indeque apud Graecos Scriptores [d]) interdum Mazari, frequentius tamen Turci vocantur. Gens in principio foederata, cum novarum sedium quaerendarum causa sub septem Ductoribus, in totidem tribus divisa, patrios lares deseruisset, in unam se societatem conjungendo, quandam Regiminis formam, Ducemque supremum constituit. Hunc Anonymus Almum, Constantinus ejus filium Arpadum fuisse testantur **).

*) Constantinum Augustum et aetate supparem et maxima dignum fide, solertissime gentis nostrae primordia descripsisse, alioquin vix ullus controvertit. De Anonymo, quem cum

---

a) In Lib. de admin. Imper. ad filium Romanum.
b) Historia sept. Ducum.
c) vid. Deguines Geschichte der Hunnen Tom. I.
d) In specie ap. Theophanem. Porphyrog. Churopalat. etc.

Prayo [a]) alii Belae III[ii] notarium, quod munus postea Cancellarii nomen adeptum est, Paulum nomine fuisse conjiciunt; nonnulli rectius ad aetatem Belae IV[ii] Regis referunt. Non ignoro vile Schloeczeri [b]), Gebhardi [c]), Szklenariique [d]) judicium; at his ego judicium Belii, Benzurii, Kollarii, Pray, Palmae, Katona, Spitleri, Cornidesii cumprimis, ex professo Anonymum defendentis [e]), totque aliorum gravissimorum virorum, potiori sane jure antepono; praesertim cum neminem habeat ex antiquis repugnantem, atque ea passim indicet, quae rerum deinde gestarum fide egregie prorsus confirmantur, quamquam eidem non aegre Constantinum, velut aetati rerum, de quibus scripserat, multo viciniorem, praeferri patiar, ubi nulla probabilis conciliandi ratio suppetit.

**) Visum potius illi fuit — inquit Imperator — Arpadum Principem constituere, quam Patrem Szalmutzem utpote digniorem, et prudentia, consilio, et fortitudine insignem, talique principatui parem. Et paulo infra: „ante hunc Arpadum Turci Principem nullum unquam habuerunt, ex cujus etiam posteris ad hunc usque diem Princeps Turciae constituitur.“

§. VIII.

Et Initia Constitutionis.

Conditiones pactum hoc unionis, subjectionisque, quod septem illis Ductoribus cum Almo intercesserat, definientes, Anonymus quinque sequentes recenset: I°). „Ut quam diu vita duraret tam ipsis, quam etiam posteris suis, Ducem haberent de progenie Almi Ducis. II°). Ut quid quid boni per labores eorum aquirere possent, nemo eorum expers fieret. III°). Ut istae Principales personae, qui sua libera voluntate Almum sibi Dominum elegerunt, quod Ipsi et Filii Eorum nunquam a consilio Ducis, et honore Regni privarentur. IV°). Ut siquis de posteris Eorum infidelis fieret contra Personam ducalem, et discordiam faceret Ducem inter et Cognatos suos sangvis nocentis funderetur, sicut sangvis eorum fuit fusus, in juramento, quod fecerunt Almo Duci.

---

a) Conf. Pray. His. Reg. Hung. in not. praev.
b) Geschichte der Deutschen in Siebenbürgen. p. 2.
c) Geschichte des Reiches Ungarn. T. I.
d) Hypercriticon examinis vetust. Mag. Morav. Situs.
e) Vindic. Anonym. Belae Reg. Not.

V°). Ut si quis de posteris Almi Ducis et aliarum Personarum principalium juramentum, et statuta ipsorum infringere voluerit, anathemati subjaceat in perpetuum." Atque his conditionibus et formam Imperii Monarchicam — et Regimen pro indole libere populi prudenter temperatum — et reverentiam, fidelitatem, obedientiam Imperanti debitam — et veram honorum, uti postea vigebant, juris Nobilium proprietatem — verbo: primas lineas ejus Constitutionis exprimi, quae deinceps Hungariae pro norma fuit, quivis facile ex Historia Legum nostrarum, et ipsis omnium Regum nostrorum Decretis animadvertet.

§. IX.

Sub Arpado.

Nostrae igitur origo Constitutionis inde ab Arpadi Regimine repetenda est *), quae qualiscunque tandem suis cum primordiis esse potuerit, nemo tamen reperietur obtusae adeo mentis, ut sibi persvadeat, Hungaros, gentem numero, et bellica fortitudine insignem occupatis jure armorum alienis, iisque amplissimis Regionibus, cinctos undique hostibus, saeculo et amplius sine legibus, nomadum ferorum instar, vitam egisse; vincere persaepe fortissimos populos, et media in Europa Regnum hoc tam late patens ad Stephanea usque tempora absque ulla certa Regiminis norma retinere potuisse.

*) Dux vero Arpad — inquit Anonymus [a]) et sui milites, adepta victoria — — venerunt usque ad stagnum, quod dicitur Kurtueltou (Körtvélytó) — — et in illo loco Dux et sui Nobiles ordinaverunt omnes consvetudinarias leges Regni, et omnia jura ejus, qualiter servirent Duci, Primoribus suis, vel qualiter judicium facerent pro quolibet crimine commisso, et locum ubi haec omnia fuerunt ordinata, Hungari secundum suum idioma nominaverunt seerii (szer) quod ordinem denotat — eo quod ibi ordinatum fuit totum negotium Regni.

[a]) Op. cit Cap. 40. conf. Disser. Hist. Crit. super. quibusdam vetustis rer. hung. Cap. Diss. 1. Pag. 1. usq. 20.

§. X.

Non primum cum Regia Dignitate exorta.

Errant certe, qui primum Regem Stephanum, quem regiae dignitatis apud nos auctorem veneramur, filium suum ultro monentem: ne antecessorum Decreta spernat, neve populum suum peregrinis legibus regat [a]), una Constitutionis nostrae, aetatem illius longe superantis, ita primaevum Conditorem esse volebant [b]), ut eundem a Francis exemplum ex integro sumsisse contendant. Licet non pauca, et leges praeprimis ad disciplinam pertinentes inde fuerint petitae *), quas nempe exigebat novitas in Religionem, ac mores populi introducta, perenni tamen pietate in acceptis debetur huic Regni Statori, quod Is veteri Majorum constitutioni, quae consvetudine hactenús nitebatur, novas etiam leges consultis, ac consentientibus Regni Episcopis, et Optimatibus — ut ejus Biographus diserte testatur [c]) — aetati illi omnino accomodatas, ecclesiasticas, politicas, militares addiderit, ac pro regia sua auctoritate Nobilitatem, aliosque regni incolas amplioribus libertatibus in secutura tempora ornaverit. Istud postremum profecto extra dubium ponit vel continua — in Regum quoque Decretis occurrens — provocatio ad illam libertatem, quam a S. Stephano profectam fuisse, constans apud Majores nostros, atque communis sensus erat, fideli ad posteros traditione propagatus [d]).

*) Nominatim ejus Decretorum librum 2dum maxima jungi propinguitate Francorum Capitularibus, Kolarius [e]) collatis 1mo et 2do ejusdem Capite cum Canonibus Concilii Moguntini, liquido ostendit.

§. XI.

Memorantur Argumenta in contrarium.

Prudens supersedeo a persequendis variis opinionibus, quas viri caeterum eruditi Joannes Pelcz Senator Sopro-

a) Decret. L. 1. Cap. VIII.
b) Praeter alios Piringer in Ung. Bander. Tom. I. p. 6. et seq.
c) Hartvicus in vita S. Stephani.
d) In haec utilit. conf cump. Palma in not. rer. hung. edit. 3. P. 1. §. 9. et Kovachich in Vest. Comit. p. 15. et seq.
e) De orig. et usu perp. potest. legislat. Cap. 4.

niensis, et Lud. Alb. Gebhardi de origine Monarchiae Hungaricae sunt commentati, quorum ille [a]) Geisam Stephani I. Patrem putat suffragio populi, et Ottonis II. Caesaris favore summum Imperium consecutum, Regemque creatum fuisse. Iste [b]) potestatem Arpadi, cum caeteris Vajvodis in reliquo parem, in ducendo solum exercitu fuisse superiorem contenderet. Nam sententias istas historici stricte argumenti. refutarunt abunde Joannes Severini [c]), Georgius Sigismundus Lakits [d]), nec non Auctor Dissertationis historico criticae, super quibusdam vestustioribus rerum hungaricarum capitibus [e]), aliique nostratium quam plurimi.

§. XII.

Juris prudentiae publicae Notio.

Notitia Legum publicarum nec vulgaris, nec mere historica, solo duntaxat usu comparata, sed ex genuinis principiis, quibus vis, ac potestas legis continetur, rite deducta, constituit Scientiam Juris publici; quae si conjuncta est cum habitu illud ad casus, et species in Regno occurrentes prudenter applicandi, Jurisprudentia publica evadit. Continet itaque theoriam, ac praxim, ut enim illa, nisi ad usum civilem revocata, fere otiosa, interdum periculosa fit; ita haec illius praesidio destituta, lubrica erit semper, et anceps.

§. XIII.

Ejus utilitas, et praestantia.

Adparet vel ex iis, quae hucdum dicta sunt, quam perutile vel olim fuerit, atque etiam modo fiat viro Hungaro Jura Gentis suae, qualia haec omni aetate viguerint, genuine nosse, neque erronee versari, aut ignoranter in scientia, quae Jura Principis, ac Subditorum mutua exhibet, formamque Regiminis, limitesque omnis potestatis

---

a) Hung. sub Geisa Ano 1769. edit.
b) Geschichte des Reiches Ungarn, editionis meae pag. 378.
c) In Pannon. veter. monum illust. L. 10. C. 6. p. 373. et seq.
d) De haered. succed. Jure Ducum primo, deind. Reg. in Hung. C. 1. §. 3.
e) Posonii edit. Anno 1833. p. 16. et seq.

ostendit. Equidem non is sum, qui nisi eruditum utilem Patriae civem haberi posse neminem existimem; si tamen — quod graviter monebat Tullius — ad consilium de republica dandum, caput est nosse rempublicam; praecipuam eos, qui de salute, ac felicitate communi in publicis deliberant conventibus, vel publica obeunt munia, curam manere, ut egregia illorum cognitione sint exculti, quae regere civitatem consiliis — fundare legibus — emendare Judiciis docent.

§. XIV.

Differentia a Scientiis affinibus.

Perspicuum fit non minus Jus publicum Politicam, Statisticam, item Politiam, atque Historiam Status publici pragmaticam, quamvis scientiae affines sint, et inter se conjurent amice, spectata essentia nihilominus ab se invicem discrepare. Politica quippe, quam alii prudentiam civilem, rectius alii scientiam Imperium administrandi dicunt, in arte consistit, aptissima ad gubernandum media deligendi, iisque pro adjunctorum ratione ad promovendam salutem communem utendi; tradit igitur ea, quae statui utilia sunt, ac proficua. Scientia Politiae de adminiculis agit publicam, privatamque securitatem stabiliendi, ac conservandi. — Statistica notitiam Regni geographicam, nec non productorum naturae, et artis, tum numerum, atque varias incolarum classes percenset; vires physicas, et morales exhibet; normam rei tam ecclesiasticae, quam civilis exponit, quare complura ipsius quoque Juris publici resultata suo ambitu complectitur [a]). Historia denique status pragmatica ennarrat, quae in eodem memorabilia evenerunt, horum item originem, causas, effectus pandit, quin jure, an injuria acciderint, determinandum habeat. — At Juris publici doctrina unius cujusque gentis non quale systema Regni esse deberet, sed quale reapse subsistit, fideliter evolvit, rigideque persequitur, eruendo genuinis e fontibus illa omnia, quae

---

a) De Oratore Lib. 2.

ad definitiam ejusdem extensionem pertinere supra recensuimus (III).

§. XV.

Principia Juris Publici sunt propria et communia.

Quoniam ergo Jurisprudentia, ut jam innui, scientia est (XII) ultro consequitur, illam suis e principiis, tamquam fontibus partim sibi uni propriis, partim isti scientiarum generi communibus hauriri oportere. Propria sunt: Leges fundamentales, solennesve tractatus, et pacta domi cum suis, tum etiam cum exteris populis, eorundemque Principibus enata. Tum leges civiles publicae, statuta, privilegia, ceu jura singularia certae classis incolarum, communitatumque; Decreta, et Ordinationes Regiae; observantia denique Regni.

§. XVI.

Ad illa referuntur: A) *Leges fundamentales.*

Quidam leges inter fundamentales principe qnodammodo loco collocant conditiones, de quibus Majoribus Nostris conventum fuisse, Anonymus testatur (VIII) velut pactum Regni fundamentale, scite omnino istud, si tenor praecise earundem, vix vero etiam, si essentialia legis attributa aspiciantur, quae non ab historica privati auctoris qualicunque tandem fide unquam proficisci possunt, sed unius duntaxat legislativae potestatis auctoritate nitantur, est necesse.

§. XVII.

1ma Bulla Aurea.

Prima itaque tempore, ubi vetustiores requisitis vestitae characteribus nos latent, lex nobis fundamentalis est: Decretum Andreae II. Regis de Anno 1822. in Articulos 31 distinctum, cui ab aureo Regis Sigillo, amplioris adhuc solennitatis ergo adpenso, Aureae Bullae nomen, veluti proprium adhaesit. Complectitur istud varia Juris Publici capita, communique Regis, et Regni consensione editum, et in septem exemplaribus memoriae posterorum

transmissum ad normam, qua Reges deinceps gentem Hungariae gubernarent, ita relatum fuit, ut ab hoc tempore singuli illud occasione solennis Inaugurationis jurejurando se servaturos sponderent [a]).

*) Ejus caeteroquin in corpore Juris exstantis synopsim exhibet Gebhardi in der Geschichte des Reiches Ungarn. Szegedi in opere, cui titulus: „Assertor Libertatis Hungaricae Andreas II.;“ illustrarunt vero illam Palma in Notit. Rer. Hung. P. I. Martinus Kovachich in vest. Comitiorum, atque alii.

§. XVIII.

Quod contra quam adversarii statuunt.

Varia pervetusto huic Hungaricae Libertatis Clypeo a compluribus aliquando fuere opposita, et acre eidem bellum nominatim a Grossingero [b]), et Gustermanno [c]) indictum. Non erit proinde ab historica hac doctrina alienum paucis demonstrare, Bullam ipsam Decretum esse comitiale — legitime editum — indeque a suo initio validum, ut tale, in haec usque tempora constanter viguisse; genuinum itaque, ac authenticum illius textum hodiedum exstare. Haec enim cuncta ab adversariis in dubium vocantur.

§. XIX.

Est Decretum Comitiale.

Decretum Comitiale germano, et continuo Constitutionis nostrae sensu erat semper, quod Reges ad petitionem, propositionemve Regnicolarum in Comitiis congregatorum sanxerunt. Nemo igitur istud tale non esse, nisi temere propugnare potest, praesertim si analogia subsequentium Decretorum, in specie Ludovici I[i] et Mariae I[mae] Andreanum confirmantium, hujusque ipsius et Praefatio, et Conclusio debite perpendatur. Unde illud Verböczius etiam non ambigebat Decretum adpellare [d]).

§. XX.

Ut tenor ipse ostendit.

Regias profecto declarationes, verbis sequentibus ibi-

---

a) Pag. 1. tt. 9.
b) In Jure publ. Hung. C. 3. §. 5. et seq.
c) Ungarns Staatsrecht. 1. Theil. §. 10. et seq.
d) P. 1. tt. 9. §. 6.

dem factas: „Nos igitur eorum petitioni satis-„facere cupientes, in omnibus — uti tenemur — „praesertim quia inter Nos et eos occassione hac „jam saepius ad amaritudines non modicas est processum „— — concedimus tam eis, quam aliis hominibus „Regni nostri libertatem a S. Rege conces-„sam, ac alia ad statum Regni nostri refor-„mandum pertinentia salubriter ordinamus in hunc modum.“ Has inquam professiones quis tandem veritatis studiosus erit, qui non indicium pro Comitiis facere suo praecise ex arbitrio teneat? Nec video profecto, qui, nisi congregati Nobiles, Regi petitionem suam proponere ita potuerint, ut hac occassione inter eos, et Regem ad amaritudines non modicas fuerit processum.

§. XXI.

Non injusta vi extortum.

Injusta vi decretum istud extortum affirmantes, non videntur meminisse, fidem subditis, plane rebellibus libere, sponteque datam servandam esse [a]), et cum precibus, multisque instantiis, quas Andreas commemorat, vim adhibitam haud facile componi. In probis non absimiliter penitus deficiunt, qui illud praetendunt, vitio subreptionis laborare. Inde enim, quia textus Codici domestico insertus, pro explorata describentium ejus aevi oscitantia, vel forte tardiori typothetarum errore verbis nonnihil divergit, ab authenticis Bullae ejus transumtis, quae posterioribus Regum decretis continentur, hoc minus aequo, peritoque lectori suspicio falsi oborietur, posteaquam numerosa ejusmodi Transumtorum, et vel unius Ludovici I. exemplaria duodecim adhuedum exstant [b]) qui post annos centum et viginti novem praedictas Litteras ipsius Domini Andreae II. Aurea sua Bulla roboratas, omni penitus suspicione carentes — adeoque in origine sibi visas, confirmavit [c]).

---

[a]) Hugo Grotius de Jure belli et pacis L. 3. C. 19. §. 6. Puffendorf de Jur. Nat. et Gent. L. 8. C. 8. §. 2. et post hos alii.

[b]) Jos. Nic. Kovachich ad lect. variant. §. 2. p. 16. nec non id. in not. praelim. ad Syllog. Decr. Vest. Com. p. 96.

[c]) Vid Praef. cit. Dec. Lud. I.

§. XXII.

Sed genuinum.

Toties ergo repetitae illae transumtiones, et confirmationes per Ludovicum, Mariam, Mathiam, ac alios Reges factae, tot illa Principum Juramenta desuper occassione inaugurationis in hodiernam diem praestita, — tam numerosae provocationes, cautelae, assecurationes in legibus frequentissimae, continuum quoque hujus ipsius Decreti usum amplius longe, solidiusve demonstrant [a]), quam vana Grossingeri argutatio, e posteriori Andreano Decreto A^i 1231^i desumta, officere possit, cui alioquin multos inter Kovachich nervose respondit [b]).

§. XXIII.

Regem ad impossibilia non obligat.

Impugnat adhuc saepe laudati Decreti vigorem Gustermann [c]) illo fundamento, quod articulos complectatur plures, quos hodie observare impossibile sit; Regem proinde ejus observantiam in omnibus punctis et clausulis spondentem ad impossibilia jurejurando obstringi. Verum haec objectio — speciosa magis, quam solida — perfacile solvitur. Fuerant sane quaedam temporum vicissitudine, vel tardiori constitutione [d]) per expressum mutata, alia extra usum posita, quae recurrentibus casibus analogis iterum forent observanda *). Hoc itaque cum temperamento Reges nostri jurasse censendi sunt; nullus enim dubio locus relinquitur, quorum modo usus non fit, nequaquam adeo diserte in perpetuum abolita dici valere, prouti clausula famigeratissima art. 31. de jure resistendi injecta, quae quamvis dum conderetur **), nullatenus poterat facultatem vim hostilem Regi suo legitimo opponendi, contra indolem omnis imperii, vel subintelligere, attamen, velut non Constitutionis Stabilimento, sed funestis civilibus bellis excitandis peropportuna, et a malis male accepta, inque pejus detorta, publico Regni Decreto [e]) antiquata est.

---

a) Op. Cit. C. III. §. 7. in not. ad a).
b) Vest. Com. p. 96.
c) Ung. Staatsrecht. P. 1. p. 40.
d) 1351. in ejusdem praef. §. 11.
e) 1687. 4.

*) In exemplo: si pro Oeconomia Regis eadem, qua olim, ratione convenirent equatia, bubalos, setigeros alere, dubium non est, sanctiones illas, ne ad privatorum pascua, et silvas inpellantur, plenum sortituras vigorem.

**) Clausulae similes, quas Jus publicum commissorias vocat, retrusis mediae aetatis saeculis alibi quoque gentium comparent. Sic decantata Angliae Charta Magna [a]), Bulla nostra nonnisi septem annis antiquior, resistentiam Nobilitati, — salva persona Regis — etiam cum depopulatione bonorum ipsius admittit. De Polonia quoque scribit Thuanus: [b]) Stephanum Juramentum interposuisse de religiose servandis juribus, libertatibus, et privilegiis eo addito: siquidem illa ulla in parte violaret, ut ab omni Jure, quod in Regno habet, excideret, et Proceres a fide, et obedientia, quam ei, ut legitimo Regi debent, solverentur. Nec multum a tenoribus Clausulae nostrae abludit Philippi I[mi] Burgundiae Ducis privilegium, quod A° 1427° lucem vidit [c]). Ut sileam Belgii, aliorumque, ac in specie eam Jodoci Moravi Imperatoris prorsus consentientem constitutionem, quam Goldastus levis quidem fidei scriptor, nullis certis fontibus indicatis, retulerat [d]). Haec in pertransitu, non sane in hujus clausulae defensionem, quam nemo a me praestoletur, verum ad refellendas criminationes, quasi solis duntaxat Hungaris monstrosa, nescio quae, scita arrisissent, nuspiam toto orbe aliquando deprehensa.

§. XXIV.

2[do] *Diploma Inaugurale.*

Ad cognoscendam Regiminis Hungarici formam cumprimis Diploma Inaugurale lucem suppeditat, lex nobis indubie fundamentalis, quo scilicet se Reges nostri hactenus ad certum administrandi Regni modum, interposito jurejurando, adstringebant, sigilloque suo munitum, Statibus et Ordinibus elargiebantur, subinde una cum Juramenti formula Decreto comitiali inserendum. Sed de hoc Diplomate Regio nobis alibi uberius loquendum erit.

§. XXV.

3[io] *Pacificatio Viennensis, et Lincensis cum Articulo 26. et 27. anni 1791.*

Pacificatio Viennensis, et Lincensis, quarum utraque

a) Quod legi potest in M. Ch. Sprengl Allg. Geschichte von Großbritt. Halle 1780.
b) In hist. sui temp. T. II. L. 63 p. 8.
c) ap. Lünig. C. G. D. T. II. pag. 1315.
d) Recess. Imp. Vol. III.

ceu pacta conventa legibus in Art. 1mo 1608. a. c. et 5to 1647. expressis, firmata comparent, praeter alias jurium Regni stipulationes, liberum Religionis exercitium Evangelicis utriusque Confessionis Incolis addicunt; simulque basim, et fundamentum sequioris Art. 26. 1790. in Decretum illatae ordinationis efficiunt, qua nimirum liberum illud exercitium in Regno Hungariae, aliaque cum hoc cohaerentia iterum confirmata, et uberius declarata fuerunt. Quibus perpensis, leges istas, e serie fundamentalium omitti non posse, pronum est. Pari aequitate in sequenti articulo Incolis Graeci Ritus non unitis prospectum habetur.

§. XXVI.

4o Articuli 1. 2. et 3. 1723.

Comitiorum anno superioris saeculi vicesimo tertio habitorum, articuli 1., 2. et 3. pro legibus fundamentalibus, fonteque Juris nostri publici facile uberrimo deserviunt. Disces hinc nexum Hungariae cum reliquis Augustae Domus ditionibus, Jus hereditarium in Hungariam, eique adnexas provincias, et Regna post exstinctum masculinum sexum Gentis Habsburgico-Austriacae ad feminei sexus posteros delatum; constitutum inter eos succedendi ordinem; stabilitam Regni unitatem, partitionem cujusvis generis respuentem; servatam nonnisi ad casum defectus alterius Regis eligendi libertatem; Inaugurationis solennis et praestandi soliti Juramenti necessitatem; disces demum hac ipsa solenni occasione simul Jura, praerogativas, libertates Statuum, et Ordinum Regni, Partiumque eidem adnexarum, transscripta ad successores obligatione, inviolabiliter conservandas decerni.

§. XXVII.

5to Item nonnulli Comitiorum Anni 1791.

Non ex indole modo, verum ex aperta insuper Legislationis professione [a]) Art. 10., 12., 13. et 19., 1791. fundamentales sunt. Horum primus, cujus partem supra attulimus, (IV) Regni independentiam definit; alter, atque tertius de legislativae, atque executivae potestatis exer-

---

a) 1825. 3.

citio, de modo item, et tempore celebrandae Diaetae providet; ultimus rem tributariam, subsidiorumque porro etiam diaetalibus tractatibus reservat.

§. XXVIII.

Utrum Titulus 9us Partis 1mae sit lex fundamentalis.

Complures Jurisconsultorum nostratium, ut in exemplo Martinus Schwartner [a]), Cardinales Nobilium praerogativas, Titulo 9no Partis 1mae in opere Verböczyano recensitas, quia in illo personalem, ac realem Regnicolarum securitatem contra arbitrarias impetitiones communiri rectissime statuunt, simul legibus fundamentalibus adnumerant, idque auctoritate Art. 8vi 1741. At ego hujus ejusdem tenorem presse sequendo, tam eas praerogativas, sparsim alibi quoque occurentes, quam Art. 6tum 1723. Nobilitatem ab omni contributione in perpetuum eximentem, pari ratione illic provocatum, pro eminentibus Nobilium immunitatibus nominare mallem; istis enim legibus radicales quae sint, recensentur potius, quam decernitur; haec itaque enumeratio minus legum fundamentalium characterem praeseferre videtur.

§. XXIX.

B) *Leges publicae civiles.*

Caeteris legibus Regni publicis nec genus idem est, nec idem usus. Occurrunt illic ecclesiasticae, et saeculares, publicae, et privatae, criminales, et civiles, aliae porro ad politicam magis, quam justitiae sphaeram pertinent. — Adhaec reperiuntur ex illis non exiguo numero ad tempus modo valiturae, quaedam sive non usu exoleverunt, sive posterioribus legibus reformatae, aut penitus fuerunt abrogatae.

§. XXX.

C) *Opus Tripartitum Stephani de Verböcz.*

De auctore, causa, origine, editionum varietate, ipsoque ordine operis, quo Stephanus de Verböcz Jus Hungariae consvetudinarium, tres in partes divisum con-

---

a) Statistik des Königreiches Ungarn. S. 2. §. 2.

gessit, e professo commentati sunt plures, non ergo opus esse mihi video, haec cuncta, ut sive repetendo mea facere, seu illustrare ultra contendam, quaedam solum circa ejus auctoritatem, a nonnullis aliquando in dubium vocata, tamquam huc pertinentia, adnotasse sat fuerit. Ratio dubitandi assignatur: incerta a Rege confirmatio, et certus intermissae solennis promulgationis defectus. Verum quantumcunque ponderis quis objectionibus istis tribuat; usus Verböczianae compilationis, quae brevius Tripartiti nomine venit, in Foris, et provocatio in legibus trium saeculorum continua, parem illi a tacito Legislatoris consensu cum lege scripta vigorem dudum conciliaverat, atque in seriem genuinorum Jurisprudentiae nostrae fontium, principiorumve hoc ipso introduxit.

§. XXXI.

D) *Statuta et Privilegia.*

Subnectenda Regni legibus veniunt Statuta Partium adnexarum [a]) Comitatuum, item Districtuum exemtorum, Capitulorum, Regiarumque Civitatum, summi Principis ratihabitione confirmata. Dein diplomata, ac documenta litteraria, puta Fundationum Tabulas, dignitatum, exemtionum, praerogativarum collationes, et Privilegia, quae ad illustrandos persaepe varios juris articulos praeclare quidem faciunt, sano attamen, maturoque delectu semper dispicienda, ne scilicet falsa pro veris, interpollata pro sinceris admittantur, aut ea, quae facta praecise referunt, eventusque, jam de jure quoque decidere arguas, atque concludas *).

*) Hanc in rem egregia est prorsus Kovachichii Philosophia [b]) „Publica — dicit ille — diplomata rite combinata definiunt, „quid juris sit; probant proinde, ac in Jure publico vim decisivam habent; privata vero, sive historica Diplomata facta „duntaxat, acta eventusque referunt, quin definiant, aut definire possint, jure ne, an praeter jus, et cum alterius partis „injuria evenerint; nihil proinde de jure alterutrius Partis „decidunt; sed historicam duntaxat fidem faciunt, quae eousque „valet, quousque tenori Diplomatum publicorum non adversantur. Poterunt igitur, cautissime tamen adhiberi in illu-

a) 1715. 20.
b) In Praef. ad vest. Comit.

„strandis singularibus Juris publici capitibus, quatenus nimi-
„rum docent, ac testantur, quomodo pars quaevis consentiente,
„aut renitente altera, jure suo potestateque sua usa sit;
„neque tamen definiunt, an intra, vel extra justi limites. Ut
„igitur pondus aliquod in Jure Publico habeant, et pro legiti-
„mis testimoniis valeant, ad sensum Diplomatum publicorum
„exigi debent, nisi ex iis usus perpetuus juris alicujus ita
„demonstrari possit, ut in contrarium aut nulla, aut pauca
„solum acta, legalem consvetudinem minime interturbantia,
„valeant allegari."

§. XXXII.

E) *Pactorum, et Foederum Tabulae.*

Pacta praeterea. ac foedera publica, stipulationes de futura Regni successione; vel occasione delati Imperii cum extero Principe transactae; — dein Litterae concordiae (concordata moderna aetas vocat) quoad Jura sacrorum cum Romano Pontifice initae; Pacis ac foederum Tabulae — Conventiones ad ancipites de finibus Regnorum controversias sopiendas — Tractatus commerciorum — Transactiones variae, quas olim Hungaria cum Republica Veneta, Polonia, Porta Ottomanica, Austria, Stiria, aliisque Provinciis frequenter fecerat, queis scilicet apta Jura definita, obligationesque mutuae fuerunt contractae.

§. XXXIII.

F) *Constitutiones Regiae Argumenti singularis.*

In Regiae potestati reservatis, normam praestant Ordinationes Regiae, regiove nomine vulgatae argumenti singularis, et pro diversitate objecti, et formae qua expediuntur, variae nomenclationis*). Quantam harum non perfunctoria cognitio adferat utilitatem, non ambiget sane, qui eorundem argumenta cum ea, quae in usu est, quotidiana publicorum negotiorum administratione adcurate contulerit.

*) Exempla horum, Ordinationes in re montana, numaria, salinaria, tricesimali, postali, Regulamentum Militare, Instructiones Politicorum, Juridicorum — Cameralium Collegiorum, et Supremorum Comitum: Ratio Educationis publicae, caeterae normales ordinationes frequentissimae suppeditabunt.

§. XXXIV.

G) *Observantia Regni.*

Regula a majoribus tradita, et sola diuturna continua observantia ad nos usque propagata, consvetudo est, quae praesumtae legislatoris voluntati innixa, recta nobis Juris principia subministrat [a]). In gravissimis enim patriae negotiis — puta Regum, et Reginarum Inaugurationibus, — in publicis Comitiis, — Decretorum, ac Diplomatum expeditionibus, multisque aliis, jure scripto nondum definitis, plura a sola veteri traditione originem duxerunt. Quia itaque fundamentum ejus omne in tacito, ac continuo Legislatoris annutu subsistit: inductioni actuum conformium, ex quibus Regis, Populique consensus liquido colligitur, inniti debet, ut legi scriptae aequiparetur *), atque in censum veniat antiquarum, bonarum, et approbatarum Consvetudinum, ad quas et leges nostrae saepe provocant, et Reges ipsi in Diplomate Inaugurali se perinde, ac leges scriptas, observaturos pollicentur.

*) Intuitu consvetudinis peculiarem considerationem merentur diplomatica monumenta, quae sedula eruditorum perquisitio tenebris eripuit. Certiores jam his efficimur, permulta olim Comitiorum legibus fuisse definita, quae tametsi tum litteris consignata, lapsu temporis fato qualicunque latitant, deinceps tamen nomine consvetudinis candide observabantur. Verissime a me istud affirmari, inspicienti praeclaras lucubrationes, et opera virorum celebrium, veteribus Decretis, Diplomatibusque colligendis sedulam operam impendentium, suapte evadet perspicuum.

§. XXXV.

Non item Analogia.

Analogiam sensu Juridico voco: quando in casibus nec lege, nec observantia definitis, a simili, aut contrario, ad eam, de qua quaeritur, quaestionem ambiguam decidendam, uti solemus. Unde — reor — satis apparet, genus istud argumentationis adplicationem potius ad juris principia, quam principium ipsum constituere [b]). Usum ejus in negotiis regnorum publicis non esse infrequentem,

---

a) Conf. Verbőczii Prol. II. 10.

b) Schrauber de analog. Jur. publ. int. font. pub. non numerand.

neque reprobandum, ostendunt pluribus Juris Doctores [a]), sed ingenio acri, et judicio arte exculto opus est, ne lubrica, et precaria judicandi ratio erroneas progeneret sententias [b]).

§. XXXVI.

Fontibus Communibus Jus Publicum Universale.

Pro communibus Juris nostri publici fontibus Jus publicum universale, Gentium, et Canonicum statuo, ex quibus principem locum scientia, quam hic reliquis anteposui, occupat, quorumvis positivorum hujus generis Jurium — concordi Juris consultorum sententia — basis. ac fundamentum. Alii eandem subsidiis disciplinaribus adnumerant, non sine ratione utrique: Nam et notiones plurimae, quibus carere nullo modo possumus, ab inde sunt petendae, et quaestiones legibus positivis nequaquam exhaustae. non aliunde rectius, quam e Jure publico naturali illustrantur, quod juxta Verböczium nostrum [c]) apud omnes gentes aequaliter servatur, et tamquam a solo Deo institutum, firmum est, et immobile.

§. XXXVII.

Non sine temperamento applicandum.

At vero quam imbutos, tam cautos in applicando universali hoc systemate esse oportet, qui positivorum Jurium studium, exercitiumque profitentur; ut enim moderatus, et prudens illius usus insignem adfert utilitatem: ita si contra Regni constitutionem, et administrationis rationem legibus definitam, cuncta rigide ad ideale istud exigantur, Jurium ignoratio gignitur potius, quam scientia; et abusibus pandetur porta, cum insigni ipsius studii, et majori fortassis aliquando Reipublicae detrimento.

§. XXXVIII.

Gentium.

Jus Gentium tam naturale, quam positivum — quo nomine intelligo conventiones singulares, inter Nationes

---

a) Quos vid. in Pütteri Litterat. Jur.
b) Conf. Frank Grund-Betracht. über Staat und Kirche, p. 57. et seq.
c) Par. I. T. 3.

liberas aperte, vel tacite adoptatas — fons quidem est indubius illius juris, quod Hungaris cum aliis populis intercedit: non tamen interno Regni Statui limites ponere potest [a]).

§. XXXIX.

Et Canonicum accensetur.

Jus pariter Ecclesiasticum alias Canonicum, quod Catholici generatim sequuntur in causis fori Ecclesiastici, haud parce in civilem nostram legislationem, primis praecipue sub Regibus, influxit [b]), salva tamen semper Regni libertate, ac independentia, in quantum nempe non adversatur legibus domesticis, neque singularibus Regis, Regni juribus, aut aliarum in Regno receptarum Confessionum.

§. XL.

Historia.

Adminicula, sive auxilia, quae praemissorum principiorum intelligentiam adjuvant; scientiam nostram, ejusque usum practicum mirifice promovent, ornant, ac perficiunt, praeter doctrinam illorum Jurium, quae ut fontes communes retulimus, sequentia censentur: Historiarum studium, hujusque individuae comites, Geographia, Chronologia, Diplomatica, Heraldica, Sphragistica, et Genealogia. Eminet vero inter reliquas, — nam et aliarum Gentium non sine utilitate sunt; — Historia Regni Hungariae Civilis et Ecclesiastica, pragmaticae omnio indolis. Si enim Polybio teste [c]), „Verissima institutio ad capessendam Rempublicam ex Historia paratur.“ quanto magis eadem esse debet ad constitutionem Hungaricam, omni sua parte historicam, rite, et solide intelligendam.

---

a) Praet. mult. lege hanc in rem Nettelblatt, vom rechten Gebrauch des nat. und gemein. europ. Völkerrechts; in specie ejusd. Erörterung einzelner Lehren des deutschen Staatsrechts. Pag. 42. et Göner, Entwicklung der Staatsdienstbarkeit. §. 11.

b) S. Steph. D. L. 2. C. 2. et 3.

c) Lib. 1. C. 1.

§. XLI.

Antiquitatis Studium

Historiae conjungenda est notitia antiquitatum medii praesertim aevi, tam nostratium, quam vicinis. Gentibus propriarum, quae nunquam sat impense commendari potest iis, qui non desultorii Jurium, Legumque nostrarum interpretes manere volunt. „Plurima enim," ut, quod sentio, Ciceronis facundia eloquar — [a]) „in omni jure „nostro antiquitatis est effigies, et prisca „verborum vetustas, et actionum genera quae-„dam, quae majorum consvetudinem, vitamque „declarant." Haec sane absque intima antiquitatum intelligentia nemo vel mediocriter assequetur [b]).

§. XLII.

Juris Patrii partes reliquae.

Venio ad subsidia Juridica, quo non tantum Patrii Juris partes referre oportet, privatum scilicet, civile, et ecclesiasticum, horum enim omnium inter se nexum, opisque mutuae indigentiam nullus ignorat, verum praecipua quadam ratione Diaria etiam, et Acta Comitiorum, unde quam maxime validum auxilium sumiter, nec non varia Tractatuum publicorum, particularium Congressuum, aut eliquatarum illustrium quaestionum Monumenta, quorum diligens, ac meditata lectio insigniter prodest, cum ad Theoriam, tum ad Praxim Juris publici perficiendam. Decreta etiam authorum Solertia tenebris erepta, licet nunc legis vigore careant, neque in codicem domesticum assumta visuntur.

§. XLIII.

Principia Juris Feudalis.

Neque poenitebit Jurisconsultum Hungariae Principia Juris Feudalis, Capitularia Regum Francorum, aliasque aliorum ex illa aetate vicinorum populorum leges, atque instituta in subsidium vocare, quorum quaedam in nostris supersunt vestigia, quemadmodum istud eruditum demonstrasse Kollarium, supra observatum fuit (X).

---

a) De orat. L. 1.
b) Conf. Kollárii Praef. Hist. Jur. Patr. Ap. Reg. Hung.

§. XLIV.

Historia Juris Hungariae.

Historicis aeque, ac juridicis auxiliaribus scientiis adnumero ordinem, quem apud nostrates tenuere leges, historica recensione deductum, quod Genus Commentationis Historiam Juris communiter adpellant, loco hic facile principe collocandam *), cujus commoda ad perficiendam hanc nostram doctrinam tametsi patula sint, illamque — excitatus exemplis egregiae eruditionis Virorum — ipse quoque bene multos ante annos ardore, ausuque juvenili parare tentaverim [a]), candide tamen profiteor: in eo opusculo multa admodum deesse ad completam Juris, et Jurisprudentiae, cumprimis publicae, Historiam. Interim, ut modo res nostrae consistunt, et hic ipse, quem damus, conspectus, qua sui magna omnino parte abolita legentibus volvenda propinat, jam nonnisi historicam Juris nostri publici faciem repraesentat.

*) Liceat unum Pütteri, Viri quondam celebris judicium subnectere: [b]) „Cum de institutis atque juribus agitur, quae ex „arbitraria quadam hominum voluntate, atque consensione „primam duxere originem, ex eaque etiam hodie obligandi „vim eousque retinent, donec, surrogatis aliis, abolita, et „antiquata fuerint, oppido sane manifestum est, ad genuinam „illorum negotiorum, juriumve indolem pervestigandam illud „maxime necessarium esse, ut quam primi illorum auctores, „conditoresque naturam iisdem assignaverint, quidve defluxu „temporis, et per singulas aetatum vices usque ad praesens „aevum immutatum in iisdem, aut abrogatum fuerit, diligenter „et cum cura inquiratur. Hac enim ratione sicut ad sequentia „pulchre aditus munitur, ita mox in ipso operis progressu „multae, et insignes difficultates facili opere expediri poterunt."

§. XLV.

Ac Litteraria.

Historiam Juris excipit litteraria, quae auctorum Jurisperitia praecellentium Lucubrationes, et Commentarios suggerit, ac suppeditat. Horum nonnulli totam hancce disciplinam sunt complexi, plurimi eruditos suos conatus singularium quarumdam materiarum circumscripsere limi-

a) Edito opere cui Tit. Ordo Hist. Jur. Civ. Hung. Pestini A. 1793.
b) De Feudis Imp. Rom. C. 1.

tibus. Ac litteraturae quidem hujus specimen aliquod dedit Ig. Stephanus Horváth [a]), locupletiorem propinabunt Bibliotheca Nationalis Széchényiana, Telekyana, Cornidesiana, Batthyányana utraque. — Nos vero, quarum ingenio, doctisque laboribus mediocritatem nostram succollare visum erat, suis locis fideli provocatione designare non negligemus: „est enim benignum — ut cum Plinio arbitror — et plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris."

§. XLVI.

Lingvarum denique cognitio.

Ingens ad haec subsidium, sine quo nec prioribus quidem citra difficultatum uti poteris, omni aetate adferebat inprimis cognitio L i n g v a e H u n g a r i c a e, velut maternae, tum plurium aliarum, in specie G e r m a n i c a e, et — quae primas indubie has inter partes obtinet — L a t i n a e magisque sermo ille aevi medii, quam classicus. Sane quantumcunque idioma latium pro mortuo, et peregrino multi nuper despicere coeperint quidam quibusquibus tandem de causis, quas modo examinare non expedit, nobis nullo damno tute negligendum existiment; hac nihilominus lingva, quae Regni Cives, origine, et labio vernaculo etsi dispares, in propitiam unionem sub uno Hungarorum nomine per saecula in communi patria coadunaverat, velut Constitutioni nostrae constanter, et intime nexa, tam leges, quam documenta per omnem aetatem edi consveverunt; hac nobis libertates avitae, Majorum Traditiones, Magnalia Gentis potissimum fuere conservata: hac denique fontes, et vetera subsidia paene omnia continentur. Ejus proinde non utilitatem dico, sed summam omnino necessitatem seu ad leges interpretandas, seu ad genuinum avitae Constitutionis spiritum assequendum ille tantum abnegabit, quem nimia, et ultra justos limites excurrens novitatis affectatio, aut crassa ignorantia obcoecavit.

§. XLVII.

Et Philosophia justi adminicula constituunt.

His cunctis sana Critica, et — quae isti lumen ubique

---

[a]) Adde Litterat. quam P. II. suae Statist. praemittit Clar. J. C. Bissinger.

praeferre debet — vera Philosophia, velut beneficentissima ingenii, voluntatisque humanae rectrix semper adsistat, oportet; cujus cum nulla pars, sive theoretica, sive practica Jurisconsulto non quandoque auxilio sit, persaepe necessaria fiat: nulla tamen magis, quam Philosophia Justi, in qua anima, et fundamentum omnis Jurisprudentiae positivae consistit.

§. XLVIII.

Quid in his vitandum.

Ut autem auxiliares Scientiarum copiae, ratione et veritate duce, rite dispositae, prosunt vehementer; ita abusu ad devia infelicium theoriarum deductae Imperiis ipsis, ac Populorum tranquilitati inimicae evadunt, et perniciosae. Utinam nostra. Patrumque aetas innumerabilem illam malorum seriem non tantopere fuisset experta, quibus execrabiles Pseudo-Philosophorum sententiae, Historiae praejudiciis inquinatae, aut partium studio detortae, tum noxiarum Hypothesium, quantumvis speciosarum, servile studium, atque similia evagantis humani ingenii monstra universam Europam inundarunt.

§. XLIX.

Animadversio.

Edax tempus rerum, quod nihil immutatum sub sole permanere sinit, civilium quoque institutionum nostrarum compagem occultis primum cuniculis cavare, dein aperte adgredi, atque vehementius inpetere, tandem subversis ipsis columnis, nova placita veteribus potissimum substituere non intermisit; quali modo, quibus consiliis, et in quem finem, ac eventum ista pedetentim praeparata in praesentem statum deducta fuerint, candide enarrare rerum nostrarum Historiographis relinquo, meum erit, non divergendo a scopo praefixo, quem frons Operis pandit: hunc ea ratione prosequi, ut nec nuper antiquata, nec mutationes, per vices recentius introductae, hiatum ferant.

§. L.

Methodus.

Methodus cuique disciplinae ea pro aptissima recte

habetur, prout verissime Vir acuti ingenii Carolus condam ajebat Homelius [a]), quae scribendae materiae propria, et quasi agnatica est: huic nostrae semet Methodus Historico dogmatica prae caeteris accommodatissima ipsa quasi offerebat. Nam Jus publicum Hungariae in Historia temporum sua habere fundamenta, quis tandem controvertet? Nemo ergo, re penitius examinata, damnabit — confido — meum hoc consilium, quod nec ignorabam a laudatissimis in isto doctrinae genere Viris saepe commendatum, atque successu ipso egregie fuisse nobilitatum.

§. LI.

Partitio.

Opus autem universum ratione ex ejus indole, atque essentialibus partibus desumta, in Libros quinque partiri visum est, quorum I^um^ de Territorio, II^um^ de Persona Imperantis, III^um^ de diversis Incolarum classibus — Tomus primus complectitur. His vero praemissis, qua norma, quibus item auxiliis ad epocham usque, mihi praestitutam, summum Imperium substiterit, restabit enucleandum. Igitur Tomo altero Libro IV° de Juribus Majestaticis; V° de Ratione Administrationis publicae, ac Institutis, ad rem publicam procurandam comparatis, sermo decurret, quorum illa Constitutionis, posterior Administrationis Systema ob oculos ponit.

---

a) In Litteratura Juris pag. 226.

Liber I.

De Territorio Hungariae.

Caput I.

De Territorio Metropolitano.

§. 1.

Quid Territorium?

Plagam sub communi Imperio constitutam, Territorium Civitatis compellare moris est; quae Notio Monarchiae Hungaricae latissimo sensu applicita, Regiones quoque subintelligit jure solum, etsi non facto sacrae Regni Coronae, et per hanc legitimo Terrae Principi obnoxias.

§. 2.

Varii ejus obtutus.

Territorium vel naturali, ac-physico, vel civili, seu morali sub obtutu considerari potest. Prioris objectum clima Regionis, situs geographicus, producta, fertilitas, attributa hujusce indolis reliqua constituunt. Civilis — de quo solo hic sermo est — respicit jura, quibus Territorium Principi, Populoque obstringitur, nec non politicam ejus divisionem, atque mutuas partium ad se invicem relationes. Hoc posteriori sub respectu praeprimis distingvitur Territorium Metropolitanum, aliter principale ab accessoriis. Pro illo nobis Hungaria est ipsa strictiori significatione accepta, pro istis Provinciae sociae, vel alio titulo coronae obstrictae.

§. 3.

Limites Regni Hungariae primaevis saeculis.

Extensionem Hungariae proprie sic dictae, vario Monarchiae tempore variam ex historia novimus. Complectebatur illa saeculo decimo Transilvaniam [a]), et potiorem,

---

[a]) Const. Porphyrog. de Adm. Imp. C. 40.

quae cis Alutam sita est, Valachiae partem [a]). Omnem praetera terrarum tractum inter montes Carpaticos, Poloniae conterminos, et Danubium, usque Morovam fluvium [b]). Deinde Pannoniam tam inferiorem, quam superiorem, cum plagis Austriae, a Montibus Ceciis, ad Anysum; quin verosimilius Saviam quoque, seu interamnensem Pannoniam *) Syrmium tamen eotum in fide Graecorum perstitisse, ex ejus Gentis Scriptoribus Kollerus ostendit [c]). Quamquam vero Hungari eodem adhuc saeculo ab Ottone Imperatore ad Erlavam, postea a Leopoldo Marchione Austriae — amisso Mellicio — ad Montes Comagenos repressi fuerint [d]); Pannoniam superiorem nihilominus nonnisi post pacem cum Henrico III. A. 1043. confectam amiserunt [e]).

*) Testem, quem frequenter provoco, unum e multis Constantinum iterum audiamus: „Confines autem — sic narrat ille — „Turcis sunt versus orientem Bulgari, ubi eos Ister „fluvius, qui et Danubius dicitur, separat. Ad Occidentem „Franci, quos Germanos alibi vocat. Ad Meridiem est „magna Moravia, sive Svendopolci Regio, quae om„nino a Turcis vastata est, et ab ipsis jam possidetur.“ Item „habitant trans Danubium flumen Turcae in „terra Moraviae, atque etiam ulterius inter Da„nubium, et Savum“ Versus denique Septemtrionem conterminos Pacinacitas statuit. Ita Constantinus Imperator [f]) aetate suppar, et qui territorium ab Hungaris occupatum, suo vicinum Imperio [g]), nullus ignorare potuit, cui proinde si — uti oportet — fides adhibeatur, Pannonia etiam Savia Hungaris eo tempore paruerit.

§. 4.

Limites Hungariae hodierni.

Hodie Hungariam stricte talem circumdant ab Occidente Styria, Austria, Moravia; partes Septemtrionales Silesia, atque Galiciam sejungens Carpatus, Meridionales Servia, Sclavonia, Croatia; ad Ortum cum

a) Idem Auct. loc. cit.
b) Vid. Pray Hist. Hung. in not. praev. P. II. p. XLII.
c) Hist. Episcop. Quinque Eccles. T. 1. p. 33.
d) Aloldus in Fast. Campililiorum.
e) Hermannus Contr. ad cit. ann. — It. Pray Hist. Hung. P. I. p. 44. Mich. Ign. Schmid, Geschichte der Deutschen. 2. Th. 5. B. C. 1. Schrötter, Versuch der österr. Staats-Gesch.
f) Cap. 13. 25. 40. 41. 42.
g) Belae Notar. Cap. 57.

Valachia Transilvania quoque, quae serius in separatam Provinciam abiit, limites evaserunt. Et hi quidem, praeter minores cum nonnullis vicinis Provinciis controversias, certi sunt. Si tamen amplitudinem Regionum, jure olim ad Coronam Hungaricam pertinentium respicias *), multas ex illis in aliorum transiisse ditionem nullo negotio animadvertes.

*) Occupavit in priscis Regni limitibus, veterique Monarchiae amplitudine illustranda conatus meos Vir doctus speciali de hoc Themate libello excellenti sane eruditione conscripto [a]), quem nomini meo nuncupavit, vel itaque hoc e respectu nemo — cupio — me plagii arguat, si hoc in themate versaturus, alieno interdum marte pugnare deprehenderer.

§. 5.

Ejus Provinciae, partesque adnexae.

Creverat quippe continuis ditionum accessionibus potentia Hungarorum adeo, ut eidem ultra Sclavoniam, Croatiam, et Dalmatiam, Rama seu Bosnia, Servia, Bulgaria, Galicia cum Lodomeria, Moldavia denique, cum Valachia — quae binae posteriores olim Cumaniam efficiebant — qua armis, qua foederibus Regna totidem sensim accreverint. Et licet non omnia in legum, Jurium, ac praerogativarum, atque publicae administrationis communionem admissa forent; verum nonnulla clientelari duntaxat nexu colligarentur: hoc non obstante in legibus, publicisque monumentis inde a saeculo 16. rarissime subjectarum, sed plerumque modesto Partium, ac tenutorum adnexorum nomine designantur *). Jam ad modum quod attinet, quo accessiones istae evenerant, cum illum fusius Historia pertractet, id non ultra, quam origo Regni Jurium, et firmatis ceu commentationi nostrae propria exigunt, de singulis ordine prosequemur.

*) Subdistingvunt Jurispublici interpretes accessorium Territorium in Provincias incorporatas, adnexas, juri clientelari obnoxias, et subjectas. Majores quidem nostros ad saeculum usque 16. nomenclationem adnexarum, et subjectarum Partium pro synonymis habuisse, e numerosis didicimus legibus [b]).

---

a) Sub. Tit. Disert. Hist. Crit. sup. quib. vetust. rer. Hung. Capit. Posonii in S. A. 1832.

b) Conf. Dec. de A. 1552. 53. 54. 55. et 56. tum ab A. 1559. usq. 1630. item 1635. 38. 47. et 1649. aliasque leges.

Caput II.
De Territorio accessorio.
§. 6.
Sclavonia orientalis.

Sclavonia orientalis, quae jam Syrmio etiam incluso, nunc passim Sclavonia inferior, vel Regnum Sclavoniae dicitur, utrum ante tempora S. Ladislai Hungarici Juris fuerit? quaestio inter eruditos erat aliquando, estque in parte etiamnum multum controversa. Si tamen, quae mox e Constantino attulimus, perpendamus, aevo, quo is vixerat, Hungaris paruisse, fit quam verosimillimum. Idem comprobant de Stephani I. temporibus Fundationales Episcopatus Quinqueecclesiensis [a]), in quibus ejus Conditor divus Rex ipse limites Dioeceseos a Danubio, usque Savum fluvium defigit, nec non similes Radonis Palatini, in ejusdem Ecclesiae favorem editae, dum in istis se Monasterium suum S. Demetrii super Zavam fluvium (locum alias Dimitrovics, nunc Mitrovicz nuncupatum) cum tota provincia illa sanctae Coronae rectificasse, et iterum aquisivisse affirmat [b]).

§. 7.
Utut Juris ab olim Hungarici.

Contrariae a nostra sententiae defensores ad diploma quoddam Andrea III. provocare amant, cujus textum huc facientem Pray alicubi [c]) in haec verba notavit: „Cum „Sanctus Rex Ladislaus I. transiverat Dravae fluvium, et „partes Sclavonicas Regno primum occupavit etc. etc." Sed quomodocunque Auctor noster Andream Regem luculentissimum testem nominet, mihi similis de re facti narratio, quamvis diplomati inserta, trecentis attamen annis remotior, adversus coaevum Augusti Scriptoris testimonium, Hungaros inter Danubium, et Savum habitare disertissime asserentis, elevari vix posse videtur. Id vero, quod recentius objecerat nonnemo, legi in quadam libri Constantinei editione non Savum, verum Sabam, tanto minus ansam

---

a) Quas ex Authog. Monast. Simighien. ed. Koller in Hist. Episc. Quinqueeccl. T. 1. p. 62. et seq. — Pray spec. Hier. Hung. T. 1. p. 227.
b) Pariter ex Authog. apud Kollár p. 147. et apud Pray op. et pag. cit.
c) Dissert. in Annal. veter. p. 83.

dubitandi subministrat, quum Graecis pro Savo, Dravoque fluviis, Sabum, Drabumque scribere, familiare fuerit [a]).

§. 8.

In titulis Regum ante Mathiam haud visitur.

Quidvis de hoc sit, quod eo, quo actu res loco sunt, nihil mutationis Coronae Juribus adfert; notari adhuc meretur: Sclavoniam saepe antea per Fratres, et Filios Regum Ducatus titulo tentam, saepius per Banos administratam, ante Mathiae I. tempora nuspiam in Legum, diplomatumque exordiis cum reliquis Regnorum titulis comparere.

§. 9.

Croatia.

Croatiam, quo nunc etiam Regio ad Colapim protensa, et alias superior Sclavonia nominata, pertinet, praeter plagas ejus montosas, marique adsitas, primus Hungariae S. Ladislaus adjecit. Is post exstinctos domesticos Croatarum Reges, quorum ultimum alii Zvonimirum [b]), Stephanum alii, Crescimiri Regis Nepotem fuisse statuunt, ob magnam nominis, virtutisque existimationem, per saniores Provinciae Proceres, ferventibus undique domesticis turbis, ad has sedandas evocatus, valido cum exercitu eo penetravit, restitutaque tantisper quiete, Rex Croatiae salutatus, hanc Almo Nepoti, sui loco gubernandam, commisit. Ita scilicet primaevam hujusce accessionis originem, atque causam Thomas Archi-Diaconus Spalatensis [c]) — Magister de Thurocz [d]) — Farlatus [e]) — Lucius [f]) — cum pluribus sic satis concordes recensent. Indicat postremus illorum — producto e Regestro Monialium Jadrensium monumento omnino pervetusto *) — annum insuper, quo ista evenerant.

*) Quod in haec verba incipit: „Anno Incarnationis Jesu Christi „Domini Nostri 1091. Kyri Alexio Constantinopoleos Impe-

---

a) Strabo Geogr. L. 7. item Justin. ex Trog. Pompejo L. 32.
b) Conf. Lucium de Reg. Croat. et Dalm. L. III. C. I.
c) Hist. Salonit. C. 17. ap. Schwandtner, scrip. rer. hung. T. 3.
d) Chron. P. II. C. 56. ap. cit. Schwandt. T. 1.
e) Illyr. Sacr. T. 1. p. 342.
f) Op. cit. L. IV. C. 1.

„rante, tempore, quo Vladislaus Pannoniorum Rex Croatiae „invadens Regnum, Dominum Almum, suum Nepotem, in illo „statuit Regem etc.“

§. 10.

Sub Colomanno.

Recrudescentibus interim motibus intestinis, quum Ladislaus ob Cumanos, intermedio tempore Hungariam invadentes, copias retrahere cogeretur, accessio haec minime firma, et durabilis adhuc evaserat, quoadusque illius in regimine Successor Colomannus, qua armorum ostentatione, qua clementia, et liberalitate stipulatis ab utrinque conditionibus, Croatas ad perpetuum S. Coronae obsequium non iterum adstrinxisset.

§. 11.

Certis sub Conditionibus.

Conditiones, de quibus conventum fuerat, Thomas Archi-Diaconus [a]), et post hunc ad verbum Lucius [b]) statuunt in censu annuo Regi solvendo, mittendoque, si juberet, usque Dravum propriis, ultra vero regiis sumtibus exercitu, quoties regalia confinia invaderentur, constitisse; illas itaque — deficientibus authenticis tabulis — fide duntaxat historica tenemus. Alioquin Croatia in jurium adeo arcta communione cum Hungaria a saeculis perstitit, ut pro territorio adnexo non considerari non potuerit. Salvis namque municipalibus, caeterum iisdem prorsus nititur legibus, ad quas condendas in Hungaricis Comitiis cooperativum influxum nacta fuerat; utebaturque eadem forma Judiciorum, et publicarum Jurisdictionum auctoritate; iisdem juribus, Magistratuumque speciebus, nominibus item, ac pari horum deligendorum praerogativa; fere consimili denique tributorum ratione. Idem circa Sclavoniam obtinet, demtis utrinque militaribus Confiniis, militari gubernationi obnoxiis.

§. 12.

Prouti et Dalmatia Provinciae adnexae evaserunt.

In sequelam praemissorum Colomannus Belgradi coronatus *) confestim non Croatiae solum, verum etiam Dal-

---

a) Op. cit. p. 634.
b) Op. cit. L. 3. C. 3. p. 109. Conf. Pray Annal. T. 1. in Hist. Col. ad An. 1102.

matiae titulos assumsit, ac Dominus ejusdem, postquam Urbes Spalatum, Tragurium, et Jadram, nec non Sibenicum Vegliam. Segniam in suam traduxisset potestatem. reapse evasit; ut nobis Lucius [a]), Albinonius [b]), Dandulus pro testibus sunt. Licet vero suis partibus non defuerint successores Reges in retinenda, vindicandaque hujusce Provinciae possessione, saepius tamen illius jam penitus, jam magna in parte amittendae discrimen — praesertim sub Stephano II. et Andrea III. — subierunt. Nam Graeci, qui sibi Dalmatiam ab antiquis temporibus obnoxiam, Veneti vero ex auctoritate Imperatorum Orientis, nominatim Basilii, et Constantini, tum ex dono Alexii Comneni, Bulla Aurea roborato, ad se pertinere praetenderant [c]), omni data, imo quaesita occasione — istam praeprimis ob causam — armis Hungariam infestare haud desistebant. Tandem A° 1357. Ludovico I. regnante Veneta Respublica Dalmatiam universam a Dyrachio ad Istriam cunctis cum Insulis S. Coronae reddere coacta, simul ejus titulis, juribusque universis jurata sponsione solleniter in perpetuum renunciavit **).

*) De hac Coronatione testimonium facit Rex ipse Colomannus in Privilegio quodam, A° 1102. Monialibus Jadrensibus concesso, et a Lucio vulgato [d]); verba ejus initialia sequentia sunt: „Ego Colomannus Dei Gratia Rex Hungariae, „Croatiae, atque Dalmatiae, salvo habito Con„silio, postquam coronatus fui Belgradi supra „mare in Urbe Regia etc. etc."

**) Tabulas abdicationis, quarum Originale, cum Venetiis moraremur, ipsi pervolvimus, rursus solers Lucius integras operi, saepe provocato, inscripsit [e]); Nobis partem earundem, quae in probam assertorum facit, excerpere suffecerit. En illam: „Nos Communitas Venetiarum, et in nostris personis, „ac vice, et nomine nostro Ambasciatores Nuncii, et Syndici „praelibati habentes ad infrascripta plenam, et liberam po„testatem, vigore instrumenti praedicti contenti fuimus renun„ciare, et effectualiter renunciamus de facto in manibus su„prascripti Regis, suo, et suorum successorum Regum nomine,

---

a) Op. cit. L. 1. C. 4.
b) Albinoni Giovani Memorie per la Storia della Dalmatia. Volum. due. Vol. 2. §. 15.
c) Conf. hic merit. Pray Hist. Reg. Hung. p. 110.
d) Op. et loc. cit.
e) Lib. 4. C. 17.

„toti Dalmatiae, a medietate scilicet Gvarnarii, usque ad con-„fines Duracii, omnibus Civitatibus, terris, castris, insulis, „portubus, et juribus, quae habuissemus, et tenuissemus, „habebamus, et tenebamus in eisdem, quoquo modo, et specia-„liter Civitatibus Nonae, Jadrae, Scardonae, Sibenici Tra-„gurii, Spalati, et Ragusii in terra firma existentibus. Item „Civitatibus, et terris adjacentibus; videlicet: Cherso, Veg-„lia, Arbo, Pago, Brachiae, Lesinae, Cursulae, cum insulis „earundem, cum omnibus pertinentiis, et utilitatibus earun-„dem, ac titulis Dalmatiae, Croatiae, quibus uti consvevera-„mus, et totum ipsorum jus, et dominium, et pro-„prietatem, si quas habuissemus, in ipsum Do-„minum Regem, et successores suos sponte, deli-„berate, et cum maturitate transferentes, renun-„ciantes insuper omni actioni, et omni juris, et „legis beneficio, quibus ullo unquam tempore „possemus contra praedicta, vel praedictorum „aliquod nos juvare, et promittentes solenniter „sub vinculo Sacramenti pro nobis, et Communitate „Veneta corporaliter praestiti, de ipsa Dalmatia, Civi-„tatibus, terris, castris, locis, insulis, juribus, „et titulis, ac ipsorum possessione, seu domi-„nio nullo unquam tempore per nos, vel alios „nos intromittere, vel aliqualiter impedire, usque ad „confines antedictos etc. etc.“

§. 13.

Veteres Croatiae et Dalmatiae Limites.

Limites veteres, qui Croatiam a Dalmatia sejungebant, cum uni eidemque suae gentis Principi parerent, isthic sollicite indagare non vacat. Alioquin si Acta publica desuper, vel Auctores consulas, regionem maritimam, cui Segnia, Tersactum, Lica, atque reliqua loca circumjacent, promiscue nunc ad hanc, modo ad illam referri deprehendes. Quoad Dalmatiam vero, nec ipsa conjunctionis ratio, qua subseque Hungariae — tamquam metropolitano Territorio — obnoxia erat, satis cognosci potest. Id tamen certo liquet; Reges ex ordine, his, quas recensui, caeterisque maritimis Urbibus, e quibus totum pene Regnum constabat, jura sua municipalia salva reliquisse, quin novis privilegiis additis, solenniter confirmasse. Illorum e praecipuis erat: libera Comites, Rectoresve, atque Episcopos eligendi potestas, quae et antea populus habuerat, tum libera negotiandi, navigandique facultas, ac propria judicii norma. Non

itaque assentior iis, qui Dalmatiam subjectis provinciis accensent [a]). Nam quae non tam armis, quam spontanea deditione, certisque retinendae pristinae libertatis sub conditionibus Hungariae accessit, nequaquam subjectae, verum adnexae nomine, secundum communem Juris publici significatum compellare malo.

§. 14.

Rama.

Rama, cui homonymus fluvius nomen dederat, a vicina eidem Bosnia aliquando distincta fuit [b]) ad illam verosimiliter Herczegovina, et Chulmia pertinuerit, Celtinam inter, et Naronem fluvios sita, ad hanc Regio reliqua, Herczegovinae contermina, Savo, Drina, Verbazoque fluminibus circumsepta. Sed Hungari id omne Ramam dixerunt. Sic Thurocius „Bosnense — inquit — Regnum Ramam vocamus“ [c]). Nec Principes ipsi nostri se Bosniae, verum Ramae Reges constanter scribebant.

§. 15.

Jure clientelari.

Qua vero ratione, quave aetate tota haec Regio sensim hungarici juris efecta sit — nam sensim accessisse indubium est — vix aliquis pro certo definiet. Colomannus primus omnium in litteris quibusdam [d]) ejus titulum usurpasse visitur; indeque nonnullorum est opinio, laudatum Regem partem hujus Provinciae, post receptam in fidem Dalmatiam, occupasse, iterumque amissam, tandem ab Urosio Serviae Regulo Filiae Helenae, Belae II. nuptui traditae, dotis nomine obtigisse [e]). Utut istud de Urosio, trium praeterea Filiorum patre, minus credibile videri possit, complura attamen diplomata Belam, ejusdemque in solio successores cum Regis titulo supremum una dominium in eam Provinciam sibi vindicasse, sat superque evincunt [f]).

a) Vide cit. Dissert. hist. Crit. §. 4. p. 117.
b) Schimek, Geschichte der Königreiche Bosn. und Rama. S. 2.
c) Chron. P. 4. C. 65.
d) Apud Lucium Op. cit. L. 3. C. 3.
e) Palma de Titul. et Insig. §. 4 et in specim. Herald. L. 2. C. 3. Gebhardi Geschichte des Königreiches Ungarn, 3. Abtheil. p. 712. Schmid in Episc. Agriens.
f) Huc. facientia invenies in Palma Op. cit. Pray Annal. Katona Op. cit. atque aliis complur.

§. 16.

Hungariae subjecta.

Ratio autem hujus supremae potestatis in eo consistebat, ut qui provinciae illi caeterum propriis legibus seorsim gubernatae, immediate praeerant, Banorum, Ducum, ac Regum quoque titulo subinde utentes, ex auctoritate Regum Hungariae imperarent, atque istis Vasallorum instar fidelitate, annuoque censu obstricti, auxilaribus praeterea copiis ad tutandam Monarchiam concurrere obligarentur. Hanc sane dominitationis speciem perpetua aevi vestigia ab Emerico. et Andrea II. ad Mathiam usque Corvinum clare manifestant *). Unde dubitare non licet, Ramam — vel si Bosniam compellare mavis — Hungariae clientelari jure fuisse subjectam, demtis binis Bosniae superioris Comitatibus Orbacensi, et Zrebernikensi, quos utrosque, velut Hungariae incorporatos, reliquis Comitatibus Verböczius [a]) vetustaque Regni documenta [b]) accensent.

*) Ab Emerico Rege de Patarenorum haeresi ejusque propagatione incusatum Banum Culinum nomine, ad se coram Sede Romana purgandum inviatum fuisse, e litteris Inocentii III. Pontificis [c]) perspicimus. Andream II[um], Stephanum V[um], Ladislaum IV[um] Banos ibidem suo arbitratu constituisse, Historia testatur [d]), cumque jam Reges se nominarent, qui Bosniam immediate regebant, in specie Stephanum Tvarko, a suis electum, Ludovicus I[mus] confirmavit [e]); Mathias Corvinus vero Nicolaum Ujlaky ad eam dignitatem ultro evexit. Sileo exempla reliqua, ex historiis temporum petenda.

§. 17.

Servia item.

Eodem clientelari nexu, citra quandam jurium, civilisque administrationis participationem, Servia, Bulgaria, Valachia, et Moldavia Hungariae colligabantur; ut enim diversas ab hungaricis leges *), ita Principes nonnisi ex Regum Hungariae voluntate habebant, quos — re sic poscente — milite adjuvare debuerunt. Excipe nihilominus eam Serviae

---

a) Vid. veter. Comit. Catal. Corp. Jur. subnexum.

b) Conf. cit. Dissert. Hist. Crit. p. 114.

c) Ap. Baluz. in Gest. Innos. 3. Pont. et ap. Pray ann. Reg. Hung. T. 1. p. 191.

d) Schimek Op. cit. a pag. 49.—60.

e) Idem pag. 84.

occidentalis partem, quam Macsovam dixere. quae pariter. atque bini, quos supra indicavimus. Comitatus (16) Orbacensis, et Zrebernikensis stricte Hungaricis scitis. gubernabatur, simulque cum illis Banatum Macsoviensem effecerat.

*) Vetustissimarum legum Serblicarum, ad rem sacram, et profanam attinentium, compilationem A° 1349. nativa lingva confectam, et per Archimandritam Raits editam, germanica reddidit Engel [a]).

§. 18.

Sub Geisa acquisita.

Servia itaque, rectius Serblia — ac saepius Rascia quoque compellata — sub Geisa II. juris hungarici esse coepit. plurimam ad id opem conferente, Regis avunculo Belus nomine, qui diu in Belae II. et modo memorati Geisae aulis versatus. ac praecipuis Bani, Palatinique dignitatibus ab iisdem excultus, Cinnamo teste [b]), suis fratribus Clavum in Servia, nec non aliqua adhuc Bosniae parte tenentibus persvaserat, ut spreto Graecorum dominatu, sponte se se Geisae subdiderint. Amplius postmodum vacillantia, multumque a Graecis infestata hujus acquisitionis initia, auxiliante, et Serviam meridionalem occupante germano suo Andrea [c]), Emericus firmavit. Posterior sane, qui et primus se Serviae Regem scribebat [d]), quum Stephanus — Magnus antea Zupan — diadema, regiumque titulum ab Innocentio III. expetiiset, intercedere nullus dubitavit, salvo istud nonnisi suo in temporalibus jure locum sortiretur, quod Pontifex, datis ad Emericum litteris [e]). aperte agnovit; huic vero Stephano, a Principatu subinde remoto. ejus fratrem Vulcum Emericus subsituit [f]). Ne adferam singula, a Regibus subsequentibus jure directi dominii continenter exercita, quaedam e vetustis tractatibus adhuc pro uberiori nexus hujusce comprobatione infra synoptice exhibere pergo*).

*) Vulgavit Raynaldus [g]) tabulas pacis A. 1271, cum Ottocaro

a) Gesch. des ung. Reiches und seiner Nebenländer, 3. Th. p. 281.
b) Hist. L. 3. p. 60. Edit. Parisinae.
c) Farlatus Illyr. Sacr. T. 5. p. 66.
d) In Epist. ad Innoc. 3. A° 1204. ap. Pray Annal. L. 1. p. 191. Ex Raynald. Annal. Eccl. ad h. Ann.
e) Ap. Baluz. loc. cit.
f) Raynald Op. cit. ad ann. 1204. Item Düfresne in fam. Dalm. et Sclav. C. 3. p. 55.
g) Op. cit. ad hunc annum 1271. p. 330.

Bohemiae Rege conclusae, quibus alter paciscentium Stephanus Vus „includentes — inquit eidem paci, et eadem vallantes „Regna nostra, videlicet Ungariam, Dalmatiam, Croatiam, „Ramam, Serviam, Galiciam, Lodomeriam, Comaniam, Bul„gariam, totumque ducatum Sclavoniae, cum omnibus attinen„tiis earundem, secundum signa, distinctiones, et metas an„tiquas, prout etiam progenitores nostri; et antecessores Reges „Hungariae usque tempus vitae Domini Belae, gloriosae me„moriae Patris nostri, possederunt, et tenuerunt.“ Est vero instrumentum istud eo majoris considerationis, pretiique, quod jura Coronae nostrae illo tempore per omnes fere, qui in hac pacificatione partes ceperant, Europaeos Principes non in Serviam tantum, sed in reliquas etiam enumeratas ditiones patenter agnita fuisse ostendat. Nec minoris pretii sunt a designato — nota praecedenti — Auctore [a]) prolatae litterae concordiae, quam A° 1426. Sigismundus Rex Hungariae cum Stephano Lazarevics Rasciae Despota inierat. Confirmant istae verbis omnino manifestis, quae de Principibus, illinc per Reges Hungariae constitutis, de fidelitate Regni Coronae debita, de obligatione copiis hanc, atque illam adjuvandi, in superioribus asseruimus. (17) — Huc, quoniam prolixiores sunt, initium exscribere sat fuerit: „Nos Sigismun„dus etc. memoriae commendamus: etc. Quod quia fidelis „noster illustris Stephanus Despotus Rasciae prudenter „attendens, et in acie considerationis diligenter „revolvens, ipsum Regnum Rasciae, cum omnibus „juribus, et pertinentiis suis nobis, ac sacro „nostro diademati, ac dicto Regno nostro Hun„gariae semper, et ab antiquo subjectum fuisse, et „esse, ac ad jus, et proprietatem nostrae Majesta„tis, sacraeque Coronae, ac dicti Regni nostri „Hungariae semper, et ab antiquo, et Regum no„strorum praecessorum nullo medio spectasse, „et pertinuisse, ac spectare, et pertinere etiam de prae„senti; ac cupiens, ut ipsum Regnum Rasciae tem„porum in processu ad manus non deveniat alienas, „per universos, et quoslibet suos Barones Maje„stati Nostrae, nec non Praelatis, Baronibus, et „Proceribus ipsius Regni nostri Hungariae de „fidelitate, et obedientia Nobis, et Sacrae No„strae Coronae, Successoribusque nostris Regi„bus Hungariae, nec non Praelatis, Baronibus, „et Proceribus Regni nostri praedictis, et eidem „Regno nostro per ipsos in perpetuum observan„dum juramentum praestare fecit fidelitatis, et

---

[a]) Engel e MS. Stil. Cancel. Op. cit. P. III. p. 370. et seq.

„insuper fidelem nostrum Magnificum Georgium filium Vuk, „filii Brank, nepotem utpote suum, in coetum, et consortium „dictorum Baronum ejusdem Regni nostri Hungariae aggre-„gari, instanti prece a nostra obtinuit Majestate, pro eo Nos „— — — volentes ex singulari Majestatis nostrae benevolen-„tia eidem Stephano Despoto in ipso Regno Rasciae de suo „sangvine facere successorem, animo deliberato, et ex certa „Majestatis nostrae scientia, Praelatorumque, et Baronum „nostrorum ad id accedente consilio praematuro. Eundem „Georgium filium Vuk, et suos masculos haere-„des legitimos, per eum procreatos, vel pro-„creandos ad dictum Regnum Rasciae in veros, et „legitimos ejusdem Stephani Despoti instituimus „successores, et praefecimus in haeredes etc."

§. 19.

Bulgaria.

Bulgari, Volgae quondam accolae, et ab hoc flumine nomen sortiti, amplos aliquando terrarum tractus possidebant; Bulgaria tamen, ut illa sub Hungariae clientelam postea venerat, Timoco, Istro, Euxinoque intercipitur. Ejus partem sibi, Coronaeque suae Belam III^um^ adseruisse, colligitur e quadam epistola Inocentii III. ad Regem Emericum reddita, in qua et querelarum huic cum Joannicio Bulgarorum Domino, de ademtis invicem terris intercedentium, et dotis, per eundem Belam filiae suae Graecorum Imperatrici, ex hac plaga collatae, Pontifex mentionem injicit [a]). Utebatur etiam Emericus Regis Bulgariae titulo [b]); an vero inanis iste: utrum potestati, et quali conjunctus eotum fuerit? haud satis liquet. Jura enim, in hancce provinciam exercita, nonnisi aetate Stephani V. qui se jam Regem Bulgariae continenter nominabat, luculenta evadunt, idque non coaevi Auctoris tantum [c]) atque reliquorum Chronistarum [d]) testimoniis, verum magis adhuc e superallato illo pacis, cum Ottocaro initae, Instrumento, quo caeteris Regnis suis Stephanus Bulgariam nominatim adjungit. (18). Labefactata quidem haec jura comparent calamitosis iis temporibus, quae patriam sub Ladislao IV., ac bene diu postea affligе-

---

a) Ap. Baluz. op. et loc. cit. Conf. Pray Annal. T. 1. p. 189. et Katona Hist. crit. T. 4. p. 721. et seq.

b) Ap. Schmid in Epist. Agriens. P. I. p. 109.

c) Simon de Kéza p. 103

d) Chron. Thurocz. C. 74. et 76.

bant. At magnus ille jurium Coronae Assertor, et Augmentator Ludovicus, revindicata Bulgaria, hanc sub certis pactis, et conditionibus regnanti eotum Principi, Strascimir nomine, fiduciario titulo gubernandam reliquit *).

*) Regnum Bulgariae — tradit nobis Joannes Archi-Diaconus de Küküllö [a]) „Sacrae Coronae Hungariae subje-„ctum, cum magna potentia intravit, (Ludovicus) et Bodon „civitatem capiens, Regnum sibi subjugavit; Principem ipsius „nomine Strachmerum (Strascimirum), qui se Imperatorem „Bulgariae nominabat, capiens, et in Hungariam transmittens „per aliqua tempora in castro Episcopatus Zagrabiensis, „Gomnech vocato, sub custodia decenter, et honeste conser-„vatum, in Bodonium ad regendum ipsum Regnum „sub nomine, et titulo suae Majestatis, sub certis „pactis, et servitiis cum gaudio remisit. Sicut „tandem idem Princeps fidelitatem, et obedien-„tiam repromissam Suae Majestati observavit."

§. 20.

Valachia cum Moldavia.

Prima Hungaricae dominationis intia in Valachiam ultra Alutanam, atque Moldaviam, quae veterem illam Cumaniam constituebant, ad Andreae II. tempora probabili omnino conjectura referenda sunt. Ansam iisdem Ducis Cumanorum filius Borizis ipse praebuisse videtur, qui accito praevie Roberto tum Veszprimiensi, post Strigoniensi Antistite, cum numeroso suo populo, vitam adhuc nomadicam vivente, sacra christiana una, atque clientelam Regis Hungariae amplexus fuerit. Cum Pontifex Gregorius IX^us^ litteris, ad eundem Regem scriptis [b]), Cumanos in hujus terra, et Regno degere, Episcopum porro reditus, quos Andreas de propriis sibi e Cumania obvenientibus assignaverat, jam percipere innuat *); et Belae IV^us^ Regis Cumaniae titulo in publicis documentis [c]) regioque sigillo gaudere conspiciatur [d]), exemplo hoc dein ad successores etiam Reges propagato.

*) Isto in specie tenore „quam Tu, tamquam Princeps Catholi-„cus, praestito juramento promiseris Te omnes inobedientes „Romanae Ecclesiae in Terra Tua ad obediendum eidem

---

a) Chron. P. III. C. 34. Conf. Dissert. Hist. Crit. supra cit. p. 74.
b) Quas vide ap. Katona Op. cit. T. 5. p. 103 et Raynald Op. cit.
c) De A° 1243. in Pray Annal. T. 1. adh. annum.
d) Apud eund. Ath. Oper. de Sigill. Reg. et Regin. Hung. Tab. 7. Fig. 2.

„Ecclesiae compulsurum, prout confectae super hoc Tuae „litterae continebant. Ac — — — viva voce promiseris, quod „praefatos Valachos compelleres ad recipiendum „Episcopum, quem eis Ecclesia ipsa concesserit, et assig- „nasse sibi de reditibus Tuis, quos ab eis perci- „pis, sufficientes“ Iterum paulo inferius „quum Te non „deceat in Regno Tuo hujusmodi schismata sustinere etc.“

§. 21.

Eodem titulo.

Quod vero sub hoc tempore praeter titulum supremam potestatem illuc Reges nostri per saecula extenderint, complura aevi monumenta loquuntur. Sic Bela IV. Hospitalariis reditus Cumaniae a fluvio Olta (Aluta) et alpibus ultrasilvanis ad annos 25. certis sub conditionibus contulit. Hujus filius Stephanus eandem velut Provinciam suam paci cum Ottocaro factae inclusit. (18). Nepos Ladislaus misso adversus Lythen infidelem Cumaniae Vajvodam exercitu, tributum sibi debitum inde dependi pocuravit, ut ipse quodam suo diplomate enarrat [a]). Ulterius hance dominationem demonstrant illa, quae Carolo I. et istius Successori cum Bazarodo Valachiae Vajvoda intercesserunt *).

*) Ad nexum provinciae hujus cum corona Hungariae, ut verbis utar praeclari auctoris [b]), hanc in rem ex professo fide Chronographorum domesticorum [c]) disserentis „nihil luculentius proferri potest oratione, quam Bazaradus ad Regem, antequam „is in provinciam ingrederetur, per legatos suos habuit: Quia „vos — inquit — Domine mi Rex laborastis in convocatione „exercitus, laborem vestrum recompensabo septem millibus „marcarum argenti, insuper censum, quo teneor, „Vestrae Coronae fideliter persolvi faciam omni „anno, et nihilominus unum e filiis nostris Vestrae curiae ad „serviendum deputabo meis pecuniis, et expensis, tantummodo „revertimini in pace Vestra, et personarum periculis praecavete. Bazaradus iste — prosequitur Auctor idem — Chronicon „una in testimonium adducendo — qui alias Alexander vocabatur, rediit ad obseqium Coronae Hungaricae, regnante Ludovico I°, qui dum in primordiis dominationis „suae in Transilvaniam venisset quidam Princeps, seu Baro „potentissimus, Alexandor Vajvoda Transalpinus ditioni ejusdem subjectus, qui tempore condam Caroli Regis Patris sui a

a) Katona Op. cit. T. 7. pag. 913.
b) Cit. Dissert. Hist. Crit. pag. 80. et seq.
c) Archi-Diac. de Küköllő Chron. P. II. C. 97. et alior.

„via fidelitatis divertendo, rebellaverat, et permulta tempora „in rebellione permanserat, audita pietatis, ac etiam potestatis „Ludovici Regis fama, ad ipsum personaliter veniens, circa „confinia ipsarum partium ad pedes regiae Majestatis „humotenus prostratus, et ad obedientiam, ac „fidelitatem debitam reductus, solennia munera „xenia, et clenodia praestando, et suum Domi-„num, ac sanctam Coronam recognoscendo, cum „gaudio, et laetitia ad propria remeavit, et ab illo tem-„pore fidelitatem conservavit."

§. 22.

Quod ultra probatur.

Inficiari quidem nequit, post obitum Mariae I[mae] per Hedvigem ejus sororem Poloniae Reginam, quae praetextu paternae sucessionis armis Hungariam impetere meditabatur, Vladum Moldaviae, et Bessarabiae Vajvodam, a clientela Sigismundi abstractum fuisse, sed interruptum supremae potestatis exercitium paulopost ab Hunyadio Gubernatore resumtum, Gnatus ejus Mathias amplius adhuc corroborando plene restituit *) tempore illo in permagnum sane harum partium adversus increscentem in dies Muhamedanorum potentiam tutamen, atque praesidium. Ipse Vladislaus II., Jagellonicae licet originis, Jura Hungariae in has provincias constanter sustentare, propugnareque nullus intermisit. Patet id cumprimis ex instructione; quam Legato suo, ad Turcarum Imperatorem A° 1496 dimisso, elargitus est a), nec non ex illis monumentis, quae in Ederi observationibus ad Felmerum b) continentur **). Unde jurium, de quibus ago, evidentia ad oculum — ut dicunt — evicta est.

*) Inter reliqua luculentum ejus rei testimonium praebent I[mo] litterae Mathiae 1468. ad Polonos, Jus e conniventia Sigismundi porro in haec Regna praetendentes, directae „Duo „sunt — ait in istis Rex — quae nobis per litteras vestras „imputatis, invasionem Moldaviae, tamquam ad Regnum Ve-„strum pertinentis terrae — — — Terram vero illam „Nostri juris esse, antiquissimus, et continua-„tissimus praedecessorum Nostrorum Regum „Hungariae titulus declarat, non quidem inanis, „sed possessione nunquam interrupta munitus. „Nam — ut vetustiora nunc omittamus — post

a) Pray. Annal. P. 4. p. 274. et Katona Op. cit. T. 17. p. 39.
b) Pag. 186.—188.

„memoriam hominum Vajvodae Moldavienses „semper Regibus Pannonicis serviverunt, et pro-„vincia illa nullum habuit Praesidem, nisi hinc „approbatum, vel immissum, usque ut Genitor noster, „qui tantum Gubernator erat, plures illic successive ad libi-„tum, et sine contradictione praefecit Vajvodas etc. etc. [a])“ „Huc dein conspirat responsum, quod Stephano Moldaviae „Vajvodae praelaudatus Mathias in haec verba dedit: „Ex „declaratione Nuncii, et Familiaris Tui, qui per Te cum „litteris credentionalibus destinatus fuit, bonam voluntatem „Tuam, et optimum animum intelleximus; recuperatis jam, „sicut intimas, majori parte bonis, et haereditatibus Tuis, „quas tyrannide, et saevitie Turcarum Imperatoris amiseras, „Nobis, et sacrae Coronae Nostrae serviendo, „Teque offers Nobis ad servitia, quaecunque „Tibi in illis partibus mandaverimus, promtis-„simum, et paratissimum. Scias itaque, Nos Tua obsequia „grato animo recipere, et debito Tibi gratitudines officio pa-„ratos compensare etc.“ [b]). Tum diploma, per eundem Regem Stephano Báthori A° 1477. concessum, in quo — missis reliquis — sequentia reperiuntur: „Tandem vero expulso de „Moldavia Turcarum Imperatore, de Nostro mandato spe-„ciali se, et gentes suas adversus praedictum Bazarad Vajvo-„dam, et Provinciam Transalpinam convertit, ibique ipsum „Bazarad, cum reliquiis Turcarum fudit, et profligavit, ac de „provincia fugere coegit, et alterum Vajvodam, quem „nos elegeramus, in eadem Provincia fideliter reliquit [c]).“

**) Instructionis hujus tenor — quantum ad praesens meritum — ita habet: „Si vero objiceretur Oratori regio non per „Caesarem Turcorum, sed per Regem Poloniae pacem ipsam „violatam, vel diceretur, his malis quae secuta sunt, non „per Caesarem, sed per Regem Poloniae occasionem praesti-„tam esse, quia ipse Rex Poloniae Regnum Moldaviae Cae-„sari magna ex parte, et Regi quoque Hungariae subjec-„tum, potenti manu subintravit, Vajvodamque ejicere voluit, „respondebit Orator: invasionem illam Regni Moldaviae non „ad ipsum Caesarem, sed ad Regiam Hungariae Majestatem „multo magis pertinere, eo, quod Regnum illud ab „initio Regibus Hungariae fuit, et est subjec-„tum, sicuti hoc in omnibus treugarum confec-„tionibus, et litteris treugarum manifeste patet. „Semper enim Moldavia, et similiter Regnum „Transalpinum cum suis Vajvodis penes Regiam

a) Vide toties cit. Dissert. Hist. Crit. p. 89.
b) Eadem Dissert. p. 91.
c) Katona Op. cit. T. 16. p. 73.

„(Hungariae) Majestatem fuit in litteris treuga-„rum inclusum“ [a]). Documentum vero alterius ordinis, per Josephum Carolum Eder [b]) ex autographo vulgatum, sunt litterae Vladislai Vajvodae Transalpini, suo suorumque nobilium nomine exaratae, quaeis totidem verbis recognoscit: „Quod serenissimus Princeps, ac Dominus suus „gratiosissimus Vladislaus Rex, una cum illu-„strissimo ejus primogenito Ludovico Rege ip-„sum in Regno paterno, ac haereditario Transal-„pino gratiose confirmaverit; ideo ille vestigia „antecessorum suorum sequi cupiens, omni fide, „ac inconcussa, ac sincera fidelitate sacrae Co-„ronae inclyti Regni Hungariae, praefatoque „Domino suo gratiosissimo Regi Vladislao ser-„vire se, et adesse perpetuo velle spondet.“

§. 23.

Pariter ac Galicia cum Lodomeria.

Notabiles Poloniae, et Volchiniae tractus, cum districtu Premiszlensi, quos sub nomine Regnorum Galiciae, et Lodomeriae A° prioris saeculi secundo supra septuagesimum Diva Maria Theresia sine armis, simul cum tredecim Scepusiis Oppidis jure Coronae Hungaricae revindicavit *), aliqua sui parte Ladislaus I[us] prae reliquis invasisse fertur [c]). Precariam istam sub intermediis Regibus, atque persaepe interturbatam aquisitionem postea Bela III[us] Andrea filio validis cum copiis ad eam sibi penitus subjiciendam expedito, remotisque provinciae aemulis Wlodimiro, et Romano, quorum ille in custodiam, iste in fugam conjecti fuere, Haliczíam, sive Galiciam, prout in regiis sigillis constanter nominata comparet [d]) armis occupavit [e]), illiusque titulum confestim gerere cepit [f]) a subsequis Regibus Hungariae universis, constanter retentum.

*) Quidnam reapse eotum aequivalentis instar pro cunctis Hungariae, et Bohemiae Regna attinentibus praetensionibus Poloniae cesserit, docet Instrumentum receptionis, A° 1772. die II[a] Septembris per Mandatarios confectum, ac deinde par-

---

a) Pray Anal. P. 4. p. 276. Conf. Katona Op. cit. T. 17. p. 39.
b) In suis ad Felmer. observ. p. 186. et seq.
c) Chron. Thurocz. P. I. C. 58.
d) Conf. Pray in Hist. Reg. Hung. P. I. p. 203. et in ejusd. Op. de Sigill. Reg. et Regin. Hung.
e) Boguphalus ap. Sommersberg. script. rer. Silesit. T. 1. p. 48.
f) Vid. Palma de Tit. et Insig. in Not. ad §. 5.

tium contrahentium ratihabitione corroboratum. Quid inde in specie nomine Galiciae, et Lodomeriae Coronae Hungaricae jure receptum sit, adnotavit accurate Engel [a]).

§. 24.

Quae armis occupata.

Verum laudatus Andreas, cui Pater Regionem denuo acquisitam gubernandam commiserat, uti alibi, sic isthic, etiam variis agitatus fatis, illius jacturam quadriennio vix evoluto subiit [b]), eandemque Vlodimiro, interea e carceribus dilapso, et validis Casimiri Poloniae Regis auxiliis adjuto relinquere cogebatur; paulopost tamen, ubi jam Rex Hungariae esset, iterum recuperatam, Romano Igoreviczio, clientelam professo, Ducis cum titulo attribuit. Isto tandem brevi post a suis propter crudelitatem interemto, poscentibus id ipsum primoribus, populoque Galiciensi, filium secundo genitum Colomannum Regem praefecit [c]).

§. 25.

Deinceps nexu clientelari.

Evenit itaque ex allatis, provinciam hanc, a Bela III. in primordiis jure armorum conquisitam, eotum stricte territorium subjectum constituisse, at postquam Andreas II. volentibus Principem dederat, nexu deinceps clientelari ad Coronam Hungariae pertinuit, quae nonnunquam, praesertim Ludovici I. aetate, per Vajvodas regebatur.

§. 26.

Regi Hungariae, qua tali, suberant.

In divergentem a nostra, et communi hactenus opinione abiit Gustermann [d]) adstruendo, dignitatem regiam ab Halicziensibus Belae III., hujusque filio Andreae, libero consensu delatam, neutiquam in Coronae Hungaricae, verum privata regnantis Arpadianae Familiae jura concessisse. Argumenta, quae profert, sequentia sunt: I) Haliczienses haud eundem, qui sceptrum Hungariae tenebat, Belam III., et postea Andream, sed utroque in casu filios Regum secundogenitos ad Principatum optarunt; id utique non facturi, si

a) Geschichte von Halits und Wladim. p. 239. et seq. edit. meae.
b) Boguph. Op. et loc. cit.
c) Litt. And. ad Innoc. III. Pont. de A° 1214. ap. Baluz. ad h. a. Dlug. Hist. Polon. L. 6. p. 604. it. Pray op. et pag. paul. ant. cit.
d) Ungarns Staatsrecht. 1. Band. §. 109.

se Coronae Hungaricae, atque hanc legitime gestanti Principi subdere voluissent. II) Per id, quod Bela, quantumvis non illum, verum filium Andream Galicienses elegerant, niholominus Regni hujus titulum assumserit, adparere, quod Galiciam pro familiae suae peculio habuerit; omnemque in casum simultaneam etiam utriusque Regni, Hungariae videlicet, et Galiciae possessionem identitatem regnantis Personae tantum, non Juris quoque ostendere; quemadmodum separata Hungariae, et Bohemiae Regna sub eodem Imperante exemplum hodie praebent. III) Galicienses nunquam Comitia Hungarica frequentasse, non tributum in aerarium, non causas ad Tribunalia Hungarica detulisse.

§. 27.

Argumenta Gustermanni.

Argumenta haec singula dum expendenda resumo, non amplius questionem ingredior, num armis, utrum spontanea populi invitatione Andreas, regnante adhuc ejusdem Genitore, habenas Galicienses capessiverit? Boguphalus quidem vetustissimus hanc in rem scriptor de Regno Galiciae, sponte Regis filio oblato, nihil profecto memorat, neque illud hic dubium solvit, qua via, quove modo Andreas ad eum Principatum eluctatus sit? sed evincendum restat, Galiciam separatam penitus ab Hungaria, nulloque clientelari nexu colligatam perstitisse, quod profecto Argumenta Gustermanni minime evincunt.

§. 28.

In Contrarium.

Peto enimvero legem, statutum, vel saltem morem continenter observatum mihi monstrari, vi cujus Provinciae clientelari, aut alio quocunque titulo Monarchiae Hungaricae conjunctae, immediate tantummodo per Regem Hungariae coronatum gubernandae fuissent? Nam tunc solum argumento, primo loco adducto, ponderis aliquid inesset: at at multoties apud nos, ut aevo medio alibi Gentium, contrarium obtinuit. Novimus ab Andrea I. ejus fratri Belae: regnante vero Salomone, fratruelibus Geisae, et Ladislao tertiam Hungariae partem obtigisse. Scimus ab hoc ipso Ladislao Croatiam Almo Nepoti, hanc item cum Dalmatia a

Bela III. filio Emerico, et sic vario tempore aliis regiis prolibus Ramam, Bosniam, Transilvaniam Regis vel Ducis titulo concessas, relictasque, quis inde omnes eas Provincias a Corona plene avulsas, et nec clientelari, neque alio nexu porro eidem conjunctas permansisse praetendet?

§. 29.

Refelluntur.

Ex eo proinde, quod Bela III. non se, sed filium denuo adquisitae ditioni praefecerit, natura privati familiae peculii nullatenus consequitur. Titulus autem Galiciae, per Belam retentus, retenti cum hoc simul supremi dominii, Majestatisque potius, nisi contrarium manifeste demonstretur, indicium praebet; et exemplum a Bohemia desumtum, quam Domus Austriaca diverso prorsus jure consecuta est, hodieque possidet, quam infirmum sit, et inapplicabile ad Galiciam, cujus titulus, jura virtualia, ipsaque revindicatio Augustae Domui a Corona Hungariae accesserunt, nemo unus non intelliget.

§. 30.

Continuatio.

Frustra denique fiunt ad rem praesentem criteria illa connexionis, a Gustermanno in comprobationem novae suae opinionis recensita: Nonne Serviam, Bulgariam, et Valachiam cum Moldavia ipse agnoscit ultro ad jura Coronae Hungaricae spectare? [a]) An istae unquam in communionem jurium comitialium, Judiciorum, administrationisque cum metropolitano Regno devenerunt? Scilicet alia est, ut alibi memineram, incorporatorum, sociorumque Regnorum: alia clientelarium ratio. Cujus differentiae adversarius noster fors sponte etiam isthic recordari neglexit. Pugnant ab adverso pro nostra, imo universali saeculorum opinione complura adhuc, et gravia rationum momenta, ab egregiis Auctoribus omnimode illustrata [b]), et a factis Regum nostrorum continuis, eorumque tractatibus desumta, quorum nonnulla in sequentibus adducentur.

a) Op. cit. p. 115.
b) Utpote Pray, Kollar, Palma, Benzur, Katona et ab aliis recentioribus.

§. 31.

Vestusta Galiciae Administrationis forma.

Quantam olim in interna Galiciae, et Lodomeriae administratione Reges nostri partem ceperint, quae legum ibidem vigentium cum Hungaricis analogia, qualia jura municipalia locum habuerint, erui in summa istorum omnium obscuritate hactenus non potuit. Id omnino ex iis, quae ipsi paulo ante veritale duce tacite concessimus, in aprico est, non illam horumce Regnorum ad territorium metropolitanum fuisse relationem, ut sive per immediatum influxum in legislationem, seu absolutam quamdam Legum Hungaricarum participationem, incorporatas fuisse, pronunciari valeat. Non me latent quidem binae donationes, ad commonstrandum Legum Hungaricarum exercitium e publicis Regni Comitiis allegatae *). Prayum etiam similes ex Archivo Camerali extraxisse, non sum nescius; quibus privilegiis attamen, etiamsi bona his collata intra Galiciae limites exstitisse undique evictum foret, res confecta necdum erit; cum constet, a Regibus Hungariae in accessoriis, et beneficiario titulo obnoxiis Ditionibus aeque donationes interdum factas fuisse.

*) Regnicolae Hungariae A° 1807. in Comitiis congregati, duas donationes produxerunt [a]), unam super castro Missina Ludovici I.; et alteram super parte vici Dimitrovich Mariae I. Palugyaianae familiae datas. Intuitu quarum jure observandum venit, ex prima nullatenus colligi, castrum Missina non intra Hungariae, verum Galiciae limites perstitisse, et hoc ipsum alterius ordinis privilegium magis probabile reddit, sicut enim objectum isto posteriore collatum, indubie in Galicia situm erat, ita traditio non jam per Hungaros, vel more nobis usitato, sed per totius Russiae Capitaneum, vel Castellanum, juxta consvetudinem Regni Russiae peragi diserte jubetur. Atque hinc una legum, et consvetudinum diversitas sufficienter adparet [b]). Nec igitur aliud his, et subsequentibus Comitiis postularunt amplius Status, et Ordines, nisi ut lege declaretur, Galiciae, et Lodomeriae Regna jure Regis Hungariae possideri [c]).

---

a) Vid. haec Doc. in Act. Com. d. h. a. p. 258. et seq.
b) Conf. cit. Dissert. hist. crit. p. 145. et seq.
c) Acta Comit. A° 1807. 1825. et 1830.

§. 32.

Transilvania pars integrans Hungariae.

Transilvaniam, quam Anonymus Tuhutumo e septem Capitaneis uni ab Arpado donatam dicit [a]), et Prayus administrationis duntaxat titulo concreditam existimabat [b]), beneficiario nomine fuisse collatam, verosimillimum videtur. Quo supposito, facilem habet explicatum, cur S. Stephanus Pronepotem Tuhutumi Gyulam obsequium, fidemque detrectantem, custodiae mancipaverit, et ejus ditionem in suam redegerit potestatem.

§. 33.

Dein a propriis Principibus gubernata.

Regebatur ab hoc tempore Transilvania subinde per Vajvodas, Comitesque Siculorum, a Regibus nominatos, et tamquam pars integrans Hungariae iisdem legibus, et judiciis; concurrebat per Vajvodam, ac interdum, tametsi rarius, per Nuncios ad Regni Comitia, ut decreta ipsa clare perhibent [c]). Fruebantur Nobiles ibidem degentes ad Nostros usque dies iisdem cum caeteris Regni Nobilibus, privilegiis, et praerogativis, atque hac sub forma Hungariae conjuncta perstitit ad cladem usque Mohacsianam. Qua ratione ista dein post pacem inter Ferdinandum, et ejus Corrivalem Joannem de Zápolya, Varadini A. 1538. conclusam, huic ad dies vitae, uti conditio 7[a] affatim perhibet, cum notabili reliquae Hungariae portione cessa, et ab Joannis Regis obitu mox iterum Isabellae Reginae, tum istius Filio Joanni Sigismundo postea variis Transilvanicae, et Hungaricae originis, adjecto Principis titulo, semper tamen sub futurae reincorporationis conditionibus obtigerit, historia, tractatus *), et leges [d]), ostendunt. Mansitque tota hac epocha Transilvania Regibus nostris clientelari nexu indubie obnoxia, ut hunc Principes pene omnes partim turcarum potentiam veriti, partim aliis de causis frequentissime violaverint.

---

a) Op. cit. C. 24.
b) Hist. Reg. Hung. in not. praev. P. II. §. XVII.
c) Kovachich in Vest. Com. Diaet. in Camp. Rákos A° 1525. celeb. Art. 37. it. 1553. 15. Conf. Schaesenm in Ruin. Pannon. edit. Eder p. 120.
d) 1552. 1. 1595. 56. Vid. Conv. cum Bocskay init. in Cod. dom. 1606. et 1608. 19. p. C. 1613. 5.

*) Exemplum Tractatus similis, a Rudolpho Imperatore, ac Rege cum Sigismundo Bathorio initi, et subsequentibus Comitiis ratihabiti, Codex domesticus suppeditat [a]), in quo et aperta nexus clientelaris vestigia, quantumcunque Jus Feudi exceptum compareat, et conditio futurae reapplicationis clarissime exprimuntur. Idem Conventiones posteriores cum Stephano Bocskay, et Gabriele Bethlen facta praeseferunt. In illa praecautum fuit I.) „Ut ipsa Transilvania Regno Hungariae „incorporata maneat. II.) Ut Bocskay in recognitionem „Superioritatis quotannis munera quaedam Suae Majestati Cae„sareo Regiae; ac ejusdem Successoribus legitimis Regibus „Hungariae per certum hominem offerat. III.) Ut nuncios „semper ad Diaetas, quando eae celebrabuntur, mittat. IV.) „Ut ipso e vivis decedente, Transilvania cum partibus ad „Hungariam spectantibus, et ipsi assignatis rursus cum omni„bus suis proventibus, et pertinentiis integre, et sine omni „tergiversatione, ac impedimento ad Regnum, et Regem devol„vatur, et liberum sit Regi pro suo arbitrio de iisdem dispo„nere. V.) Ut hunc in finem, et casum Bocskay, similiter ejus „consanguinei, et affines scripto sigillato, et subscripto renun„cient, se nihil juris in perpetuum ratione hujus concessionis „vel ad Principatum, vel ad Transilvaniam nullo unquam tem„pore praetendere velle etc.“ [b]). In binis Tractatibus autem, quos cum Bethlenio Mathias A° 1615 die 6ª et 16ª May pepigerat [c]), concessa Transilvanis libera Principes eligendi potestate, eo non obstante Transilvania a Corona Hungarica inabalienabilis pronunciatur; et libera electio eousque solum duratura decernitur, donec Dei beneficio Buda, et Agria a potestate Turcarum (nisi antea voluerint) eliberabuntur, qua eliberata, Transilvania cum partibus sibi adnexis in pristinum Statum, uti tempore antiquorum Regum per Officiales Regios gubernata fuerat, redeat.

§. 34.

Sub Leopoldo I^mo.

Liberata victricibus Leopoldi Imperatoris armis a jugo Turcico Hungaria, postque voluntarium Michaelis Apaffy a Principatu decessum, Transilvania quoque ad avitum rediit Dominum, a quo, ut Status Transilvaniae litteris subjectionem Leopoldo, et ejusdem filio primogenito Josepho spondentibus profitentur, ipsi „fatorum invidia, et ambi-

a) 1595. 56.

b) Katona Op. cit. Tom. 28. p. 502.

c) Priorem vid. ap. Katona e MSS. Batthyán. Op. cit. T. 29. p. 583. et seq. Alt. text. huc. fac. in cit. dissert. hist. crit. p. 192.

„tiosis nonnullorum ausibus segregata erat, et amplectitur „paternam, et validissimam protectionem Augustissimi Leo- „poldi I. Romanorum Imperatoris, et Hungariae Regis hae- „reditarii, magni, et felicis, justi, et invicti, ejusdemque „successoris, moderni serenissimi. Regis Josephi (cujus „vitam, et thronum Deus sospitet) prout in novissima Diaeta „Posonii declaratum est, ex universali Statuum consensu, „votisque unanimibus, quae a multo tempore ad consequen- „dam hanc felicitatem in sinum misericordiae divinae effu- „dit etc.“ [a])

§. 35.

Ad Hungariae Coronam reapplicita.

Et sane Transilvaniam ad Coronam duntaxat Hungariae recipi potuisse, receptamque etiam fuisse, docent jura quinque saeculorum usu, haud interrupto, primum radicata, tum continuis pacificationibus, tractatibus, legibus sustentata, ampliusque confirmata. Istud denique regnantis eotum, Provinciamque recipientis Regiae Majestatis minime dubia professione *) palam agnitum est.

*) „Supremi Regii nostri muneris — ait Leopoldus in Di- „plomate A[ni] 1691. [b]) — esse dignovimus, carissimam hanc „Transilvaniae Regionem, jam a saeculis inclyto no- „stro Hungariae Regno assertam, — — — velut „animam nostram amplecti;“ et alibi [c]) „Transilvaniam „antiquissimum Hungariae Regni membrum no- „minat, olim per injuriam temporum ab eadem „avulsum etc.“

§. 36.

Hoc titulo.

Urserunt praemissis e fundamentis serius iteratim Ordines Hungariae, legitime in Comitiis congregati, unionem integrantis hujus Regni partis, triumque Comitatuum, antea stricte Hungaricorum, utpote Szolnok mediocris, et Krasznensis, cum Districtu Kövár, nec non Zarándiensis qua sui parte ad Hungariam de facto necdum pertinebant, neque a Principibus nostris aequitas postulati negata fuit.

---

a) In Dipl. Leop. Claudiop. A. 1791. edit. conf. cit. Dissert. hist. crit. p. 193.

b) Vid. mod. cit. Dipl. Leop. in dip. ad hunc. ann.

c) In cit. Dissert. Hist. Crit. p. 194.

§. 37.
A Regibus Hungariae possidetur.

Post apertam quippe Mariae Theresiae professionem, publicis constitutionibus insertam [a]) „quod Transilvaniam, „veluti ad S. Regni Hungariae Coronam pertinentem tam „Eadem, quam Successores sui qua Reges Hungariae possi- „debunt, et gubernabunt“ dein Francisci Nepotis, meritum arctioris hujus nexus amplius elucubrandum decernentis anno saeculi hujus trigesimo sexto tres illi Comitatus, paulo ante comemorati, quoad cuncta negotia publica Regno Hungariae plenarie, et integraliter pro incorporatis declarantur [b]), cujus in effectum ad insequentem Regni Conventum regiis convocatoriis litteris supra nominati Comitatus, ut suos per Nuncios compareant, inviati fuerunt.

§. 38.
Littorale Hungaricum.

Iterum Maria Theresia Augusta, augendo commercio provide intenta, tractum ad Croatiam maritimam, et aliqua sui particula ad Dalmatiam spectantem, loca facile triginta, in distinctum A. 1776. evexit Districtum; adjecit praeterea tamquam separatum — ut verba Resolutionis 23[a] Aprilis 1779. editae tenent — S. Regni Hungariae Coronae adnexum Corpus Civitatem Fluminensem — aliquando pagus S. Viti — atque tam hujus, quam et Buccarano in liberos portus evecto, universum eum tractum sub nomine Littoralis Hungarici speciali Gubernio, quod Flumine residet, subordinavit; efformavit eodem tempore ibidem Comitatum Severinensem, illiusque Supremum Comitem Gubernatorem Fluminensem esse volebat, sed Comitatus iste paulo post iterum sublatus est.

§. 39.
Non est Provincia separata.

Nequaquam ergo Littorale Hungaricum separatam aliquam constituit Provinciam, nec quidquam Regionis hoc

a) 1741. 18. §. 1.
b) 1836. 1.

titulo Coronae Hungariae, praeter Civitatem Fluminensem suo cum districtu, istud vero etiam magis postliminio, accessit. Et quantum quidem ad reliquam ab isto Regionem attinet, dubium caeteroquin nullum esse potest, eandem e Comitatu Modrussensi, et Vinodolensi, secus quoque ad Partes Hungariae adnexas jam olim spectantibus, tum e caeteris juris potissimum Frangepaniorum, et Zriniorum ditionibus conflatam fuisse *). Quoad Flumen solum, quam Urbem jure ad Goritiae Comitatum spectare praetendebant, ex parte Ducatus Carnioliae intercedebatur aliquando, nihilominus excussis Tabulariis liquido patuit: Civitatem Fluminensem a Comitibus Modrussensibus, qui Dalmatiae Comitatus a Bela III[io] creatus fuit, circa annum 1312. ad Familiam in Istria degentem transvisse, indeque longo sat tempore Feudi instar per Austriacos Principes fuisse collatam.

*) Manifestum id faciunt leges quam plurimae et anteriores, et praecipue illae, quas ad Regni jura tuenda, ac sustentanda sancire visum fuit, cum bona illa in Fiscum publicum subinde renacta, per Graecensem in Styria Cameram administrabantur [a]). Hoc eodem fundamento A° 1765. cautelam interposuere Regnicolae, decreto comitiali expressam, adversus Littoralis austriaci compellationem, quae passim his Ditionibus dari coeperat [b]).

§. 40.

Quod situs ejusdem ostendit.

Situs ipse geographicus, Flumen in veri nominis Dalmatia perstitisse, satis superque indicat, quae, ut vel superius (12) attactae abdicationis tabulae manifeste designant, a medietate Gvarnarii, usque ad Confines Durazzii extendebatur. Nec unquam Civitas ista ullius Provinciarum austriacarum dominationem agnovit, vel agnoscere cogebatur, sed distincte ab ipsis Imperatoribus considerata fuit, ut Magistratus, Populusque Fluminensis apertissime docuerunt [c]). Desino amplioribus probis immorari [d]), quae eum tandem produxere effectum,

---

a) In exemplo 1681. 71. — 1687. 22. — 1715. 116. et aliae.

b) Anni hujus Art 30.

c) In Libell. Supplic. Regi et Regno Anno 1790. et 1792. exhib. Conf. Act. Com. hor. ann.

d) Conf. Pray Hist. Reg. Hung. T. 3. p. 55. Item cit. Dissert. hist. crit. pag. 198. et seq.

ut Flumen Civitas, Portusque legibus publicis ad Hungariam pertineret [a]).

Caput III.

De Jure Finium, et activis Regni Praetensionibus.

§. 41.

Activae Coronae Praetensiones.

Jacturam veteris amplitudinis, ut florentissima persaepe Imperia, ita Hungaria quoque fatorum adversitate, et — quod triste dictu — propria haud raro culpa experta est. Amisimus Dalmatiam pene integram occasione illa, quum factiosi Ladislaum Dyrrachyinum Siciliae Regem ad capessendum Regnum evocaverant, a Venetis centum aureorum millibus, huic praevie depositis, occupatam [b]). Nec qua sui parte maxima amissa erat, ad veterem Dominum, nisi recentissimis temporibus, per Conventiones scilicet Parisinam ac Viennensem A. 1814. et 1815. rediit, nec postea Regno ipsi, uti olim, nexu conjuncta fuit. Ob causam similem cedenda fuerunt ejusdem Sigismundi aetate ad tempus Polonis Regna Galiciae, et Lodomeriae, prouti mutui regnantium utrinque Principum Tractatus, semel, iterumque firmati, dilucide ostendunt [c]), post trium tandem Saeculorum intervallum Jure Coronae Hungaricae revindicata. Perduxit ad jugum Turcicum clades Mohacsiana, discordia Civium, omnis auctoritatis contemtu insigniter accelerata, praeter Croatiae partem, quam totam fere Unna, et Verbasus amnes alluunt; Bosniam, item Serviam, Bulgariam, Valachiam, et Moldaviam [d]). Transilvaniam ipsam simultates popularium, et divisa factionibus Studia a matre Regno averruncarunt, prout cuncta fuse Historiae explicant.

---

a) 1807. 4.

b) Luc. op. cit. et Albinon. Lib. cit. p. 215.

c) Tract. Lubl. A. 1412. per subs. A° 1423. robor. vid. ap. Dogiel. Cod. Dip. T. 1. p. 46. et 52. Item Engel. Geschichte von Halits und Vlad. ed. meae p. 93. et 130. nec non Vorl. Ausführ. d. Rechte auf Roth-Reußen und Podolien. p. 14. et seq.

d) Vid. post. mult. Gebhardi et Pray in Op. saepe prov.

§. 42.

E generalibus.

Quaeritur ergo merito: quid juris supersit Coronae, Regibusque Hungariae in Provincias olim suas? Ad quam quaestionem integre enodandam praevie indagare expediet, quibus in jure finium principiis utendum sit, ne quid injuste suscipiatur. Non enim quaevis possessorum recuperandorum occasio, et ratio quantumvis opportuna hoc ipso justitiae semper convenit; verum ea demum, quae non abhorret a regulis, quibus praetensiones de finibus inter liberas gentes necessario judicare oportet.

§. 43.

De jure finium Principiis.

Prima regula haec esto: Quae semel in potestatem, et territorium Civitatis rite devenerunt, in ea jus illi perpetuum manet, nisi deinceps iterum justa, ac legitima intervenerit mutatio. Altera: Eam autem mutationem nonnisi pro legitima esse habendam, quae mutuo partium consensu expresso, vel tacito, valide utrinque interposito, ac sufficienter declarato nititur [a]). Tertia: Praescriptio, quam inter gentes liberas alioquin negant plerique [b]) obtinere, quantumvis diuturno innitatur tempori, rei derelictae idoneam conjecturam relate ad provincias avulsas, occupatasve, ibi certe omnium minime suppeditare potest, ubi actus positivi contrarium docent; Quarta demum: Fines Regni in perpetuum, assentiente tantummodo populo, valide abalienantur, quando consensus iste pactis fundamentalibus reservatus habetur, tametsi extrema, atque evidens necessitas quandoque aliud vel suadeat, vel extorqueat. Generalia haec sunt de Jure finium principia, uni-

---

a) Moscov. in Princ. Jur. publ. Germ. L. 2. C. 1. §. 3. 4. et seq.
b) Brünig de praescript. Juri Gentium incognita aliosque recent.

versam ejus doctrinam Scriptores clari nominis [a]) data opera aliquando prosequuti sunt.

§. 44.

Hungariae adplicitis cognoscendae sunt.

Adplicemus jam ad Coronam Hungariae indubitata haec criteria: Provincias ad eandem olim pertinentes legitime fuisse possessas, ut e paulo praecedentibus dilucide — quantum mihi videtur — perspeximus, sic per injuriam avulsas, nisi omnis Historiae ignarus, seu partium studio captus exsistat, nemo unus inficias iverit. Anne defendi valebit Dalmatiam post adeo legitimam ac solennem abdicationem, qualis Ludovico Rege in favorem Regni sui Hungariae a Venetis facta fuerat (12), abdicantibus per Principem alienigenam usurpationis ambitu foedatum vendi, perque illos absque ulla data causa valide occupari potuisse? Vel forte Hedvigis, hujusque maritus Uladislaus Jagello, dum sine ullo justo augendorum finium titulo Russiam rubram, Bessarabiam, Podoliamque Mariae I[mae] vi, fraudeque ademtam, et a Sigismundo postea toties repetitam restituere detrectarunt, jura Coronae Hungaricae in ditiones, ei adhuc sub domesticae Stirpis Regibus obnoxias, exstinxerunt? Vel denique barbarorum furor Europae excidium inferre aestuans pro justa causa fuerat Hungariae tantam jacturam inferendi?

§. 45.

Quae praetensionibus.

Nullo etiam speciali facto evincitur, Reges nostros aliquando Provinciis sive his, sive reliquis legitime partis, ac per injuriam amissis renunciasse; at vero contrarium non unius generis actus solennes manifestum reddunt. Talis est enumeratio illarum in regio titulo continuo visibilis. Mos in hanc nostram aetatem retentus occasione Inaugurationis amissorum Regnorum Insignia, in totidem vexillis conspicua, coronando Principi praeferendi, luculentum item juris regii exercitium in nominandis Episcopis ad Dioeceses olim partium amissarum, juxta normam Re-

---

[a]) Grotius de Jur. Belli et Pac. — Sam. Puffendorf, in Jur. Nat. et Gent. — Rösig. Vattél uterque in Völkerrecht ꝛc.

gibus Hungariae propriam *). Quoties dein Jura sua in Dalmatiam Sigismundus [a]), Mathias [b]), Reges alii allegarunt? Quantus Hungarorum non minus, ac Odrisiorum sanguis ob ditiones, ab eorundem mancipatu recuperandas, profundebatur, intuitu quarum pacificationes, cum semper ad certos duntaxat annos initae fuerint **), satis indicant, his evolutis Jus pristinum substitisse.

*) Quales e pluribus: Arbensis, Sibenicensis, Pristinensis, Corczolensis in Dalmatia Veneta erant. In Ottomanorum nunc potestate Drivestensis (Drivusto), Scuttarensis (Iscodar), Scopiensis (Uscup) etc. etc. [c])

**) Uti missis anterioribus sub Leopoldo I. Carloviczensis A° 1699., ad 25 — Belgradiensis vero sub Carolo VI. Caesare A° 1739., ad 27 annos duraturae coaluerunt [d]). Idem in pace postrema Sistoviensi obtinuit.

§. 46.

Nec quidem in Galiciam, et Lodomeriam.

Pari constantia Reges nostri sustentarunt Jura in Galiciam, Lodomeriam, Valachiam item, ac Moldaviam adversus Polonos, qui haec ambigua reddere non una vice adnitebantur. Docent id abunde longae illae disceptationes, quae Regibus nostris ab aetate Sigismundi frequentissime cum Regibus Polonorum intercesserant. Obvertebatur quidem ex parte Polonorum, cessum aliquando fuisse qualicunque etiam in has Provincias Juri occasione illa, dum A° 1587. Maximilianus, Archi-Dux, Rudolphi Caesaris Frater, a quibusdam Rex Poloniae postulatus, dein vero ab adversae partis asseclis interceptus, detentusque, omni ad Coronam Poloniae titulo, jurique una renunciare coactus fuit, quam renunciationem postea Caesar quoque confirmavit. Verum missis reliquis, ab aliis solide in obversum allatis [e]), respondere sufficiat: nec Caesarem Rudolphum a juribus Coronae recedere, multo minus Maxi-

---

a) Pray Hist. Reg. T. 2. p. 265.
b) Dlug. rer. Polon. L. 13. Col. 461.
c) Vid. Hübners Staats-Zeitung und Conversations-Lex.
d) Katona Hist. crit. T. 36. p. 122. et seq.
e) Conf. Palma in dissert. de pecul. tit. et Insig. M. Mariae Ther. a. p. 172.—182. Engel Geschichte von Hal. et Vlad. Vorläuf. Ausführ. der Rechte Ung. auf Roth-Reußen und Podol.

milianum Archi-Ducem de his disponere, atque eidem praejudicium simile inferre potuisse.

§. 47.

Haud unquam renunciavit.

Ut enim in perpetuum similibus Juribus renuncietur, praeter consensum Regis, consensum Nationis necessario omnino requiri; argumento sunt leges [a]), et manifestiori adhuc prae caeteris Diplomata inauguralia [b]), ac Jurisjurandi formulae solennes, quibus se Reges Hungariae singuli in ipso Imperii aditu disertis verbis obstringunt, se fines Regni, et quae ad illud quocunque titulo pertinent, non abalienaturos, quaeque hactenus recuperata essent, vel Deo adjuvante recuperarentur, Regno de toto reincorporaturos *). Quod publicum, et toties repetitum Populi desiderium, cujus implementum Principes nostri palam spondebant, indicio est luculentissimo: Hungaros suis cum Regibus juribus Regni nunquam cedere voluisse; ut proinde conjecturae, a silentio petitae, hic locus appingi nullatenus possit.

*) Adnotari in rem praesentem meretur Articulus 21us e Decreto Andreae III., ut ut historici solum vigoris aeque, ac constitutiores caeterae Codicem domesticum haud ingressae, quae proinde fori auctoritate carent. Ita vero ille „Etsi aliqua pars „Regni quocunque titulo, vel colore per quemcunque Regum „alienata exstitisset, teneatur revocare, et idem Dominus Rex „ad Jus regium ut Regnum Hungariae quasi quoddam Jus „totum suarum possit partium integritate gaudere, sententiam „ipsius Archi-Episcopi Colocensis, quam de consensu Praela- „torum Regni esset incursurus, si hoc legitimo impedimento „cessante, idem Dominus Rex neglexerit emendare“ [c]). Est vero Articulus iste tanto memorabilior, quod eum Wladislaus II., etsi Rex simul Poloniae foret, cum reliquis ejusdem Decreti Articulis confirmaverit. Sed praeterea etiam, quod Reges nostri haec de jure principia jam ab olim recognoverint, inter complura, nominatim Andreae II., Ladislai Posthumi, Mathiae Corvini exempla testantur.

---

a) 1439. 14.

b) Vid. Diplom. Inaug. a Ferd. II. usque Imperatorem Austriae ejusdem nominis I.

c) Kovachich in Vest. Com. Supp. T. 1. p. 118.

§. 48.

Observatio.

Solennis attamen sponsio de reincorporandis iis, quae fatorum adversitate aliquando amissa, in posterum recuperarentur, nequaquam Principibus nostris jus tribuit, nec obligationem — quod a nonnullis imprudenter nobis oggerebatur — praescribit, pacta conventa, transactionemve legitime initam pro arbitrio disrumpendi, verum hoc tantum subaudit, ut quando per justas rationes Provinciam ad regni Coronam pertinentem revindicari contigerit, haec iterum Hungariae applicetur. Nec erat alia unquam Regnicolarum de jurata ista Regum suorum sponsione opinio, profecto aequitati non minus, quam universali de jure Gentium doctrinae apprime consentanea.

Caput IV.

De Divisione Hungariae.

§. 49.

Hungariae Divisiones variae.

Divisionem Monarchiae in Territorium metropolitanum, et partes adnexas jam praemisimus (2), Hungariam sensu strictiori acceptam quod attinet, ejus in superiorem, et inferiorem vulgatissima quondam divisio fuerat *), exteris quoque usitata; superiorem dixerunt regionem cis Danubium, qui Regnum medius fere interlabitur, positam; oppositas pro inferiori habebant. Invaluit tardius partitio in quatuor Districtus, seu Circulos, nomine a praecipuis fluviis desumto, nempe in c i s. e t t r a n s D a n u b i a n u m, atque c i s, e t t r a n s T i b i s c a n u m, neque id sine quodam simul in publicam administrationem influxu. Nam Tribunalia judiciaria, vulgo Tabulae Districtuales tanto numero erectae [a]), totidemque Commissarii procurandae rei tributariae primitus constituti [b]), parique numero districtuales militiae insurrectionalis Capitanei, dum obtinebat [c]), demum omnes Hungariae Comitatus pro eo, ac in uno horum Circulorum consistunt, ad classem Danubianorum, aut

---

a) 1723. 30. et 31.
b) Anni ejusd. art. 100.
c) 1740. 63. et alii.

Tibiscanorum referuntur. Hungariae Comitatus dico: qui enim in Sclavonia, aut Croatia sunt, eos nulli horum Circulorum accenseri nemo nescit.

*) Audiebantur interdum aliae etiam ejus divisiones, velut in descensus [a]), a Simone de Keza commemoratos [b]), in septem Capitaneatus; in citeriorem, et ulteriorem; in regalem et ducalem; sed dubiae pleraeque, et obscurae; praesenti sane Hungariae Statui minime convenientes [c]).

§. 50.

Praecipua in Comitatus.

Momentosiorem prae cunctis jure dixero divisionem Hungariae in Comitatus, qui verosimiliter a Comitibus eorum praepositis genericum hoc nomen retulerint; speciale singuli, uno forte, alterove excepto, a notabili quodam Castro sortiti, actu retinuerunt, indeque nativi idiomatis compellatio „Vármegye“ indubie processit; haec enim indicat regionem suos intra limites ad castrum pertinentem. Interdum Comitatus etiam Megae*), et Párochiae, a Graeco Παροιχια, quandoque Provinciae quoque in Diplomatibus vocantur.

*) Megae nomen repetitim in Decreto Colomanni [d]), frequentius adhuc saeculo XI., atque deinceps Parochia pro Comitatu comparet, uti in legibus Ladislai I. [e]), ejusdemque litteris Ecclesiae Veszprimiensi concessis [f]), quibus Parochia de Zala et Veszprim memorantur; sileo monumenta reliqua, ab aliis prolata. Provinciae cognomento in vicem Comitatus idem Ladislaus [g]), et Bela III. [h]) utebantur.

§. 51.

Originis perantiquae.

Quod hujus divisionis originem in Comitatus attinet, eandem aetate divi Stephani utcunque exstitisse, e legibus [i]) diplomatibusque *) colligimus; licet itaque nullum testimonium aperte evincat, exordia Comitatuum cum regia

---

a) Botka not. Diplom. veter. Const. Comit.
b) Chron. edit. Horány. p. 69. et alibi.
c) Ig. St. Horváth Inst. jur. publ. Hung. 38.
d) Lib. I. C. 12. et 37.
e) Dec. L. 3. C. 16.
f) Katona Hist. crit. T. 2. P. 2. p. 424.
g) Dec. L. 3. C. 13.
h) Vid. Cod. Dip. Georg. Fejér T. 2. p. 228.
i) Dec. L. 2. C. 38. 42. 43. et 44.

dignitate fuisse, enata, neque ignorem Anonymum complurium sub Arpado fecisse memoriam [a]), quorum aliqui fuerint, non fuerint haeredii titulo Ducibus, vel Capitaneis donati, alii ad gubernandum duntaxat assignati, plerorumque attamen institutionem, certe rectiorem coordinationem primo Regi nostro deberi, constans docuerat traditio.

*) Pro exemplo est Diploma percelebre Monasterio in monte Pannoniae datum, in quo „volente — ait — Comite „quodam Sümeghiensi paterna me sede depel„lere“ Vel alterum collatum Ecclesiae Veszprimiensi de A° 1009., innuens „Villam unam in Veszprimiensi Comitatu, tres in Albensi existere.“

§. 52.

Numerus Comitatuum olim.

Numerum Comitatuum diversum pro tempore, quantus quolibet reapse fuerit, disquirere ad veterem Regni Geographiam pertinet. Variabant enim de hoc Scriptores vehementer, nam Otto Frisingensis septuaginta et amplius [b]); Ludovicus Tubero sui temporis Comentarius [c]) magis determinate cum Rogerio [d]) septuaginta duos habere Hungariam adscripsit; eundem numerum in quodam diplomate Belae III[ii] per Fejérium vulgato [e]) defigit. Tardior his aetate Verböczius iis, qui modo etiam existunt, Köviensem, Haraniensem, Severinensem, Valkonensem, pluresque adjungit [f]). Alii alios, plures pauciores recensent. Quid mirum itaque, si nec Belio [g]), nec Timoni [h]), Benzurio [i]), Prayo [k]). Kollário [l]) de hac re satis convenit, et saepe pro regni Comitatibus ditiones etiam, terrarumque tractus ejusmodi a nonnullis proponantur, quos vel Arpadus adhuc, et subsequentes Duces Gentis Primoribus pos-

a) Anonymus C. 12. 15. 18. et 34.
b) Hist. Frid. Imp. L. 1. C. 31. p. 212.
c) L. 4. §. 10.
d) Miser. Carm. Clad. Tart. C. 10.
e) Cod. Dipl. T. 3. p. 217.
f) Conf. Corp. Jur. P. 2. adnex. Syllab. Comit.
g) Not. Hung. novae.
h) Imag. Hung. novae.
i) In Not. ad Christ. Aug. Beck. Jus. pub. Hung.
k) Not. praev. ad Hist. Hung.
l) In Amoen. Hist. et Jur. publ.

sidendas assignarunt, vel sub Regibus, adnexo Comitatus titulo, in praedia, et possessiones bene meritis indigenis, aut advenis fuerunt donati. Aevo moderno unitos per legem pro uno duntaxat — ut debent — summendo, quinquaginta quinque in Hungaria, atque Partibus adnexis, Transilvania hic non intellecta, numeramus. Supermanent praeterea Districtus nulli Comitatuum adscripti partim civili, quam distinctionis causa sic compellamus, partim militari gubernationi subjacentes, Confinia nempe militaria.

§. 53.

Divisio Sclavoniae, et Croatiae.

Sclavonia abit in Statum provincialem, et militarem. Ille Comitatus tres Verböczensem, Poseganum, et Syrmiensem, hic tres legiones complectitur, Gradiscanam, Brodensem, et Petrovaradiensem. Nec alia est Croatiae ratio, nam et haec tribus modo constat Comitatibus, Zagrabiensi, Varasdiensi, et Crisiensi. Dein militaribus, quos miles Confiniarius incolit, Generalatibus Banali interdum conjuncto cum Zagrabiensi, et Carolostadiensi. Nec nobis Confinia Banatus, vulgo Temessiensis, silentio praetereunda sunt, quae e tribus Legionibus consistunt.

Liber II.

De Imperante.

Caput I.

De modo habendi summum Imperium in Hungaria.

§. 54.

Civile Imperium suis in primordiis.

In operis limine dixeram, Civile Imperium a Majoribus nostris Arpado [a]), vel jam Almo ejus Genitori fuisse delatum, eo autem subjectionis pacto: ut quamdiu vita duraret tam ipsis, quam etiam posteris suis, semper Ducem haberent de progenie Almi, quod istis [b]), atque aliis alibi verbis Anonymus Belae Regis Notarius testatur aper-

---

a) Conf. Constant. Porphyrog. de adm. Imp. C. 38. et seq.
b) In Histor. Duc. Hung. C. VI.

tissime, dum inquit [a]) „libera voluntate, et consensu „septem virorum elegerunt sibi Ducem, ac Praeceptorem „in filios filiorum suorum, usque ad ultimam generationem, „Almum filium Ugek, et qui ex ejus generatione descenderent."

§. 55.

Stirpi Arpadianae obtigit.

Stirpi itaque Arpadianae Principatum in omnes generationes obtigisse Constantinus, et, quem paulo ante provocabam, Notarius conveniunt, sed de ordine successionis, qualitercunque eadem occassione stabilito, virtute cujus primogenitus, vel gradu sanguinis decedenti proximus, seu quiscunque tandem ex familia exstiterit designatus, ad quem Regimen sponte devolvatur, alto uterque silentio premunt. Quapropter illorum testimonio, nisi inanibus pro arbitrio conjecturis locus relinquatur, haud ultra concludere licet, quam Regni haereditatem Arpadi descendentibus citra personae discrimen aequaliter competiisse.

§. 56.

Nullo Successionis ordine praestabilito.

Mixtam hanc successionis speciem [b]), Saeculis retroactis prorsus non insolitam *); tametsi recentiores quidam pene dedita opera ignorare voluerint: nihilominus vix est, cur dubitemus, cum exordio Monarchiae hungaricae summi Principis dignitatem duplici stetisse titulo, juri scilicet geniturae, atque populi suffragio innixam, quod augustum — quem supra memoravi — Scriptorem expressione illa: [c]) „ex cujus (Arpadum intellige) etiam posteris in hunc usque diem Princeps Turciae constituitur," indicare maluisse existimo. Alioquin enim pura, cum viget successio, vacuum a morte antecessoris solium declaratus per legem immediatus haeres ultro occupat, quin necesse sit, ut Princeps constituatur.

*) Ut Longobardos, Visigothos, Francos [d]), et Svecos, qui

a) Op. cit. C. 5.
b) Martini de Jure. Civit. C. 13. §. 419.
c) Constant. Oper. cit C. 38.
d) Conf. Baluz. T. 1. p. 378. et T. II. pag. 216.

Reges suos ab A[no] 1134., ad A[um] 1250. e duabus Sverkeri et Erici stirpibus alternatim eligebant [a]), non commemorem, exemplum vicinius successionis, populari consensu temperatae, Polonia in Jagellonibus dederat. Imo electionem ad eandem regnatricem Familiam coarctatam plerisque Europae Regnis aliquando usuvenisse, Vir excellenti doctrina Michael Ignatius Schmidt praeclare observavit [b]).

§. 57.

Unde quadam electionis Species.

Constantinus inquam, qui de Majorum nostrorum incunabulis aetate suppar [c]) scite, et copiose disseruit, rem adeo gravem, ac proprie substantialem nescire, aut studio reticere vix potuit. Quid igitur aliud, — silentibus coaevis — ex unius Anonymi narratione, generalibus terminis prolata, tute restat colligendum? nisi quod simplicitati populi, ejusdemque bellicosae indoli caeteroquin omnium maxime congruebat: proclamare nempe Rectorem, atque supremum exercituum Ducem, quem prae caeteris vel strenum experientia cognovisset, vel saltem spe valida, undecunque concepta, vaticinaretur.

§. 58.

Ad regiam Stirpem restricta.

Verbo electio isthaec, prout eam Auctores passim compellant, Gentis Primorum, declaratio fuit, assentiensque populi voluntas, quae in defectu legis fundamentalis, haeredem specifice designantis, necessaria reputabatur, priusquam habenas novus princeps, Genitoris plerumque, aut Praedecessoris auctoritate, atque commendatione suffultus, legitime auspicaretur. Quemadmodum id Historia temporis [d]) seriesque Ducum primo, postea Regum, sibi ordine succedentium, ducta ab Arpado ad Andream III. suae stirpis ultimum, ubertim confirmant.

---

a) Frid. Rühs Geschichte Schwedens, Hallae P. 1. L. 3. pag. 81.—108.
b) Neue Geschichte der Deutschen. T. 4. L. 4. C. 15. et Rühs op. cit. p. 104.
c) Conf. Georg. Pray Hist. Reg. Hung. P. 1. not. praev. pag. II.
d) Vid. Alold. de Peklarn. in not. Anecdot. ad An. 972. — Hartvicum in vita S. Steph. ed. Pray p. 123. — Thurocz. Chron. P. 2. C. 33. 47. 55. 56. et alios.

§. 59.

Quamdiu exstiterat, usuveniebat.

Facile etenim hinc assequimur, qui fieri potuerit ut mox cum obitu Arpadi, Zoltan natu minimus prae filiis senioribus, inque casum omnem superstite Pronepote, a primogenito oriundo, summam rerum capessiverit *)? aut cur divo Stephano fuerit primum cum Episcopis, et Proceribus de substituendo pro se Petro tractandum [a])? Qua porro de causa ad inaugurandum Salamonem Andreae Regis filium consensus agnatorum Principum intercederet [b])? Quare et post Geisam I[um] non illico Colomannus ejusdem filius, verum Frater Ladislaus sit clavum Imperii assecutus**). Cur demum, quoties plures masculi Domus regiae eodem vixissent tempore, fere semper fraterna de Corona dissidia, nullo habito respectu linealis ordinis, suborta comperiamus.

*) Sciendum vero — ait saepe laudatus Constantinus [c]) — „Arpadum magnum Turciae Principem filios genuisse quatuor; „quorum primus Tarkaczus, secundus Jelech, tertius Jutoczas, „quartus Zoltas. Rursus Arpadi primogenitus Tarkaczus filium „habuit Tebele: alter Jellech filium genuit Ezelech; tertius Ju„toczas filium suscepit Phaliczin, qui nunc Principatum „tenet; quartus Zoltas filium habuit Taxim. Et omnes quidem „Arpadi filii mortui sunt, superstitibus tantum ejus Nepotibus „Phale, et Tasi, cum patrueli eorum Taxi. Tebeles moriens „filium reliquit Termaczum. Nihil autem ad rem praesentem „confert, utrum Phalicis, an, quod Chronographi domestici „tradunt, Taxis post Zoltanum immediate imperavit; utrinque „enim mascula natu maximi progenie, licet incolumi, sceptra „alteri ex Arpadi prosapia obtigisse aperte colligitur.“

**) Novi quosdam Historicorum, patrem Colomanno non Geisam, sed Ladislaum tribuere, quorum tamen argumenta, per me jam alio in opere utcunque enervata [d]), penitus prosternit Documentum in favorem Monasterii de Gron exaratum [e]), in quo Stephanus II. Colomanni filius Geisam primum repetitim Avum suum adpellat.

---

a) Hartiv. Op. cit. Biogr. Melic. in Vita S. Steph. e Cod. M. S. vetust. Posonii edit. Ao 1781. p. 41.

b) Thurocz. Op. cit. p. 2. C. 44. Simon de Kéza Chronog. Hung. P. 2. C. 3. p. 93.

c) Op. cit. C. 40.

d) Vid. Disquisit. meam Hist. de modo conseq. sum. Imp. p. 26. et seq.

e) Desumt. e Collect. Hevenes. apud Batty. L. L. Eccles. T. 2. p. 224.

§. 60.

Periodo Regum altera.

Si praemissa ulterius adhuc expendimus, potestatem Reges deligendi, exstinctis domesticis virilis conditionis Principibus, ad libera Gentis suffragia penitus redire oportebat. Nam ut qualicunque jure Familiae, diadema regium ad faeminas, earundemque posteros legitime pertinuerit, ubi praevie nec pacta ulla, nec leges certas, ac stabilem succedendi ordinem vel inter masculos praescripserunt, neque observantia uniformem eatenus normam praeviguisse indicat, vix aliquomodo: nobis equidem hoc minus licebit suspicari, quoniam actus electionis quasi continuos apud nos facto intercessisse, non tantum Annales domestici juxta, ac vicinarum Gentium uniformiter recensent, verum ejus libertatis exercitium, ad annum usque 1687um productum, tractatus, quorum authenticae Tabulae praesto sunt, Decreta adhaec Comitiorum, et inauguralia Diplomata, fide, cui nihil opponi queat, extra omnem posuerunt dubitationem.

§. 61.

Andegavensium Familia.

Ita Carolus Robertus post fata Andreae III., indeque continuatas octennes turbas, posteaquam factionibus divisi, modo istum, nunc illum Competitorum iteratis conventiculis Regem proclamassent, nequaquam certo Jure, immediataque Successione Regnum adiit, verum illud unanimi duntaxat Populi acclamatione in Campis Rákosiensibus adeptus est.

§. 62.

Regnum pari ratione obtinuit.

Probant id sat superque bina Instrumenta solennia, totidem generalibus Comitiis, eodem loco, diverso tamen tempore, coadunatis, evulgata; quae dum ad peractam electionem diserte provocant *), simul non obscure pandunt, Imperium eadem occasione non Carolo solum, *sed ejus quoque posteritati* sic fuisse addictum, ut nullum iterum — ne remotum quidem — regulatae Successionis vestigium praeseferant.

*) In anteriori, quippe A[no] 1337 condito, exponitur „Regni „Barones, ac Nobiles animositati veritatem „merito praeponentes, in unius Domini obse„quium ratione praevia convenisse, et diligenti „collatione praehabita — Carolum, ac posterita„tem ejus, prout regalis Successio exigit, in „Regem Hungariae, ac naturalem Dominum per„petuum suscepisse." — In altero, quod insequentis anni 27. Novembris concinnatum, publicorum Notariorum fidedignitate nititur, haec potissimum verba exercitam, reservatamque eligendi libertatem repraesentant: „Placebat eis, quod „illum, quem ipsi ex antiquo, et approbato ejus„dem Regni more vocaverant, et in Regem as„sumserant, nec non illa Reges Hungariae de „vera regali progenie propagatos, quos ipsi „unanimiter, et concorditer de dicta progenie „ducerent eligendos." Posterius istud documentum Carolus Péterfy [a]); prius allatum vero e Manuscriptis Stephani Kaprinay Martinus Georgius Kovachich [b]) primi in lucem emiserunt.

§. 63.

Sigismundus, et Albertus.

Similiter animis ad concordiam reductis Sigismundo [c]), sedatisque dudum aemulorum moliminibus, Alberto Austriae Duci [d]) Regni gubernacula a libero praecise consensu Nationis obvenerunt, quem nempe Hungariae Ordines ad illos in generos, ac Successores assumendos Regibus suis, masculo haerede destitutis, praevie dederant. His exstinctis, electione denuo confirmarunt [e]).

§. 64.

Horumque Successores ex consensu Ordinum regnarunt.

Fuisse porro, renunciante prius ad casum nascituri filii Elisabetha, Alberti filia post publicos Tractatus, Vla-

a) Conciliorum Hung. T. I. p. 149. et sequent.

b) Vest. Comit. ap. Hung. p. 157.

c) Conf. Thurocz. Chron. P. IV. C. III. — Vindeck coaevum in vita Sigismundi ap. Menken Script. rer. germ. T. I. p. 1074. Steph. Katona Hist. crit. Reg. Hung. T. XI. pag. 234.

d) Vid. Lit. Elisab. Albert. Conjug. ap. Fr. Ad. Kollár in Analect. monum. omnis aevi Vindob. T. 2. p. 915. — Item Chronica illius temp. Thurocz P. 4. C. 25. — Aust. et Mellic. ap. Hier. Pez. T. 1. f. 734 et 756. et reliquis. Post hos vero Katona op. cit. T. XII. pag. 821.

e) Haec prolix. illust. et demonst. reperies in libello, cui Tit. Disquis. hist. de modo conseq. summ. Imp. ap. Hung. in 8o Anno 1820. Budae procuso, a §. 28 — 35.

dislaum, hujus nominis primum, solio illocatum [a]), electos praeterea Mathiam Corvinum [b]), Vladislaum secundum [c]), Ferdinandum I., et reliquos ad Josephum usque, Leopoldi primogenitum, Austriacos Principes omnes, nisi posteriores propria significatione praeelectos dicere mavis, nemo est, qui abundantissime ex Historia et legibus ipsis non perspiciat, non manibus veluti apprehendat.

§. 65.

Initia nexus Hungariae.

Opportune me locus admonet, ut quaedam de nexu Hungariae cum Serenissima Domo Habsburgico-Lotharingica, modo terfauste regnante, in medium proferam. Hunc quantum ad sanguinis necessitudinem, quae augustam eam progeniem domesticae quondam Stirpis Regibus colligaverat, diffusum omnino, ac vetustissimum, caeteros inter Franciscus Carolus Palma [d]), et Daniel Cornides [e]), magnae uterque eruditionis, data opera illustrarunt. Nec est, qui nesciat, hodie, Regem nostrum longe clementissimum a Toxo, Arpadi Nepote, per sexum foemineum multiplici plane ratione condescendere.

§. 66.

Cum Serenissima Domo Austriaca.

Quo tamen iste tot Regum nostorum sanguis apud nos regnaret aliquando, occasionem primam pacta subministrarunt, de Successione Hungariae inita inter Fridericum Imperatorem, et Mathiam Corvinum; tum inter Maximilianum, et Vladislaum. Alteram, eandemque firmiorem, alia nuptiarum causa Anno 1515. pro ejusdem Maximiliani Nepotibus, Liberisque Vladislai contracta [f]). Occasionem dico:

---

a) Tract. tab. vid. in Op. nunc. cit. in Mantissa p. 230. — Tum ap. Math. Dogiel. Diplom. Reg. Polon. T. 1. p. 54 et 55. — Conf. Katona Op. cit. T. XIII. p. 70 et seq. aliosque illinc provoc.

b) De Math. elect. post Ransanum Thurocz. Bonfinium, consul. impr. St. Kaprinay Hung. Dipl. temp. Math. de Hunyad P. I. ubi de hac ex prof. agit.

c) Praet. copios. Testim. vide instar omnium Decr. Confirm. Vladislai II. Reg. in Corp. Jur. Hung. T. I. p. 255. et seq.

d) Tab. Geneal. Apost. Reg. Hung. Dissert. de Tit. et Ins. M. Mar. Theresiae Aug. adnexa.

e) Geneal. Reg. Hung. qui Sec. XI. regnav. illust. atque ab Object. R. D. Ant. Ganóczy Vindicatio Poson. et Cassoviae 1778. p. 116. — 155. — Tabell. Geneal. comprobat.

f) Provocatae Conv. Tab. omn. F. Ad. Kollár, Auctuario Dip. ad Hist. Ursini Velii de bello Pannon. adjecto per extens. inseruit.

Nam etiamsi pactis illis plenum robur largire vellemus, quae — intereunte mascula Regum progenie — Coronam Austriae Archi-Ducibus attribuerunt *) iis nihilominus ipsis et potestatem semper Regnicolis servatam intuemur, e Nepotibus Maximiliani, quem vellent, praeeligendi, et filias Regum his neutiquam inclusas.

*) Saepe alias, multumque de validitate horumce pactorum disceptatum fuit, ad quam ex aequo dijudicandam non modo tenores, sed temporum quoque adjuncta, et paciscentium potestas diligenter expendenda forent, quod attamen modernus Reipublicae status, lex quippe fundamentalis (XXVI) claram, ac certam Regum haeredibus regulam, atque ordinem succedendi praescribens, hodie prorsus superfluum reddit. Cui volupe est hancce quaestionem prolixius in analysim revocare, post Beatum Viedemannum [a]), Eusebium Verinum [b]), multosque alios Georgii Sigismundi Lakits librum singularem relegat, de haereditario succedendi Jure Ducum primo, deinde Regum Hungariae [c]), tum his oppositam Disquisitionem historicam de modo consequendi summum Imperium in Hungaria [d]).

§. 67.

Regulatam antiquitus Successionem.

Rursum ex allatis bina facile colliges. Alterum: non jure Uxoreo Ferdinandum I. Regem Hungariae fieri potuisse, sed legitima tantum electione, quae Posonii A° 1526. peracta [e]), et sequente in frequentioribus Comitiis Budensibus iterum confirmata fuit [f]). Alterum: Eorum hypothesim, nutantibus undique fulcris, prorsus infirmo subsistere talo, qui Arpadi haeriditatem seu indeterminata, sive mera, absolutaque primogenitorum successione, ad linealem ordinem exacta, utrique sexui jam iis temporibus

---

a) Information darin ausgef. wird, was das Haus Oesterreich für Erbgerechtigkeit zu dem Königreiche Ungarn von Altersher gehabt: ap. Goldast de Reg. Bohem. Jurib. et Priv. T. II. q. 7. et seq.

b) In Comment. jurid. crit. de haeredit. Jure Seren. Domus Austr. p. 126 et seq.

c) Cap. 6 et 7.

d) Pag. 105 et seq. et in Mant. Dipl. p. 244. 255 et seq.

e) Viedemann ap. Pray Annal. P. 5. p. 128. Istvánfy Hist. L. 9. p. 86. — Litt. Ferd. ap. Prayum in Litt. Procer. Hung. P. 1. p. 298—300. Kovachich T. 1. Auctar. ad Vest. Com. in M. SS. — Conf. Disq. Hist. de mod. cons. summ. Imp. in Hung. p. 131—135.

f) 1528. Art. 2.

propriam fuisse statuunt. Illam Eusebius Verinus [a]), hanc Grossinger [b]), Lakicsius [c]), Gustermann [d]) omni aetate viguisse, perfracte tuebantur. Sufficiet illorum argumenta haud ultra summos apices delibare.

§. 68.

Nec pacta primaeva complectuntur.

Imprimis basim suae sententiae universi haud alibi, quam in unius Anonymi, superius recensitis expresionibus (VIII) fundabant: quid autem istae alterutri, quando nullam absolute regulam sucessioni praescribunt, faveant opinioni, prorsus non video. Video potius, quid obesse possint, si interpretatio a conjecturis petatur. Almum enim pariter in filios tantummodo filiorum, non filias item Ducem, ac Praeceptorem electum fuisse, potior foret argumentatio; Genti certe armis deditae, nascentique Civitati magis multo consentanea.

§. 69.

Nec Diplomata Principum nostrorum.

Postea in medium proferunt Diplomata [e]) Principum nostrorum se jure, et ordine geniturae, interdum etiam primogeniturae regnare asseverantium admitto, haud infrequentia: verum similes formulae arbitrario, atque improprio sensu pro saeculi simplicitate usurpatae, factum unice indicare possunt, nequaquam autem jus exclusivum, una non praestabilitum quodpiam systema demonstrare, contrarium praesertim internis, externisque tractatibus, quales a Caroli I[mi] temporibus, quoties virile Regum semen defectu laborabat, locum habuisse nemo negaverit, nisi qui res evidentissimas dubias reddere velit.

§. 70.

Neque leges ususque demonstrant.

Neque Maria I[a] et Elisabetha Alberti vidua in Litteris legibusque, in quo Lakicsius magnam vim reponit,

---

a) Op. cit. C. 3. 7. 8. 9. 10.
b) C. 1. §. 8 et seq. in Jur. Publ. Hung.
c) Lib. sing. de haered. Jure Ducum primo. deinde Regum Hung.
d) Sparsim in der Ausbild. der Verfassung des Königr. Ung.
e) Quae reper. ap. Katona, Cornides, Pray, Lakits in Oper. per se editis. Conf. Disq. de mod. cons. summ. Imp. in Hung. p. 177 et seq.

compellantur propterea Regni haeredes, quod ambas, velut Regum, mascula prole carentium, filias Corona secundum praeexistentem quampiam normam respiceret (60). Nam si, ut rem paucis absolvam, foemineis Principibus solium a nativitate maternoque avito sanguine ab olim competiit, cur — quaeso — major pars Hungarorum, ab Andegavensibus tantopere aliena, jura viciniora, imo proxima, pro nata Andreae III[ii] unica nuspiam allegavit? Imo ne Venceslaus quidem, qui tamen eandem tunc adhuc sua pro sponsa, utut tardius repudiata, omnino agnoscebat. Aut quonam facto evenisse putabimus, ut A n n a, senior Alberti filia, Neptisque M a r g a r e t h a, illa V i l h e l m o S a x o n i, haec J o a n n i B r a n d e n b u r g i c o nuptae, successionis sibi adeo debitae beneficium numquam per sequerentur? [a])

§. 71.

Regii sanguinis respectum tamen.

Qui de ordine Regum, se mutuo excipientium, e factis, et eventibus Jus ipsum evictum esse putant, ipsi viderint, Pactum tamen retroactis saeculis, Principum Sucessioni regulam praestituens, Majoribus nostris, non dico, agnitum, ast vel cognitum, post quamcunque sedulam veterum monumentorum disquisitionem, hactenus nemo deprehendit. Vicissim quivis animadvertet, facile eam illis fuisse congenitam sanguinis Regii reverentiam, ut et, cum masculi deerant Regiae stirpis posteri, foemineos evocarent, et si demas unius Ladislai infantis posthumi, ad tempus neglectum ex periculi magnitudine, quod Turcae minabantur, repetendum, a filiis Regum suorum, quos, duce perenni quadam consuetudine, pro certis quasi haeredibus considerabant, nunquam recesserint.

§. 72.

Exempla ex Historia petita.

Hanc ipsam profecto consuetudinem electoralia Comitia, Conventionesque de Corona initae, imo leges ipsae bene diu antea sancitae considerate respexerunt, quam pu-

---

a) Vid. Disq. Hist. de modo cons. summ. Imp. in Hung. a pag. 35—51 item 79—100.

blicum decretum [a]) Ferdinandi I. palam edixisset: „Quod „sese Status et Ordines Regni non solum Majestati Suae, „sed etiam suorum haeredum Imperio, et potestati in omne „tempus subdiderint.“ Clara istud evincunt exempla, quoties de nova Dynastia ad solium provehenda agendum erat. Nominatim Conditio omnibus, quae cum Domo Austriaca intervenerunt, Conventionibus inserta: „Si Regem sine masculo haerede decedere contigat.“

§. 73.

Legesque aperte evincunt.

Nonne, ut porro leges adferam, sanxit Articulus I[us] de Officio Palatinali, sub Mathia I. conditus [b]), idque ex vetusta Majorum consuetudine „Si quando se„men regium (per quos juris nostri significatione virilis „propago notatur) [c]) deficere contingeret.“ Palatinus eligendo Regi novo Comitia indicat? Nonne praefatio conditionum, translati in Vladislaum Bohemum regiminis, innuit: legitimis haeredibus Mathiae non praeexistentibus, devolutum fuisse ad Status Regni jus electionis? [d]) Quid, quod vel Conventus Rakosiensis praeceps illud conclusum: „Ne amplius Rex exterus crearetur“ hac minime ambigua expressione nitatur [e]). Quotiescunque, et quandocunque hoc Regnum Rege orbabitur, nullique haeredes masculini de jure, atque consuetudine ejusdem Regni succedere debentes superstites manserint etc.

§. 74.

Cum Jure praeelectionis usque Josephum I[um].

Haec interim cuncta eo sensu accipiebantur, ut Regnicolis reservatum intelligatur jus ac exercitium praeelectionis inter plures unius regnantis Familiae mares virilis propaginis Principes, quod non uno, alterove exemplo, patria docet Historia, sed indubiis omnis aevi vestigiis, usu-

---

a) De A° 1547. 5.
b) De Anno 1485.
c) Anni 1435. 17.—Anni 1486. 26.—P. I. tt. 22.
d) Dec. Confirm. Anni 1490.
e) Autograph. exstat in Camera R. Hung. editum in Pray Annalium P. 4. p. 313 et ap. plures.

que continuo. Neve iterum ad anteriora regrediamur, vel inauguralia Comitia eisdemque conjuncta Hungaricae Coronationis solennia [a]) Habsburgicorum Principum, usque Josephum I. haud interrupte manifestant [b]).

§. 75.

Cujus incommoda.

Ad grandia itaque hujus praeelectionis incommoda antevertenda, et praesertim ob Interregni metum, cujus funestas sequelas Hungaria haud semel omnium maxime senserat, Reges a Ferdinando I. usque Josephum I. universi vita comite filios primogenitos, vel haeredes proximos coronari procuraverunt, praecedente semper Comitiorum assensu, specie quadam electionis declarata, quod ex Annalibus iterum, et legibus patescit.

§. 76.

Sub Leopoldo I.

Fuerit quantumvis hoc opportunum tempori, et scopo remedium, verum incerti eventus. Pericula etenim solo delectu unius e pluribus Regis filiis nequaquam integre declinari, augeri potius, si exorto litigio serpant simultates, aut plane sparso de industria inter Liberos Regios discordiarum fomite in apertam aliquando bellorum civilium flammam erumperent, praeteritorum malorum recordatione tam clarum evasit, praegnantisque considerationis, ut A° 1687. Regnicolae legitime congregati, abrogato electionis jure, sponderent Leopoldo I., ob depulsum Ottomanorum dominatum, de Hungaria insigniter merito, se non alium, quam qui Caesaris virilis sexus legitimus descendens, idemque primogenitus fuerit, in omne secuturum tempus Regem suum ac Dominum agnituros. Idem jus, eademque ratione, in casu deficientis prolis masculae, ad natu maximum Familiae Habsburgicae, tunc in Hispania superstitis, extensum erat. Igitur hoc primo

a) Disq. Hist. de modo conseq. summ. Imp. in Hung. §. 71. p. 161.

b) Vide Dec. IV. de A° 1572. Art. 2. Dec. 5 de A° 1572 Art. I. v. Dip. Inaug. Ferd. III de A° 1618 insert. Dec. Anni 1622. 1625. Art. 3. et Dip. Inaug. Ferd. III. Dec. I. A[i] 1638. Art. 1. insert. §. 1. — Ferd. III. Dec. IV. A[i] 1655. Art. 2. et Dip. Inaug. Leop. in illus Dec. I. Anni 1659 Art. I.

tempore [a]) ordo succedendi, et quidem agnaticus solum, cum foeminarum exclusione, isque linealis, secundum ordinem primogeniturae, et repraesentationis per expressam legem introductus fuit.

§. 77.

Et Carolo III. sublata.

Nihilominus brevi post tempore eandem haereditatem solis Gentis Habsburgicae Maribus delatam, Regni Ordines, adoptata scilicet A° 1722. Sanctione, quam Carolus VI. Caesar, nostros Reges inter hoc nomine tertius, praevie intuitu reliquarum ditionum suarum ediderat, et pragmaticam compellavit *), ad utrumque Sexum extenderunt, transtuleruntque cum defectu masculini Sexus primo loco in descendentes Caroli, dein ad Posteros Josephi I., tamquam substitutos; his etiam exarescentibus, in progeniem Leopoldi I. „eorumdemque — ut verba legis desuper conditae [b]) exprimunt — „legitimos Romano — Ca„tholicos Successores utriusque sexus Au„striae Archi-Duces, juxta stabilitum per „Sacratissimam Caesaream, ac Regiam re„gnantem Majestatem in aliis quoque suis „Regnis, et Provinciis haereditariis, in et „extra Germaniam sitis, primogeniturae or„dinem jure, et ordine praemisso indivisibi„liter, ac inseparabiliter invicem, et insimul, „ac una cum Regno Hungariae, et Partibus „Regni, et Provinciis, eidem adnexis hae„reditarie possidendis, regendam, et guber„nandam.“

*) Sanctio pragmatica, a compluribus Scriptoribus recitata [c]), codicem domesticum per extensum ingressa quidem non est; provocatur tamen ad illius essentialia Instituta; ordinem videlicet succedendi, ac indivisum Monarchiae gubernium, in uno eodemque Capite regnantis Familiae conjunctum.

---

a) Anni 1687. Art. 2 et 3.

b) Dec. Anni 1723. art. 2.

c) Schmaus in Corp. Jur. Gent. Lünik im deutschen Reichs-Archiv. Schrötter in den Abhandlungen aus dem österreich. Staats-Recht. — Acta et scripta huc pertinentia vid. in J. C. Bissinger General-Statistik 2. Th. p. XXXII. et seq.

§. 78.

Hodiernus ordo Successionis haereditariae.

Inde consequitur, in Regno Hungariae I° Modernum Successionis ordinem esse lineal em mixtum, secundum quem Corona foeminis, harumque legitimis descendentibus in defectu duntaxat virorum competit, quocunque gradu remoti exsistant.—Vigere praeterea, prout id sanctio pragmatica aperte statuit, relate ad utrumque sexum Jus primogeniturae, et ex isto profluens jus alterum Repraesentationis; virtute cujus filius primogeniti patrem defunctum repraesentans, excludit secundo genitum, et sic porro. II^do^ Regem Religionis Romano-Catholicae esse oportere. III° Renunciasse Hungaros pristinae electionis libertati, atque consuetudini eousque, donec regnans Familia in omnibus tribus praeindicatis ramis penitus exstinguatur, quod licet ex natura rei profluat, apertis insuper legis tenoribus continetur [a]). Quapropter dubio plane caret vigore praemissorum eum, quem lex per nativitatem necessario ad solium designat, ab obitu Regis ipso facto succedere in omnia Antecessoris Jura Majestatica, eorundemque exercitium, legibus attamen, delatisque Imperii conditionibus consentaneum. IV^to^ Unionem Hungariae, et quorumvis Regnorum, ac Provinciarum Sacrae Regni Coronae obnoxiarum, cum modo regnante Augustissima Familia Lotharingico — Habsburgica, et per Hanc cum Ejus haereditariis reliquis Ditionibus esse indissolubilem, quae tamen de Regni independentia a caeteris provinciis nihil detrahit.

§. 79.

Notatur Jordan.

Perennantem isthanc Provinciarum conjunctionem, qualem in continenti explicatam dedi Scriptorum complures, quos inter Jordan [b]) realem dicunt, quoniam et idem sit sub uno eodemque regnante Capite stabilitus successionis ordo, virtuteque Sanctionis pragmaticae, et simultanee, inseparabiliter, et indivisibiliter uniatur. Contra

---

[a]) 1723. 2. §. 11. Idem reperies in Dipl. Inaug. subseq. Regum.

[b]) Versuche über allgemeines Staats-Recht p. 203. et in subnexa Nota p. 208.

aliis eam personalem nominare praeplacebat, quibus scilicet inseparabilis haec conjunctio rem decidere non videtur, quae conditionis instar sine qua non, praeexistentiae augustae regnantis Dynastiae, dum disertim adoptaretur, alligata fuit, indeque Regnum Hungariae legibus fundamentalibus, id ipsum liquido enunciantibus, independens a caeteris provinciis esse non desierit.

§. 80.

Consectaria praemissorum.

Sentiant alii in hanc quaestionem, uti cuivis eorum libuerit; indoles, vis, et consectaria hujus unionis in sequentibus indubie consistunt: Ut jus in Monarchiam Austriacam universim commune sit, ac proprium Augustae Familiae Principum; Imperium, et quae huic insunt, Jura Majestatica uni tantum, ac illi prae caeteris competat, cui lex eandem immediate addixit. Deinde: ut qui jure isto Austriae summa cum potestate praeest, Idem Hungariam quoque, adnexaque illi Regna, ac Provincias haereditarie, inseparabiliter regat, ac gubernet; — Ut porro non una earundem cum alterius detrimento, inque posterioris praejudicium faventius, verum — salva in reliquo uniuscujusque interna Consistentia — aequali communis utilitatis, salutisque sub obtutu gubernetur, quapropter si cui e ditionibus, hoc modo consociatis, ab hoste imminet periculum, junctis viribus ad propulsandum illud concurrant. Verbo denique: ut quamdiu gloriosa haec propago — Deo votis nostris annuente — superfuerit, Hungaria, et quae ad eandem spectant, integrantem quidem Monarchiae partem constituat, maneat tamen Regnum propriis legibus regendum, nam utraque occasione, qua illius sceptra regnanti Domui certa haereditate asserta sunt, solenniter stipulatum erat [a]): ut quivis Regni Successor diplomatis inauguralis conditiones, Jura item, ac libertates sancte, ac inviolabiliter observet, observarique faciat, atque solenni Diplomate, et Jurisjurandi Sacramento confirmare teneatur, idque occasione legitimae Coronationis, de qua sequenti Capite agetur.

---

[a]) Anni 1723. 1. 2. 3. et in his provoc. 1687. 2. et 3. et 1715. 2 et 3.

Caput II.

De Regia Coronatione in Hungaria.

§. 81.

Regia Coronatio.

Quum Ducibus Hungari parebant, Principes suos inauguraturi, usitato vetustis Gentibus more [a]), scuto impositos elevarunt [b]). Est autem inauguratio solennis honoris, potestatisque cujuspiam aditus, certis ritibus publice institutus. — Postea Coronatio successit, regiae dignitati, auctore divo Stephano, coaeva, quem assumto Regis cognomento, in numeroso omnium Ordinum conventu coronatum fuisse, praeter Hartvicum [c]), diplomatica insuper vestigia *), et constans traditio posteritati transmiserunt.

*) Ladislaus Chunus in Privilegio, quod anno 1274. Ecclesiae Strigoniensi dederat, ita habet: „cum ipsa sedes Strigoniensis „Sanctissimi Patris, et Domini nostri, Sancti Regis Stephani „ortu decorata, et sacro Baptismate ejusdem sublimata, „regalisque nostri Diadematis impositione exstitit redimita“ [d]). Discimus insuper ex hoc diplomate, cui alterum Belae IV. [e]), S. Stephanum diserte primum Hungariae Regem adpellantis, prorsus consentit, Coronationis solennia Strigonii locum habuisse, idque posterius nobis Sigillum quoque Capituli Strigoniensis antiquissimum indicare videtur, quod Archiepiscopum Strigoniensem, Regi Coronam imponentem, exhibet, cum epigraphe: „S. coronatur.“

§. 82.

Sub S. Stephano introducta.

Sub ipsis introductae regiae Coronationis initiis, Principes deinceps regnaturos, ad subeunda cum aditu regiminis inauguralia Solennia exstitisse obstrictos, per quam fit probabile. Nam istud aevo illo per universam Europam Im-

---

a) Vid Schücz dissert. de inaug. Reg. per sublat. in clypeum. — Item Schwarz de antiquo ritu elev. Princip.

b) Constantinus Op. cit. C. 38.

c) Op. cit. edit. Pray. p. 134.

d) Ap. Nic. Schmidt in Episc. Agriens. T. I. p. 189. et seq.

e) Istud per extens. reperitur in Katona Hist. crit. T. 6. p. 384. et seq.

peratoribus, Regibusque caeteris, quos imitari S. Proto-Rex sibi proposuerat [a]), necessario quodammodo usuveniebat; summopere dein id ipsum commendabat ardens constabiliendae Religionis Christianae zelus [b]), ac reverentia in Ecclesiam Romanam, summumque Pontificem eximia, quorum utrumque ut ille regiae dignitatis auctor perstare in Regno, regiisque haeredibus tantopere aestuabat, ita Rex coronandus — si vel cerimoniae spectentur — inevitabiliter publice profiteri debuit. Suadere denique praeferenter poterant politicae quoque rationes, praesertim ob indeterminatam Regum successionem, Capite praecedenti illustratam (56).

§. 83.

Citra dubitationem.

Missis interim conjecturis, lex similis fuerit, non fuerit illa occasione perlata, quod hactenus oppido ignoramus, augustum augusti Conditoris exemplum Successores constanti Religione observasse, plenissima historiarum fide tenemus. Certe omni prorsus caret ambiguitate, Regum Hungariae Coronationem, ducto ab ipsis Stephaneis temporibus exordio, in perennem consuetudinem, vim legis perfecte redolentem, abiisse.

§. 84.

Contra quam Gustermann.

Ejus perpetuitatem illo argumento, a Gustermann prolato [c]), impugnare velle quia prima Petri Coronatio (de secunda etenim post ejus ad Solium restitutionem constat) [d]) in antiquis Chronicis expresse non memoratur; vel quia annus inauguralis unius, alteriusve Regis primae Stirpis liquido haud patet, postquam octo saeculorum decursu quadragenos, et amplius Reges sacro Regni Diademate, ex more Gentis, redimitos fuisse novimus, quam sit violentum, ac sublestum jam vel monuisse, nonnullis supervacaneum videbitur.

---

a) Dec. Lib. 2. in Praef.
b) Dec. Lib. 1. C. I.
c) Ant. Vit. Gustermann Ungar. Staatsrecht 1. B. C. 6. §. 289
d) Thurocz. Chron. P. II. C. 37.

§. 85.

Erronee asserit.

Nihilominus ad hanc erroneam opinionem penitus removendam oportet uno. alterove exemplo relevare, quanto veritatis rigore, vel hujus detegendae sollicitudine Gustermann hac in re processerit: „Daß Andreas der I. — interogat ille — [a]) gekrönt worden sei, beweiset Pray aus einer „Urkunde, wo der König sagt: Anno XII. Regni nostri“ also ist er gekrönt worden? Reticet autem testimonium Simonis de Kéza, hac de re iteratum [b]), aliudque Chronographi domestici, annum ipsum peractae Coronationis indicantis, in haec verba luculentissima „Andreas — — — in regia „civitate Alba regalem Coronam est adeptus, a tribus „Episcopis, qui in illa magna strage Christianorum eva- „serunt, coronatus est A° Domini MXLVII [c])“ Continuat porro noster adversarius. „Der Herzog Geisa, welchen die „Ungarn doch unter ihre Könige zählen, gestattete nicht, ihm „die Krone aufzusetzen“ fidenter provocando ad Caroli Palma Notit. Rer. Hung. P. 1. p. 373 ubi tamen sequentia e diametro opposita leguntur: „ardentibus Regni Ordinum votis „subscripsit denique Geisa, atque solito ritu vere Anni „1075. coronatus fuit, ut adeo recte tradant Chronica no- „stra, Geisam Ducem magnum, compellentibus Hungaris, „Coronam Regis suscepisse.“ Mox, quae asseruit disertissimus Palma, ipsius Geisae firmat Fundationalibus [d]) quarum initium: Ego Magnus qui et Geisa, supremus Hungarorum Dux, postea vero gratia Dei Rex consecratus.

§. 86.

Consuetudine haud interrupta.

Continuam itaque in prosequenda Coronatione observantiam animadvertentibus suapte etiam perspicuum redditur: Quoties bonae, antiquae, et approbatae consuetudines publicis Decretis confirmatae fuerunt, quod et olim sae-

---

a) Idem loco nunc citato.
b) Cap. 3. edit. Horány.
c) Chron. Thuroczii P. II. C. 42. ap. Schwandtner.
d) Op. cit. p. 375. — Ipsas vero Litteras Fund. ed. Pray Hier. Hung. T. 1. p. 332.

pissime evenit [a]) his toties sacrosanctum Ritum illum absolute comprehendi, easque inter consuetudines praecipua quadam ratione subintelligi, quae velut liberis populi moribus, consentiente, imo eminenter cooperante Regia Majestate, introductae, atque exercitae secundum universalia juris principia non minus, quam domestica Instituta legi scriptae perfecte aequiparantur [b]), eademque pollent auctoritate.

§. 87.

A Successoribus continuata fuit.

Ut quid enim seu Proceres Hungariae — Bela III. Regni gubernacula capessente [c]) seu Carolus Robertus [d]) filio Ludovico — quamvis indubitato quodammodo haeredi — consulturus, ad Sedem Romanam — pro more illorum temporum — recurrissent, quo nolente, aut impedito Archi-Episcopo Strigoniensi, provincia electum Regem coronandi Colocensi deferretur, si non legi aequipar consuetudo, verum arbitraria solummodo Coronatio fuit? vel fortassis aliter mentem Caroli nobis interpretari sinunt sequentia ex ejusdem Privilegio, Archiepiscopo Strigoniensi dato, ad litteram descripta? [e]) „Ut opinioni Gentis Hungaricae satis„fieret, et ut scandalum de medio vulgi tolleretur, recupe„rata, et rehabita ipsa sancta Corona, in loco debito, vide„licet Alba Regali, uti solitum est, ab antiquo Re„ges Hungariae coronari, facta convocatione uni„versorum Praelatorum, Baronum fidelium Regni nostri, ob„servataque solennitate consueta, et a pro„genitoribus nostris constituta, solium Regimi„nis nostri conscendimus.“

§. 88.

Ut Historia, fidesque Diplomatum ostendit.

Sed pene luculentius adhuc vim inaugurationi litandi

---

a) 1439. 1. — 1464. 1. — 1478. 14. — Conf. Jur. §. 2. D. 1. de Anno 1492. 1. — Ferd. I. Jur. in Corp. Jur. p. 354. — 1552. 30. — 1572. 2. — 1609 16. — 1622. 2. — 1638. 1. — 1659. 1. — 1715. 1. — 1723. 1. — 1741. 1.

b) Verböcz. Oper. Tripart. Prol. tt 10.

c) Vid. Litt. Innoc. III. Pontif. de anno 1209 ex Bullarii edit. nov. Vol. 3. p. 133. a Prayo edit. Hier. P. 1. p. 113.

d) Pray e Raynaldo Annal. P. 2. p. 33.

e) In dipl. Anno 1388. Budae edito, quod vulgavit Pray Hier. Hung. P. I. p. 108 et seq.

obligativam Sigismundi filia Elisabetha, Alberti Regis Vidua, expressit quando Jura nati Ladislai Posthumi coram Friderico III. — postea Caesare — prolixe exposuit *), Regnum item profitebatur universum ad Vladislai I. coronationem **) tum, ne plura congeram, cum pacta inter Mathiam, et Fridericum ratihaberet, queis absolute cavetur: „si Re„gnum Hungariae vacaverit, provideri debere — quod Im„perialis Majestas, aut Filius Ejus — ut praemittitur, — „Consilio, et potenti auxilio ejusdem Regni Hungariae, ut „moris est, coronetur, et in administratione plena Regni „in pace recognoscatur." Verissime proinde publicum Regni decretum disertis verbis affirmat. „Rudolphum secundum vetustas Hungariae leges et Instituta sacram Regni Coronam suscepisse" [a]).

*) Und nachdem (sunt verba Elisabethae ad Fridericum) — als mein Sun gekrönt war, da ward dem von Polan (Vladislao I.) die stat zu Ofen übergeben — — — nachdem so ließ auch sich derselb von Polan mit ainer unrechten todten Krone darnach krönen, wider Gott, er, und wider recht, und wider alles alts Herkömen und löbliche Gewohnheit des Kunigreichs zu Ungarn, wan es ist von nye erhört, noch gesagt worden, das ein Kunig zu denselben Kunigreich gekrönt sull, und mug werden, oder worden sey mit unrechter, ungewandlicher, oder anderer, dann mit der rechten heiligen Krone, als das in allen Karoniken des Kunigreichs geschrieben erfunden wirdet [b]).

**) Regnicolae in Comitiis coadunati — alia inter — ita mentem suam explicant: „pari voluntate et Decreto tribuentes „praefato Domino nostro, nunc coronato Regi, plenissimam „illam facultatem, et potestatis plenitudinem in faciendis gra„tiis, et donationibus, et confirmationibus perpetuis et ad „tempus collationibus, et locationibus bonorum, et officiola„tuum, atque immunitatum officialibus, et Baronibus Regni, „item in disponendis Praelaturis, ac Beneficiis ecclesiasticis, „tam majoribus, quam minoribus ac recompensandis meritis „fidelium; quibuslibet quoque infidelibus, et delinquentibus „secundum uniuscujusque demerita puniendum, nec non in „faciendis emendandis, ac exercendis judiciis, exercendumque, „agendum, dirigendum, et concludendum in omnibus his, „quae ad Reges Hungariae, suos Praedecessores, et eorum

a) Max. im. Dec. V. de Anno 1572. art. 1. §. 3.
b) Ex analect. Monum. omn. aevi Vindob. Op. Ad. Fr. Kollár Vindobonae A° 1762. edit. T. 2. p. 915.

„facultatem quomodolibet, consvetudine videlicet, aut (jure) „pertinuerunt, ac si idem praefata priori nunc sub-„lata corona fuisset, ut moris exstitit coro-„natus“ [a]).

§. 89.

Quae legibus fundamentalibus.

Occasione tandem, qua primum regulata Sucessio fuit, coronationem perpetuo observandam, lege fundamentali praescribi, A[i] 1687. Art. 2. clarius perhibet, quam ut amplius demonstrare oporteat. Hoc quippe Status, et Ordines declarant: „quod a modo in posterum neminem alium quam „Suae Caesareae et Regiae Majestatis propriis ex lumbis „descendentium masculorum haeredum primogenitum in „perpetuum pro legitimo suo Rege, et Domino sint habi-„turi, et erga semper toties, quoties ejusmodi „Inauguratio suscipienda erit, praemittendam „praeinsertorum articulorum diplomatico-„rum acceptationem, seu regiam assecura-„tionem, deponendumque superinde Juramen-„tum in ea, qua a Majoribus suis praestitum „esset, forma dietaliter intra hoc Regnum „Hungariae rite coronaturi.“

§. 90.

In specie Inaugurali Diplomate.

Eundem ex integro sensum cuncta deinceps inauguralia Diplomata [b]) praeseferunt. Demum lex iterum fundamentalis regnante Carolo lata [c]) requirit: „Ut haeres „Augustae Domus Austriacae — — eodem successionis pro „his, et futuris quibuscunque casibus haereditario jure „etiam pro infallibili Rege Hungariae, Partiumque Regno-„rum, et Provinciarum eidem adnexarum aeque indivisibi-„liter intelligendarum habeatur, et coronetur.“

§. 91.

Novissime clarius adhuc praescripta.

Ita post adoptatam quoque faeminei sexus Principum

a) Post. Math. Dogiel Diplomat. Reg. Polon. T. 1. p. 55. et 56. — Kovachich Vest. Com. p. 240.

b) Caroli, Mariae Theres. Leop. et Franc. quae ordine in Decr. comparent.

c) 1723. 1. §. 4.

Successionem in Regno Hungariae Coronationem minime arbitrariam evasisse, abundanter perspicuum erat; sed cum invenirentur, qui in re evidentissima ambiguitatem obtenderent, alii reapse subvererentur, hujus etiam umbram Leopoldus II., et Franciscus Augusti penitus dissiparunt: quin per eorum aequitatem jam et temporis spatium defixum habetur, intra quod cum quavis Regiminis mutatione haec Solennia ritu legali inomisse suscipi debeant [a]), sex mensium videlicet a die obitus Regis defuncti computandum.

§. 92.

Fundamentum attamen apprehendendi Imperii non constituit.

Erraret attamen ille vehementer, qui Inaugurationem propterea, quia leges fundamentales eandem necessario suscipiendam praecipiunt, post introductam etiam haereditariam Successionem pro fundamento apprehendendi Imperii consequendique juris ad solium, regimenque Hungaricum praestitutam arbitraretur. Enimvero praeterquam quod in Regnis haereditariis non patrimonialibus summa Majestas in eum, quem eaedem illae fundamentales leges ordine suo ad Successionem vocant, ipso jure devolvatur, quo momento Antecessor exspiravit, adeoque in Regno mere successorio interregnum ex indole locum habere nequeat; insuper Regni Status huc sollicite adverterant, quando ad praecavenda, sibi optime cognita Interregni mala Reges non electione creari, sed certos et indubitatos per nativitatem designari maluerunt [b]). Item dum terminum peragendae Coronationis — „salvis tamen intermedio tem„pore omnibus juribus haereditarii Regis quae ad publi„cam, Constitutionique conformem Regni administrationem „pertinent, salvis non minus eidem Regi debitis homagialis „fidei obligationibus“ — praefixum ultro acceptarunt.

§. 93.

Num per Solennia Inauguralia Regiae Potestati quidquam accedat?

Vicissim neque illos audiendos puto, qui nullam ab-

a) 1791. 3. et 1792. 2. seu Diploma Inaug. Regnantis Majest.
b) 1723. 2. §. 2.

solute exercendorum Jurium Majestaticorum partem Regi per solennem sacri Regni diadematis impositionem accrevisse docebant. Si enim leges ferendi, abrogandi, interpretandi potestas Principi tantum legitime coronato cum Statibus, et Ordinibus communis esse [a]), si eminens illud, atque exclusivum Jus regium privilegia conferendi penes solam legitime coronatam Regiam Majestatem permanere [b]) statuitur, si non tam ad auspicandum, quam legibus, et pactis mutuis conformiter prosequendum Imperium inomisse requirebant leges, ut Coronatio ritu legali obtineat [c]), sane jure aliud, et cum veritate propugnari vix potest, quam quod haereditario Regi — praemissis Regiae Potestatis attributis reliquis inconcusse licet permanentibus — exercitium omnis plenitudinis Regiae Potestatis per actum legitimae Coronationis omni sui parte accesserit. Atque isto omnino sensu Comitia supremam potestatem de lege Regni solis legitime coronatis Regibus competere dicunt [d]).

§. 94.

Ad Coronationem legitimam.

Ubicunque coronati Regis mentio in legibus occurrit huic 'Επίθετον legitime fere semper additum illas revolventi protinus apparebit. Hoc autem significatu oportet imprimis absolute illum inaugurari, quem stabilitus succedendi ordo immediate ad gubernacula vocat, nam istud si desideretur, fac supponamus, reliqua adesse, et observari ex moribus, institutoque Majorum omnia: Coronatio attamen haud unquam legitima reddetur. Deinde ut in publico Regni Conventu intra Regni ambitum sacra Regni Corona, id est ea ipsa, qua venerandi Protoregis tempora redimita fuere, ritu legali peragatur.

§. 95.

Regni Corona semper requirebatur.

Cuncta haec fundamentales sanctiones monent, ac

a) Vide post alios Palmar. art. 12. 1791.
b) Instar omnium sit cit. art. 12. 1791.
c) 1791. 2.
d) 1741. 4. et 5.

praecipiunt [a]) caeteroquin perpetua consuetudine observata. Sic nominatim antiquissimae institutionis esse, ut non quisquam pro legitime coronato Rege haberetur, nisi eo diademate insignitus, quod S. Stephano a Pontifice missum fuisse creditur, jam in superioribus occupatum, et illustratum fuit; praeterea palam istud reddit praeter Instrumentum publicum aetate Caroli I. [b]), et alterum aliquanto vetustius, Andrea III. auctore conditum [c]). Quamquam id secus etiam constanti, ac universali traditione pervulgatum sit adeo, ut nec controversiam ullam subire queat.

§. 96.

Neque levi de causa.

Majoribus scilicet nostris de securitate Civilis suae libertatis — Constitutionem hodie dicerent — in omnem posteritatem sollicitis, nihil videbatur opportunius, quam ut Reges confestim cum aditu Imperii et coronari, et jurare debeant; actusque hic memorabilis ad effectum tanto certius assequendum designatae, domique sollicite custoditae coronae adstringeretur. Nam hoc stabilito, quum electiones adhuc — atque raro sine factionibus — usuveniebant, non poterat — Electus licet — reale potestatis exercitium auspicari, nisi Regni diademate coronaretur; non coronari absque simultanea jurium, libertatum, praerogativarum confirmatione. Hoc ergo fuerat Palladium illud, quod nutantem saepius Regni Constitutionem sustinuit, quandoque prostratam erexit; et nequaquam vanum praejudicium, vel quae, nescio, superstitio, prouti rerum nostrarum ignari, aut malevoli nobis id saepius oggerebant: non denique vanum quoddam spectaculi, pompaeque desiderium vim tantam solenniis istis, ipsique Regni Coronae conciliavit.

§. 97.

Essentiales Inaugurationis Partes sunt:

Quantum vero ad ritum legalem attinet: Coronatio

---

a) Cit art. 2. 1687. et post hunc omnia Diplom. inaug.
b) Edit. in Com. de Batthyány Leg. Eccl. T. 1. p. 463.
c) Ejus part. ex Authog. per Pray desumt. vid. ap. Kovachich in Vest. Com. p. 150.

Juris publici domestici interpretatione, sensu tropico sumta, tres essentiales partes hac una sub nomenclatione comprehendit, a se invicem indissolubiles. Puta: Diploma Inaugurale, actum ipsum priscis, ac religiosis ritibus consecratum, et Juramentum Populo publice nuncupandum, de quibus suo nunc ordine.

§. 98.

I. Diploma Inaugurale.

Assecurationem de observanda Regni Constitutione, a summo Principe in aditu Regiminis praestandam, Hungari Diploma Inaugurale dixere, (XXIV) ad cujus vetustissima exordia, cum certitudine determinanda, viri egregie docti, rerumque patriarum studiosissimi frustra hactenus conatus suos applicuerunt. Nobis, ne ultra, ac praesentis disciplinae ratio deposcit, impervias antiquitatis tenebras ingrediamur, notasse sat fuerit: peculiares omnino libertates, quod aurea Andreae Regis Bulla claris verbis exprimit [a]), a Sancto Stephano fuisse concessas, perque Eundem, — si modo Hartvici mentem recte assequimur *) — ocassione primae omnium coronationis perpetuo foedere firmatas.

*) „Post acceptum — narrat idem Biographus [b]) — regalis „excellentiae signum — qualis vitae vir, et discretionis fuerit „— cum Episcopis, et Primatibus Hungariae statutum a se „decretum, manifestum fecit, et ut pacis, per quam Christus „orbem coadunavit, se fore probaret filium, quod nullus alium „hostiliter invaderet, nemo vicinum sine judicii examinatione „laederet, viduas, et orphanos nullus opprimeret, subscrip„tione foederis non pereuntis posteris suis reliquit „stabilitum.“ Heu quod tam venerabiles aevi reliquias amis„sas desideremus [c]).

§. 99.

Vetustae originis.

Has dein, a Regnicolis saepe numero allegatas libertates Reges suis confirmabant Decretis, interposita Jurisjurandi religione, et plerumque adhuc superaddendo quosdam Articulos, quales adjuncta suasissent. — Rei exem-

---

a) 1222i in Praef.
b) Op. cit. pag. 134.
c) Conferri hic meretur Kovachich. Vest. Comit. a pag. 12.—20.

plum in laudata Andreae Bulla hactenus primum, quoties vel de vitanda praerogativarum jactura, vel de iis pristino vigori restituendis agendum erat. Successores postea fere ex ordine imitabantur. Idque ab uno eodemque Rege nonnunquam repetitum fuisse visitur. Sic Andreas II. et ejus filius Bela IV. juratas similes concessiones ambo iterarunt [a]).

§. 100.

Quod exemplis Andreae III. ac Vladislai I.

Atque istud est, quod parum sollicite expenderint rerum nostrarum Commentatores illi, qui dum quasdam hujus generis Litteras non occassione solennium Coronationis auspiciorum, verum serius emanasse cernerent [b]) pro evicto reputabant Principes eorundem largitores cum Regiminis aditu nullam Regno assecurationem praestitisse. Verum errorem hunc vel Decreta Andreae III. et Vladislai I. *) abunde refellunt; his enim jura Populi, et libertates antiquae ab illis quoque Regibus sequiore constitutione iterum corroborantur, qui easdem datis sub initium obtentae gubernationis litteris. Se observaturos jam praevie spoponderant. En simul minime obscurum Diplomatis Inauguralis vestigium, e prima Regum periodo desumtum **).

*) Posterius in origine sub inauguralibus Comitiis A^no^ 1792 Regni Tabulario illatum, complectitur simul transumtos legum articulos Andreae II. et III., quos Vladislaus primus sex aliis superadditis confirmat. Praetiosum hoc veteris Juris publici domestici monumentum integre descripsit Kovachich, eruditissimis notis illustratum [c]).

**) Suppeditat istud admodum perspicue articulus 41. modo memorato Decreto Andreae III. insertus, dum libertates tempore Coronationis expressas, et alia, in Litteris Domini Regis, tempore Coronationis suae datis, continentur, et ea quae in praesentibus statutis exponuntur, firmiter praecipit observanda.

---

a) Conf. laud. Bull. Aur. cum Decret. ejusd. Andreae de A° 1231. quod post Odoricum Raynald. Palma, Kovachich aliique vulg. et istud cum Belae IV. Dec. I. de A° 1267. cujus authent. par. in Archiv. Cap. Strigon. asserval. et e MS. S. Heveness. edid. in Vest. Comit. p. 134.

b) Nominatim aspice Decreta Confir. Ludov. I. Mariae, et Alberti in Corp. Jur. hung.

c) Suplem. ad Vest. Comic. T. 1. p. 66. et seq.

§. 101.

Ferdinandi item I. confirmatur.

Ne aliquid praetermisisse jure culpemur, quod pleniorem his quae dicta sunt, lucem affundit, juverit ad Decreti A[i] 1537. articulum ultimum Πάρεργον appellare. Quem simodo quis attente perlustraverit, extemplo dispiciet, nihil ab antiquis Majorum moribus alienum fuisse reputatum, sub Ferdinando I. petere iterum, atque impetrare Libertatum, Privilegiorumque Confirmationem, qui has cum primo suo in Regnum ingressu, ac postea suis sub Inaugurationis Solenniis juramento, et Litteris antea roborasset *), abindeque res non scopo quidem, tempore tamen, occasione, et origine dispares facili negotio distinguet.

*) Sic enim sonat „de publicis totius Regni Hungariae, ac Par„tium sibi subjectarum libertatibus, ac privilegiis de novo „confirmandis, et observandis — — — Regiae Majestati „Domino Nostro Clementissimo publico nomine supplicamus. „§. 1. Qua Supplicatione accepta — — — Majestas ejus gra„tiose respondit, quod licet tempore felicis Corona„tionis Suae, et etiam antea in ingressu suo in „Ungariae Regnum ad servanda omnia privilegia, liber„tates laudabiles item, et approbatas consuetudines publicas „instar praedecessorum Hungariae Regum solenniter jura„verit, et superinde etiam litteras efficaces nobis „dedisse recenti memoria teneat. §. 2. Tamen si „eas quocunque modo — — periisse contigisset, ejus Majestas „non gravabitur novas Litteras, similes priori„bus, omnibus Regni ordinibns dare, et conce„dere gratiose. §. 3. Easque omnes libertates — — ut „pium, et justum decet Principem, inviolabiliter observabit. „§. 4. Id quod coram Dominis Praelatis, et Regni Nobilibus „qui ex conventu praescripto Ordinum, et Statuum Regni „delecti exstiterunt, Viennae pro festo B. Dorotheae Virg. et „Mart. anni praescripti 1537 sese facturam, viva voce obtulit.“

§. 102.

A Mathiae II. temporibus praecedit Coronationem.

Inauguralia inter Diplomata arctiori definitione, quam praemisimus (98) accepta, Vladislai I. vetustissimum est, quod hactenus eruditorum detexit industria, posteriorum Regum pleraque Codex domesticus continet. — Dabantur antea vel confestim post electionem, uti a nunc memorato

Uladislao [a]) Michaeleque Szilagyio pro Mathia Corvino Nepote [b]) vel cum primo ad capessendas habenas in Regnum adventu, quod Ladislaus V. [c]), Uladislaus II. [d]). Generque istius Ferdinandus I. [e]) egerunt. Sed a Mathiae II. tempore invaluit, ut illud mox ante Coronationem Regi acceptandum Status praesentent, postea ab hoc manu sua signatum, sigilloque munitum, Decreto subinde inferendum.

§. 103.

Quibus hodie constet articulis?

Absolvitur autem in diem hodiernam celebre hocce Palladium; idque ab aetate Caesaris Caroli VI. articulis quinque. Pollicentur quippe Reges fide interposita I. Se tam coronationem, quam universas regni libertates, immunitates, privilegia, statuta communia, jura, leges, et consuetudines hactenus concessas, inque futurum concedendas — exclusa Andreae II[di] clausula „de resistendi „facultate“ — observaturos, facturosque per alios omnes inviolabiliter observari. II. Regni Coronam per unanimiter ex eorum medio, sine discrimine religionis, delectas personas intra limites Regni conservaturos. — III. Recuperata, aut deinceps recuperanda Regni, Partiumque adnexarum tenuta Hungariae de toto fore reincorporanda. IV. Redituram liberam electionem, si — quod Deus clementer avertat — omnis Augustae stirpis Propago, cui jus ad coronam legibus fundamentalibus tributum fuit penitus exstingueretur. V. Denique cavetur, ut Regni haeredes cum quavis inauguratione inomisse intra tempus definitum suscipienda praesentem diplomaticam Assecurationem acceptare, desuperque Juramentum deponere obstricti sint [f]).

---

a) Vid. Capitul. cum eod. stipul. in Opere cui Tit. Explicatio Juris Hungariae in Russ. rubr. et Podol. Doc. X.

b) De anno 1458 in Corp. Jur. et Mathiae Confirm. desuper ap. Kovachich Vest. Comit. p. 298 et seq. item Katona Hist. crit. T. 14. p. 69.

c) Anni 1453. in Praef. et art. 1. et 2.

d) Dipl. Uladislai II. de Anno 1490. in Corp. Jur. Hung.

e) Corfirm. per Ferdinandum I. articuli de Anno 1537. in specie supra cit. 29.

f) Diplom. Inaug. Francisci I. Aug. de Anno 1792. et anteriorum Regum.

§. 104.

An nova Capitulatio amplius.

Tametsi igitur negari nequeat, priusquam haereditatis ordo fuisset stabilitus, assecurationes, de quibus sermo vertitur, ad uberiorem scilicet pactorum bilateralium, juriumque applicationem, ac praesidium — pro adjunctorum diversitate — confectas variasse, diploma nihilominus, quod singuli deinceps Reges usque Ferdinandum Augustum, hujus nominis quintum ediderunt, ejus est indolis, ut illud solita forma sibi oblatum, nec Principi, quamquam necessario succedenti, recusare integrum foret, ast nec Statibus aliud exigere. Innititur enim pacto fundamentali, secumque ipso pugnaret apertissime, ut nova Capitulatio ibi locum capiat, ubi nec interregno amplius ullus relictus habetur. Quam doctrinam per se naturalem, atque planissimam non usus tantum continuus roborat, sed ipse articulus Diplomatis ultimus, spondendo praesentis diplomaticae assecurationis acceptationem [a]).

§. 105.

Aut quaedam mutatio locum habeat?

Interim mutuo, atque libero utrinque consensu hoc non obstante alterari quidpiam — salvis fundamentis — vel addi etiam, aut clarius exprimi posse, res ipsa loquitur, ac iterum observantia testis est; ad quam si respiciatur, duplex — nec obvium — discrimen Diplomata Caroli, et ejus filiae Mariae Theresiae, ad se invicem combinata, repraesentant [b]). — Nam in priori inserta fuerat conditioni 3ae clausula conditionis primae, his verbis: „praenotato Regno, „et eidem adnexis partibus sub modalitate supradictae In„terpretationis de usu, et intellectu legum, et „Privilegiorum de toto reincorporabimus." quae in posteriori praetermissa habetur. Praeterea speciali articulo, eodem Conventu condito [c]), excipiuntur ab eadem hac clausula: I. Jura fundamentalia, libertates, immunitates, Praerogativae Statuum, ordinumque Hungariae, ac Partium

---

a) Inspice univ. Diplom. Inaug. a Carolo VI. ad ultimum.
b) Conf. Anni 1715. 2. cum 1741. 2.
c) Anni 1741. 8.

adnexarum, nominatim Immunitas Nobilitatis a Contributione. II. Cavetur ne onus publicum fundo unquam inhaereat. III. Vero ne Regnum ad normam aliarum Augustae Domus Provinciarum, verum propriis institutis, ac legibus gubernetur. Ad hujus porro ipsius articuli dispositionem Diploma Leopoldi II. expressis verbis provocat [a]), et quae demum in illo adhuc ambigua videbantur *), animo vere augusto Franciscus Rex optimus proprio motu immutavit, quod supra attigimus. (19.)

*) In prioribus nempe de Coronatione haec legebantur: „Quod „praeter ab antiquo deductam haereditariam Successionem, Coronationemque, in reliquo universas „libertates — — — observabimus“ in ultimo contra Diplomate horum loco sequentia reperies; „Quod praeter ab antiquo deductam haereditariam regiam successionem „tam Coronationem ad mentem articuli 3. 1791., „quam reliquas universas etc.“ [b])

§. 106.

II. Ritus Inaugurationis Regiae.

Coronationis actus, quem — ut a saeculis locum habuit — uberius, qui volet, in Diariis Comitiorum, et provocatis inibi Documentis inveniet, compendio huc redit: praestituta die Rex inaugurandus a Baronibus Regni, queis regalia Clenodia anteferre datum est, longo Procerum, Ordinumque equestri agmine praecedente, in Basilicam deductus, praestito inter Missae solennia jurejurando de justitia, et pace colenda, atque tuenda Ecclesia primum a Praesule, sacra operante, oleo Cathecumenorum perungitur in humero dextro, brachio, et inter scapulas, tum Paludamento divi Stephani, gladioque indutus, socia Regni Palatini opera, ab eodem Antistite Corona incingitur, Thronoque Regio imponitur, ac sacra subinde Synaxi reficitur.

§. 107.

Ordoque Ceremoniarum.

Ordo iste ceremoniarum, quantum ecclesiasticis ritibus peragi consvevit, idem utcunque jam a Pipini Francorum Regis temporibus apud Germaniae Caesares, postea

a) Dec. 1791. 2. insertum.
b) Dec. 1792. art. 2. §. 1.

universos fere occidentalis Europae Reges, Sacra Catholica secutos, pedentim invaluit, libro etiam Pontificalium inter reliquas Consecrationis species [a]), tamquam pro norma a summis Pontificibus praescriptus, ab iisdemque observatus; cum ipsi olim Imperatores ungerent, atque diademate ornarent. — Reliquas nobis proprias Coronationis solennitates quod attinet, eas quantum quidem memini, Dlugossus [b]) cum Calimacho [c]) Scriptores coaetanei primi ad res gestas Vladislai I. sat succincte descripserunt *), prolixius Vladislai II. Inauguralia Bonfinius peroravit [d]), ut illum disertum, quin persaepe λογο δαιδαλον evasisse noverimus. Quacum si recentiores, inde a Ferdinando I. ad nostram aetatem auctoribus synchronis diligentissime descriptas [e]), invicem conferas, vix ullam reperies differentiam, praeter morem forte, cum regulata Regnantium Successione e rationibus patulis, probatisque dimissum, virtute cujus Comes Palatinus mox ante Diadematis Impositionem elata voce circumstantes lingua vernacula ter interrogare solebat: utrum neocoronandum Regem coronari velint? Coronatio autem ad datum totidem vicibus affirmativum responsum subsecuta fuit [f]).

*) Nam quae e Mellicensi in epistolarem Codicem Peczii [g]) „de ritu benedicendi, et coronandi Reges Hungariae“ ad Alberti Coronationem fuerunt transumta, simplex liturgicarum precum, et ceremoniarum e libro quodam pontificali descriptio est, indicans, non quid actum sit? — uti stilus ad oculum ostendit, ast quid observandum veniat? Fallebatur itaque Schvartner [h]) cum Alberti Coronationem omni sui parte laudato in opere recenseri putabat.

§. 108.

Continuatur.

Peractis Sacris, Rex Pallio Stephaneo vestitus, Coronam capite, dextra Sceptrum gestans, sinistra Pomum,

a) Instar. exemp. inspici pot. Lib. Pontific. Antverp. edit. Anno 1627.
b) Hist. Polon. L. 12. p. 142.
c) De Reb. Vladislai I. in Collect. Schwandt. T. 1. p. 463. et seq.
d) Hist. Dec. IV. L. X. p. 535. meae edit.
e) In Op. cui T. Solenn. Inaug. edit. Anno 1790.
f) Conf. Disquis. Hist. de modo cons. Imp. in Hung. pag. 162. et. Auct. inib. cit.
g) Cod. Dipl. Hist. Episc. P. III. et VII. p. 228.
h) Statistik von Ungarn. P. II. p. 45. in not.

progreditur super pavimento assericeo, rubro albo viridi panno constrato in aliud ad id destinatum templum, praecedentibus vexillis decem Regnorum, juribus Coronae obnoxiorum, insequente Thesaurario regio equite, ac numos mnemonicos aureos, argenteos in confertam multitudinem dispergente, Hic conscenso solio, mox candidatos per Palatinum, et Aulae Cancellarium hungaricum, alternatim provocatos, Ense divi Stephani, laevo genu flexos, ad dextrum humerum leni attactu ter percutit, eoque modo auratos creat Equites. Egressus inde, equo insidens, ad Pegma sub dio constructum, aulaeis ornatum, se confert; ubi, circumfusae multitudini conspicuus, jurat ex formula Decreto inserta [a]), quam Archiepiscopus Strigoniensis praelegit. Tandem ultra petendo, in collem regium concitato sonipede subvectus, ensem forma crucis in quatuor Orbis plagas evibrat *), reductus denique triumphante Populo, Convivio regali assidet, cui Principes Regii Sanguinis, Regni Primas, Palatinus, et Archiepiscopus Colocensis adhibentur; interdum etiam Legati, ut olim communiter Venetus, ac Pontificius, recentius sub Leopoldo II. praeter hunc posteriorem, Neapolitanus [b]), Regni vero Barones pro antiquo Archiofficialium more sua epulanti Regiae Majestati ministeria praestant.

*) Consvetudo isthaec perantiqua, non tamen ita Hungariae propria est, quin aliquando non alibi quoque usuvenisset. Ut enim nihil dicam de simili Romanorum Pontificum ad Basilicam Lateranensem egressu, constat eam a veteribus Italiae [c]), Poloniae [d]), aliisque passim Regibus observatam exstitisse. Indicat vero symbolica haec actio ad minimum nobis obfirmatum Principis animum, ad populum strenue tuendum, et fines Regni, qua juste licuerit, extendendos [e]).

§. 109.

Jus Regem coronandi cui competat.

Jus Regem coronandi proprie, ac constanter ad Ar-

---

a) Vide Decreta inauguralium Comitiorum.
b) Vid. Diar. Diaet. Anni 1790. et 1791. p. 219.
c) Schard. Script. rer. Germ. T. VII. p. 267.
d) Cromerus rer. Polon. L. II.
e) Casp. Ursii Velii de Bell. Pann. L. II. p. 38. It. Op. huic adject. p. Kollár. Descr. Synch. Coron. Ferd. I. — Kovachich solen. Inaug. in Cor. Rudolph. — E. M. S. S. Coaev. et Coll. Heveness. desumt. p. 36.

chiepiscopum Strigoniensem pertinuit, quod praeter Canonicam Capituli Strigoniensis Visitationem, Saeculo XIV. peractam, Rescripta indicant Coelestini III. atque Innocentii Romanorum Pontificum, et hujus quidem, cum litem duos inter Metropolitas, eatenus exortam, in favorem Archi-Praesulis Strigoniensis decidisset. Testantur ad haec Belae IV. Stephani V. et Caroli I. Diplomata, omnium vero luculentissime Sigismundi litterae [a]). Unde, ne in re perpetua consuetudine firmata, inanes moras nectam, verba huc facientia in continenti subnotabo. *) Peculiaribus interim de causis, quas ex annalibus disces, inauguralia haec alii quoque Hungariae Antistites peregerunt. Ita Colocensis Belam III. Sigismundum Veszprimiensis, — Ferdinandum, ac Zapolyam Nittriensis Praesules coronarunt [b]).

*) „A plurimis — inquit Sigismundus — retroactis temporibus in quorum memoria humana mortalitas non novit „recordari, ex approbatissima Regni consuetudine, hactenus „illibate observata, eorundem illustrissimorum Regum veri „Successores per manus Domini Archiepiscopi almae Strigoniensis Ecclesiae pro tempore constituti sacro regio diademate juridice debent „sublimari.“

§. 110.

III. Regis Jusjurandum.

Vidimus Hungariae Reges sub ipsa Coronationis solennitate duplex nuncupare Juramentum, alterum generalibus terminis, ac formula, libro pontificio descripta, antequam Coronam recipiant (106) alterum, sacris inauguralibus jam peractis, in conspectu Populi speciale omnino, ac proprium super regii Diplomatis, praevie acceptati, conditionibus, Regnicolarumque libertate (108). Quod quia Comitiali Decreto inseri solet, usitato Juris nostri vocabulo decretale quoque Juramentum audit.

§. 111.

Cujus Origo.

Originem prioris, una cum caeteris, huic connexis, ritibus ecclesiasticis ipsi Coronationi coaevam esse, vix ali-

a) Cuncta haec. prov. Doc. reperies in Pray Spec. Hier. hung. T. 1. a. p. 103. usque 127., quem hanc. in rem utilit. inspicies.

b) Pray loc. cit. p. 126.

quis fundate disputaverit. Posterius nonnulli pro recentiori instituto habere maluerunt, indeque fidem Verbőczii elevare, palam, ac diserte profitentis: [a]) Andreae II. Constitutiones cunctos postea Reges priusquam Diademate ornentur, Jurejurando in suam usque aetatem firmare consuevisse.

§. 112.

Omnino antiqua.

Qui tamen a vero quantopere recesserint, docet praeprimis epistola Honorii Papae ad Belam IV. [b]). „Cum teneatur — inquit Pontifex — et in Coronatione „sua juraverit (Andreas II.) jura Regni sui, et „honorem Coronae illibate servare.“ Clarius adhuc verba Stephani V. sequentia, per Prayum adducta [c]) „Nos igitur in die Coronationis nostrae Baro„nibus, et universis Regni nostri Nobilibus „juramentum praestitum infallibiliter volentes observare etc.“ Tandem omnium clarissime Instrumentum Ladislai IV. [d]) quod Raynaldus prima vice vulgavit *). Non regredior ad testimonium Kezae de Samuelis Abae Juramento [e]): nam, quae provocavimus, morem interpositi a regibus primae etiam Stirpis super Regni Constitutione Sacramenti continuum ubertim commonstrant; et Verbőczium, si vel verosimile foret, virum, ad conscribenda Regis, ac Gentis jura vocatum, in re tanti momenti sine metu prostitutionis hallucinari temerarie praesumsisse, ab ea labe penitus absolvunt. Praesertim cum de juramento simili, Periodo II[da] in usu vigente, tum authenticis Litteris, tum legibus ipsis, Codici domestico insertis, praelucentibus, jam neque umbra ambiguitatis supermaneat [f]).

*) Textus, qui ex eodem huc facit, sequens est: „Primo qui„dem juravimus, quod fidem Catholicam, et ecclesiasticam

a) P. II. tt. 14.
b) Pray Annal. P. I. p. 230.
c) Hist. Regn. Hung. T. 1. in not. praev. L. XII.
d) Ad Ann. 1279. Nr. 31. et post. hunc atque mult. alios Katona Hist. crit. T. 6. p. 790.
e) Op. cit. p. 104.
f) Vid. form. Juram. a Carolo Robert. praestit. ap. Jos Koller Hist. Ep. Quinqueecclesiensis T. II. p. 297. Capitulat. cum. Ulad. I. init. in Praef. Exp. Juris Hung. in Russ. min. p. 18. Dec. Ladislai posth. de Anno 1453. 1. Bonfin. cit. Dec. IV. L. 10. p. 535. Istvánfy Hist. L. IV. p. 36.

„libertatem servaremus, ac teneremus, ac teneri faceremus, „ac servari in Regno nostro, et terris nobis subjectis: quodve „Constitutiones, et Decreta sanctorum Regum „Progenitorum nostrorum, et bonas Consuetu- „dines, et singula quae nostri Progenitores in „sua consueverunt Coronatione jurare, inviola- „biliter servaremus.“

§. 113.

A Statibus quoque aliquando praestitum.

Prout autem Reges nostri jurati spondent, Se Jura, Libertates, Privilegia Populi religiose conservaturos; sic vicissim Regni Ordines aliquando subjectionem, fidelitatemque jurejurando pollicebantur *); mos equidem iste pars regiae Inaugurationis dudum esse desiit, propterea indubie, quia homagium, obedientia, et fides sempiterna haereditario Principi debita, ipsi caeteroquin subjectionis pacto inest, atque ex Imperii natura necessario consequitur.

*) Testatur id articulus 2. anni 1453 his verbis „converso „Domini Praelati, Barones, ac Proceres, et Nobiles, caeterique „Fideles Regni sui Ungariae universi, sed et Deputati Nobi- „les, hic Posonii exsistentes, juramentum praestare debeant, „et teneantur eidem Domino Nostro Regi super observanda „fidelitate, et obedientia.“

§. 114.

Locus Inaugurationis.

Locum peragendae Coronationis, intra Regni tamen Limites, defigere (§. 89) ab Regis arbitrio dependet. Olim ordinarius Alba fuerat [a]), quae ob id Regalis cognomentum habet [b]), et in antiquis chartis frequenter Urbs regia per excellentiam dicta est. Sed quum in Turcarum potestatem venisset, Ferdinandus I[us] Posonii filium Maximilianum diademate insigniendum curavit [c]); ab eo inde tempore Ferdinandus III[us] ob grassantem contagionem Sopronii [d]) Franciscus Budae, reliqui omnes Posonii coronam susceperunt.

---

a) Prob. hujus fac. alia int. Verba e Dipl. Caroli Rob. §. 6. in med. adducta.

b) Mart. Stella de Turc. successib. Ep. 3.

c) Vid alios int. Istvánfy test. occulat Hist. L. 21.

d) Dec. de Anno 1625. 3. — Conf. Khevenhüller in Annalib. Ferdin. T. X. p. 692. et seq.

§. 115.
Inauguratio Reginae.

Habent, quae de Regum Inauguratione hactenus disseruimus, eadem fere locum in Coronatione Reginarum, jure suo, suoque nomine regiam potestatem adipiscentium [a]). Solent praeterea Conjuges quoque Regum nostrorum — pro more antiquissimo — a Majoribus tradito *) ritu tamen nonnihil diverso, coronari. Inungitur quippe Regia Consors in brachio dextro, in vola manus, et intra scapulas; traduntur ei Sceptrum, et Pomum, non item gladius; Corona sacra velut Regem in ferendis Regiminis curis succollaturae dextro humero, non capiti imponitur; istud vero altera, quam domesticam vocant, ornatur. Quamquam ab origine Regni adusque exitum Saeculi XV. Reginae non minus ac Regis tempora vetus illa Regum Corona ambiebat [b]). Hocque modo adhuc Beatricem Mathiae Corvini Conjugem inauguratam fuisse, comperimus [c]). Anna, Uxor Ferdinandi I., prima omnium propria Corona incincta esse videtur [d]) et Maria Maximiliani thori socia prima, cujus humeris regalis corona admota exstitit [e]).

*) Diplomata Belae IV. et Ladislai Chuni, per quemdam prolata [f]), extra dubium collocant, regias Conthorales jam prima periodo coronari svevisse, caeteras inter Stephani V., Ladislai Chuni, Andreae III. de hac solennitate, quae secum intervenerat, propriis litteris [g]) testantur. Constat porro id ipsum ex epistola Antistitum Hungariae, ad Honorium III. Pontificem scripta [h]); de Maria Belae IV. Consorte, hujusque Matre Gertrude, quod Schierius prodidit [i]) imo Giselam ipsam Corona fuisse redimitam, Hartvicus multa verosimilitudine conjecturandum reliquit [k]).

---

a) Vid. Solenn. Coronat. Mariae Theresiae apud Kolinovich in nov. Reg. Hung. periodo L. IV.

b) Conf. Disq. de Jure Coron. Regin. Hung. a pag. 3. usque 7.

c) Vid. Regis Math. Nupt. et Coron. Regin. a Coaetaneo qui his interf. ap. Bel. Edit. Schwandtner. T. I. p. 519.

d) Ursini Vel. op. cit. L. II. p. 38. — Item Descrip. Coron. Ferd. supra cit. ex Offic. Joan. Graphei a Kollár. edita.

e) Forgácsii ejus temp. Cancell. in Rer. Hung. sui temp. Comment. Item Listhius in Comment. de Math. II. Imp. ac Istvánfy Hist. L. 21. p. 262.

f) In Reflex. ad Disq. de Jur. Coron. Regin. Hung. §. 1. p. 2.

g) Primae prof. in Pray Comment. Hist. de Vet. Regin. Coron. more p. 9 — reliquae in Disq. de Jur. Cor. Reg. Hung. p. 25 et 36.

h) Ap. Raynald. ad Annum 1223.

i) Reg. Hung. primae Stirp. e Cod. M. SS. Saec. XV. p. 211.

k) Op. cit. Cap. II.

§. 116.

A quo peragenda.

Non nos ulla cogit ratio hic ingredi litem, in qua Prayus [a]) Baernkopf [b]) Csapody [c]) belle admodum, docteque disseruerunt, cuinam scilicet Praesulum unctio olim, et Coronatio Reginarum proprii Juris fuerit? Res enim inita iteratim concordia, et usu longaevo eo nunc redit, ut unctionem Primas Regni peragat, idemque Regni Diadema dextro superinponat humero; domesticam autem Veszprimiensis Episcopus capiti, tamquam perpetuus Reginae Cancellarius. Caeterum vero Coronata nec Equites creat, nec solitum praestat Juramentum [d]). Nondum etiam liquet satis, an vel priscis temporibus omnes Hungarorum Reginae ea occasione ad servandas Regni Immunitates Sacramentum dixerint, quod Stephani V. Conjugem Elisabetham factitasse legimus [e]). Festivitatem Regales Epulae claudunt.

§. 117.

Honorarium offerri solitum.

Antequam ulterius progrediamur, non censeo dissimulandum sub ipsa inaugurali Diaeta Regi, Reginaeque, jam coronatis, donum pecuniarium, quod honorarium compellant, offerri consvevisse. Primum ejus exemplum exstat in legibus [f]), quando Maximilianus coronabatur, abinde vero a singulis Regum, quin et Reginarum Coronationibus obtinet, at pro rerum adjunctis variare solet. Regi Ferdinando Regi Hungariae hoc nomine quinto hoc titulo Regnicolae quinquaginta [g]); divi Francisci Conjugibus Mariae Theresiae viginti quinque mille aureos [h]); Ludovicae quingentena florenorum millia; Carolinae denique quinquaginta mille aureos obtulerunt [i]).

---

a) In Comment. Hist. de Vet. Reg. Coron. more.
b) De Jur. Coron. Regin. Hung. Disquis. cit.
c) In reflex. ad Disquis. nunc. citatam.
d) Vid. Ser. Coron. Conjug. Francisci Imp. ac Reg. Mariae Theresiae, Lodovicae, et Carolinae Augustarum. in Diar. Anni 1792. 1808. et 1825.
e) Pray in Op. cit. p. 9.
f) 1563. art. 2.
g) Diar. Comit. Ann. 1830. p. 61. et 62.
h) Idem Diar.
i) Diar. Comit. Ann. 1808. p. 82. et 1825. p. 99

Caput III.

De Ornamentis Regalibus.

§. 118.

Huc pertinet Diadema Regium.

Inaugurationi peragendae juxta legum praescriptum, et usum ornamenta regalia (Τὸ βασιλικὸν παράσημον) vulgo Regni Clenodia subserviunt, quae exsecrabilis perfidia, et furor seditiosorum sacrilege rapere non reformidavit, ac occulto loco abscondit. In his praecipuum locum Diadema occupat. Opus e duabus coronis, altera Latina, et altera Graeca compositum *), quod post frequentes eruditorum ad rem disceptationes clarus ab eruditionis laude condam Praepositus Koller classice explicuit [a]). Latina sive pars clausa Diadematis, cujus ἐπιγραφή Latio idiomate sunt omnia, sine controversia vetustior est, et per Romanum Pontificem Sancto Stephano submissa [b]), qui hac anno 1000. inauguratus [c]), nomini Regio, ad successores propagato, initium fecit [d]). Tardiorem alterius — Graecae videlicet — originem inscriptiones, atque Imagines produnt Constantini Porphyrogeniti, et Michaelis Ducae Orientis Augustorum, Geisae item primi Hungariae Regis, quorum posterius nominati aetate Protoregis utique multo tardius vixerunt.

*) Nuspiam quidem prostat, aut colligi potest, quandonam Latina in Graecam hanc apertam, ac latiorem inserta fuerit; id tamen indubitatum fit, Friderici III. Imperatoris testimonio [e]), ab Elisabetha Alberti vidua, qualis hodie e duabus conflata visitur, fuisse oppignoratam.

§. 119.

Quo divus Protorex redimitus fuit.

Sint vero ista utcunque: Eandem Sancti Stephani co-

---

a) Edita sing. Comment. de sacra Reg. Coron.

b) Teste Dithmaro Merseburg. Episc. Saec. XI. Scriptore apud Leibnicz. Script. rer. Brunsv. T. I. p. 360. — Hartvic. edit. Pray. p. 130. et seq. — Cod. Miss. Pos. Saec. XIII. ap. Koller in Hist. Episc. Quinqueeccl. T. 1. p. 402.

c) Hartvici p. 124. et Miss. Pos. Op. indicati p. 402.

d) Fundat. S. Regis pro Monast. Pécsvárad elarg. ap. Katona Hist. crit. T. I. p. 194.

e) Kollár Hist. Dipl. Jur. Patr. ap. Reg. Hung. p. 27.

ronam post tot, queis objecta erat, discrimina sine interruptione ad ambiendos sacratos Unctorum Domini vertices deserviisse, continua testium series [a]), tum sacrae Angelicae etiam, et Apostolicae cognomenta perhibent [b]) quae eidem cum praecelsa quadam universae Nationis existimatione constanter adhaeserunt, atque inde etiam — praeter causas supra allegatas — (96) repetenda est assidua Gentis nostrae in illa custodienda diligentia [c]), qua primum apud Albensem Ecclesiam hujus Custodi [d]), ampla hoc titulo bona possidenti, quae bona custodiatus in haec tempora nominantur, confisa *); postea in Castro Visegrad [e]), Saecularium Coronae Conservatorum fidei credita [f]), serius legum sanctione ad arcem Posoniensem [g]), ac postremo ad Budensem [h]) translata est.

*) Hunc ejas Praepositus jus nominandi habuit, ut patet e Litteris Innocentii III. Pontificis ad G. Praepositum Albensem datis [i]). Tardius, dum Custos quidam Joannes nomine sub Ludovico I. ob sublatam quamdam Coronam auream, de Capite Caroli I. Regis, Albae Regiae tumulati, amissione bonorum Custodiatus fuisset mulctatus [k]), Custodes Albenses hac sua praerogativa exciderunt.

§. 120.

Binae objectiones diluuntur.

Adversus hanc communem, constantemque opinionem — nostra quidem Sententia minime erroneam — passim obmovetur [l]) testimonium Papae Gregorii VII. sequentibus verbis expressum [m]): „Henricus Regnum illud (Hungariae) „expugnans, victo Rege, et facta victoria, ad Corpus

---

a) Provocat eos Koller cit. Comment. Nro. XVII. 118. et seq.
b) Inchoffer Hist. Eccl. Hung. p. 263.
c) 1464. 2. — 1492. 3. — 1608. 4. a. c. et 16. p. c. — 1613. 18. — 1622. 2. cond. 10. — 1659. 1. cond. 10. aliaeque numerosae leges.
d) Test. id. litt. Pontif. e Ballnzii Collect. desumt. — Pray. in Annal. Reg. Hung. P. I. p. 183. — Conf. Mich. Szvorényi Hist. Eccl. Reg. Hung. amoen. fasc. V. Nr. 1. p. 13.
e) Citat. 1492. 3.
f) Anni 1498. 25.
g) Cit. 1608. 4. et 1715. 38.
h) 1791. 6.
i) Vid. Epist. ejusd. Pontif. L. XI. Parisiis T. I. p. 380.
k) In Diplom. Ludov. I. de Anno 1349. — Conf. Pray. Diatribe p. 183.
l) Vid. Guszlermann Ungarns Staatsrecht. III. Abschnitt. 4. Hauptst. 239. et 240.
m) In Litt. Anno 1074. die 28. Oct. Regest. L. II. Nr. XIII. ap. Hard. Con. cit. T. VI. p. 1.

„beati Petri lanceam coronamque transmisit.“ Dein forma coronarum, quae ab nostra hodierna discrepans, in divorum Regum Sigillis, picturis, numis observari potest. Sed neutrum magni ponderis. Neque enim Pontifex, quocum caeteroquin vetustiores Scriptores Siegebertus [a]), Arnulphus [b]), Lambertus [c]), et Albericus [d]) — praetermissa diadematis mentione — in lancea tantummodo conveniunt, eam ipsam, qua S. Stephanus inauguratus fuit, verum generice aliquam coronam, Sedi Apostolicae oblatam, asserit, et vix ista vel submitti Romam potuit, posteaquam, ut Chronicon patrium tradit [e]): „Henricus mox a „victo Aba Petrum regali Coronae plenarie restituit, et „sacris insigniis S. Regis Stephani more regio decoratum, „regaliter sedere fecit.“ Alioquin spolium simile ab Henrico reconciliatore perpetratum, incredibile prorsus evadit, quo non ad placandos, verum irritandos populi Primores praesertim christianis ritibus addictos, nihil fuisset opportunius. Fuerant utique illa aetate, et serius exteris, nostrisque Principibus domesticae Coronae, regio in Gazophylaciore conditae *), qualem forte Caesar pietatis ergo Pontifici obtulerit. De typariis, picturis, nummisque id unum meminisse suffecerit, variare in his imaginem Coronae tunc etiam, quum nostra — citra omnem dubitationem — domi aderat.

*) Domesticam Coronam illam dicunt, qua Reges olim, quando exterorum Legatos admittebant, vel dum Comitiis, tribunalibusque praeessent, aut alias solennes in solio fnnctiones obibant, usos fuisse vulgo constat, et hodie etiam, tametsi jam rarius id contingat, interdum tamen uti consveverunt; diversam proinde ab ea, quae semper inaugurationi tantummodo deserviebat, indeque Regni Diadema compellata est. De extraneorum Coronis domesticis nil ultra attinet disserere. Nostrates tales habuisse ostendit Samuelis Abae exemplum, qui Morissena (hodie Csanadinum) in sede Festo Paschatis coronam capite gestavit [f]), item

a) Siegb. Gemblacensis Saec. XI. Script. apud Pistor. Coll. Scriptorum rerum German. T. I. p. 833.
b) Script. ejusd. Saecul. Mediol. in Murat. Coll. Script. Ital. T. IV. p. 22.
c) Lambert. parvus Auct. Saecul. XII. apud. Mart. C. Durand Coll. vet. Script. T. V. p. 6.
d) Saecul. XIII. ap. Leibnicz. in Access. Hist.
e) Thurocz. Chron. P. II. C. 37.
f) Acta S. S. ap. Bolland. ad 25. Sept. Nr. XVII.

Tabulae pacis inter Stephanum V. Hungariae, et Ottocarum Bohemiae Reges initae [a]), nec Scriptores desunt, qui coronarum ejus generis meminerunt [b]).

§. 121.

Deinde Sceptrum cum reliquis Clenodiis.

Jungo Coronae I. Septrum aureum, simile clavae hungaricae, quam nativa voce „Buzogány" vocamus, in globum desinens cristallinum, aureis lamellis circumdatum, unde viginti sex catenulis tot numero globuli dependent. II. Pomum, vel globum terrestrem, pariter e lamina aurea, intus vacuum, huic crux duplicata insidet, quatuor partibus vero totidem aliquando scutula adhaesisse apparet; unum, quod ex his etiamnum superest, Andegavensium Insignia Hungaricis mixta perhibet. III. Ensem S. Stephani, prout vidimus, sub Regum inauguratione adhiberi solitum perinde, ac condam Germaniae Caroli Magni Gladius sacer erat; actuque ille Edvardi Anglis, Venceslai Bohemis praesto est. Noster in summitate, seu capuli nodo Sacro sancta JESU, et MARIAE nomina contracta habet. IV. Pallium, Casulam quippe a divo Protorege, et Gisela Regina Albensi Ecclesiae (monstrante id ipsum intexta vesti inscriptione) dono datam, postea in Regium Paludamentum conversam. Forma amictum ecclesiasticum, Pluviale compellatum, refert. Materia caerulescentis coloris sericea est, variis Imaginibus Coelitum, inscriptionibusque cumulata. V. Calceamenta flavo de corio, operis pervetusti, cum tibialibus aevi recentioris. — Atque haec sunt illa Regalia Ornamenta *), quae una cum Regni Diademate eadem in cista diligentissime custodiebantur. Aliquando Crucem quoque Legationis adnumeratam fuisse, testimonio diplomatico intelligimus [c]), haud dubie illam, quam Hartvicus simul cum Corona Stephano per Pontificem transmissam commemorat [d]).

---

a) Editae ab Raynald. Op. cit. ad hunc. ann.. quas ex eod Pray Annal. P. I. p. 327. — et Katona T. VI. p. 546. exhib.

b) Hos inter Chron. Austr. ad Ann. 1276.

c) Docum. sup. peract. Coron. Ulad. I. in Comit. conditum Anni 1440. ap. Dogiel Dipl. Reg. Polon. T. I. p. 55. — et Kovachich Vest. Comit. p. 235. — It. in Disquis. Hist. de mod. cons. summ. Imp. Mantiss. Nro. IX.

d) Op. cit. edit. Pray p. 132.

*) Kollerus haec demtis Sandaliis, et Tibialibus non modo descripsit diligentissime, verum ad uniuscujusque ἀρχέτυπον in quinque Tabulis exacte depicta, vulgavit [a]). Sunt illa quantumvis pene singula incertae, antiquissimae nihilominus originis, de quibus utpote praeter Diploma, Uladislao I. regnante, confectum, pauloque ante provocatum, Hornekius [b]) et Chronicon Salisburgense [c]) expressam ad Andreae III. Venceslai Bohemi, Ottonis Bavari tempora mentionem faciunt. Accenset his insuper Ferdinandi I. Apocha de A^no^ 1552 [d]) (quod in pertransitu noto) varia paramenta, et lapides quosdam pretiosos, hodie non amplius reperibiles, ast eotum in eadem arca reconditos. Qui plura de Clendiis nosse cupit, inspiciet utiliter Petri de Réva Comentationem de sacra Regni Corona Hungariae ultra 700 annos clarissima. Item ejus Centurias septem de Monarchia, et sacra Corona Regni Hungariae. Schmeitzel in Schediasmate de Insignibus vulgo Clenodiis Regni Hungariae. Mathiam Bél de Insignibus, seu Clenodiis Hungariae, et recentiores alios, bene numerosos.

§. 122.

Crux Apostolica.

Nec reliqua pomparum fercula, simpliciter hoc loco praetermittenda, existimo, quae non tam in censum regalium Clenodiorum veniunt, cuncta tamen propria, et homogenea gaudent destinatione. Huc refero tres Cruces, effigie Servatoris ornatas. Argenteam videlicet in rubra pertica, ceu signum Apostolatus, a primo Regum nostrorum in Successores derivatum; hanc Episcopus ad titulum sacrae Coronae obnoxium nominatus, atque communiter e Canonicorum Strigoniensium coetu delectus praefert Regiae Majestati non modo ipsa die Inaugurationis, verum dehinc, quoties solenni pompa intra Regni fines procedit, aut solio insidet. Altera, quam Tavernicorum Regalium Magister in Pulvinari gestat — quemadmodum Regni Palatinus Diadema, Judex Curiae Regiae Septrum, Pomum Croatiae Banus, Ensem Stephaneum Pincernarum Regalium Magister, — Vestimenta demum Coronae Duumviri; quae Crux — usitato Ecclesiasticis loquendi more — alias Pax, vel Pacificale

---

a) Com. de Sac. Reg. Coron.
b) Ottocarus Hornek Synchron. ap. Pecz. Script. rer. Austr. T. III. p. 386.
c) Ap. eund. Pecz. Op. cit. T. I. p. 402.
d) Pray Annal. P. V. p. 456.

appellata, inter sacros Ritus Regi identidem osculanda porrigitur. Tertiam Cubiculariorum Regalium Magister si Directorium Inauguralium Caroli III., vel coaevam illorum descriptionem consulimus [a]), aeque tamquam Regni Apostolici Insigne non in pulvinari, sed in manu portat *). De vexillis decem mentio in Superioribus identidem facta est, (108) aderat praeterea, quum Carolus Dyrachinus inauguraretur, peculiare Vexillum S. Stephani, Vexilliferi inadvertentia confractum [b]).

*) Memoratas tres Cruces in Gazophylacio Capituli Strigoniensis longo jam tempore asservari, originale Inventarium huc spectantis sacri Thesauri, anno 1687. die 20. Septembris authentice confectum, ostendit, ubi caetera inter notatum legi: „Crucem „ex puro auro lapidibus pretiosis ornatam, super qua Reges „Hungariae tempore Coronationis jurare consveverunt, a S. „Stephano primo Hungariae Rege donatam; porro „alteram, seu Pacificale pariter aureum, atque lapidibus orna„tum" a Primate Georgio Szelepcsényi (cujus insignia in illo conspicua sunt) eidem huic Canonicorum Collegio fuisse legatum.

Caput IV.

De Regina Hungariae.

§. 123.

De qua hic sermo est.

Ea omnia, quae de Regum honore, titulis, dignitate hactenus sunt tradita, quaeque deinceps de potestate, ac juribus eorum dicenda restant, de Reginis quoque ex lege fundamentali, Imperium exercentibus, accipienda esse, dubio caret. Eapropter Maria I. et altera, Theresia, interdum Reges potius salutabantur [c]). Vicissim Reginae, Regum Conjuges, de quibus isthic sermo erit, per connubium in communionem Imperii haud veniunt, honores tamen, ac titulos Regiae Majestatis sic ipso facto participant, ut alterum a Marito in Monarchia locum adipiscantur. Id quod nemini non recte fieri, factumque fuisse, videri poterit. Quid enim a Rege augustius reputabitur, quam regii thori

a) Solenn. Inaug. Reg. et Regin. Periodo III. Mart. Georg. Kovachich p. 140. — 149.

b) Thurocz cit. edit. Schvandtner p. 210.

c) De Maria I. vid. hanc in rem alios inter Katona Hist. Prag. Hung. P. II. p. 137. De Maria Theresia Diar. Com. ex Dir. Coron. de Anno 1741.

Consors, et Mater Patrum Patriae, a quibus salus posterorum dependet. Hinc — reor — tanta retrusis plane temporibus cultus, venerationisque Reginarum apud Majores nostros, imo illustriora vestigia fortassis, quam uspiam alibi deprehenduntur.

§. 124.

Ejusdemque dignitate.

Et Matres quippe Regum nostrorum olim, et Conjuges, quarum illae seniores, aut majores, istae juniores audiebant, speciem quamdam publicae potestatis exercuerunt, jam protensiores, jam minores intra limites, quales eis aliquando Mariti studium, vel filii pietas assignarunt, vel ob teneriorem hujusce aetatem defigere visum fuit. Sed posterius istud magis tutelam prolium respicit, de qua opportunior alibi semet offert dicendi locus. Quantum ad reliquam auctoritatem, dignitatemque veteribus Reginis propriam, attinet, historia, Tabulariumque fide inclarescit, atque legum vestigia palamfaciunt [a]). Fuisse eisdem sua in et extra aulam diversae cathegoriae, seu conditionis officia; puta Barones reginales: imprimis Judices Curiae, tum Tavernicorum, Agazonum, Dapiferorum, Pincernarumque Magistros, quorum interdum nomina, etsi rarius, ipsis Regum privilegiis, Reginarum vero Litteris passim fuere inserta *). Habebant porro Cancellarium, Thesaurarium, Castrorum Comites, et Castellanos, ac varium, et frequentem Servorum numerum.

*) In exemplum e numerosissimis profero quasdam Elisabethae Reginae Majoris, et Viduae Stephani V. queis venditionem terrae Berzenicze in Comitatu de Posega sic confirmat: „matura deliberatione, et habito consilio omnium Baronum no-„strorum: Chák videlicet Magistri Tavernicorum nostrorum, „Demetrii Magistri Pincernarum nostrorum, Marci Magistri „Dapiferorum, et Comitis Sebus Judicis Curiae nostrae an-„nuimus et permisimus pro voto — — — Datum per manus „viri discreti Vorbazii Praepositi de Posega, Aulae nostrae „Cancellarii, doctoris legum, Domini Papae Capellani dilecti, „et fidelis nostri“ [b]).

---

[a]) P. 1. et 9. §. 2. 1351. in Concl. 1439. 12.
[b]) Per Jos. Koller Hist. Episc. Quinqueeccl. T. II. p. 226. ex Authog. edit.

§. 125.

Ac Bonis olim Reginalibus.

Insuper Reginae, tam Consortes, quam Viduae, ut leges iterum [a]), ac innumera documenta evincunt [b]) bonis amplis, et conspicuis fruebantur: Castris nimirum, Civitatibus, Oppidis, Villis, praediis, metallifodinis, ac vectigalibus, eaque diversis titulis possederunt.

§. 126.

Ad Reginatum, vel jus privatum spectantibus.

Alia videlicet ad Reginatum spectabant: ad dotem alia: quaedam Regum dono, vel emtione, aut quocunque demum privato jure aquirere poterant. Exprimit prae reliquis clarius bonorum hocce discrimen Diploma Mariae Conjugis Belae IV. [c]) sequentibus verbis: „Quamdam terram „nostram Nobis, et non Reginatui donatam, ad „Domini Regis consensum — — dedimus, et donavimus „etc.“ Dotalium vero jura Contractus dotalitius definiebat*). Frequentes igitur illae Donationes, quas a Gisela, et Adelhaide Sanctorum Stephani, et Ladislai [d]) Conjugibus ad Mariam Ludovici II. Consortem Reginas fecisse cernimus, accipiendae sunt de illo bonorum genere, quae cum jure proprio tenuerint, cui vellent, conferendi potestatem habuere; Rege tamen, praesertim si illa a Regis liberalitate profecta fuerunt, vel consentiente, vel confirmante [e]).

*) Hoc titulo Divum Stephanum Giselae Consorti Posonium, Sabariam, Sopronium adsignasse illustris Barthal, fonte asserti sui in testimonium prolato, suo in opere meminit. Eodem nomine Elisabetham Cumanam Stephani V. Viduam Ducatum Macsoviensem, et Bosnensem, Comitatus praeterea Verőcze, et Valpó, ac Terram Scepusiensem tenuisse adparet [f]). Eodem Agneti Austriacae Comitatum Posoniensem cum

---

a) 1439. 23. et 24. — 1527. 4. — 1536. 44. — 1537. 20. 1542. Novis. 10 et 11. — 1542. Pos. 6. 1543. 8. — 1545. 16.

b) In exemplo Litt. Urbani IV. Pont. de Anno 1264. Pray in Annal. ad hunc. Annum. P. I. p. 316. Item aliae Ludov. I. cit. Op. P. II. p. 83.

c) Pray in Comment. de vet. Regin. coronandi more p. 15.

d) Ex orig. ap. saepe laud. Pray Hier. Hung. P. I. p. 272. et 274.

e) Exemp. sim. Confir. vid. ap. Schmidt. Agr. Episc. P. I. p. 101 et 219. Katona Hist. crit. T. IV. p. 410. et T. VII. p. 1081.

f) E binis ips. Elisabeth. Dipl. quae post. Wagner ed. Katona cit. op. T. VII. p. 840. et 842. Conf. Schier in Reg. Hung. prim. stirp. p. 228.

eo spectantibus Castris Andreas III. [a]) Mathias Corvinus vero Sponsae suae Georgii Podiebradi filiae Veterem Budam, Diós-Györ; Magnam Insulam Csepel; Cumanos Reginales; nec non septem aureorum millia singulis annis pendenda [b]) inscripserunt. Postrema omnium more, jureque Reginarum Maria, Ludovici II. thori socia, hujusmodi Bona in dotem consecuta fuit, eamque amplissimam jam ex pactis nuptialibus, quae pro filio Vladislaus II. cum Maximiliano Caesare pepigerat; auctam subinde liberalitate Mariti, ubi Rex evasisset [c]). In dotem ajo, nam alterius generis munificentiae, Regiae Conjugi exhibitae exemplum adhuc recentius Libri Regii ostentant in donatione Ferdinandi I. A° 1527. Strigonii die Dominico proximo post festum beati Andreae Apostoli emanata, quo Castrum Verucze vocatum, ac Curiam Nobilitarem in Possessione Postahegye simul cum omnibus Oppidis, Villis, possessionibus Consorti suae Annae Reginae, ipsiusque haeredibus, et posteritatibus universis confert [d]).

§. 127.

Dos Reginarum hodierna.

Harum interim rerum omnium bene jam diu diversa est ratio: Bona Reginae propria, etsi nihil obstet, quominus talia modo etiam habere queat, nostra, Patrumque memoria nulla novimus, quae igitur nec amplius aliis confert. Verum dos perinde, ac reditus pro casu cum Vidua forte evaderet, pactis sponsalitiis determinantur. Alioquin de sumtibus ad aulam Reginae pro dignitate sustentandam Rex providet. Ignoraremus fortasse ipsa adeo veterum officiorum nomina, nisi monumenta horum memoriam conservassent, unum Cancellarii, si demas. Ut enim aliquando hoc munus Veszprimienses Episcopi, serie raro admodum interrupta, inde ab initio cum annuo quingentarum marcarum stipendio gessisse conspiciuntur *), ita titulum cum veteri Reginas coronandi Privilegio (116) adhucdum retinuerunt.

*) Profiteur haec apertissime Bela IV. [e]) „Ordinamus — inquit

a) Exstat desuper orig. Chirogr. And. III. in Diplom. Stiriae inter Secoviensia Nr. 129.

b) Litt. Math. ap. Kaprinay Hist. Dipl. temp. Mathiae de Hunyad P. II. p. 476.

c) Tam Matrim. Contr. quam Litt. Lud. II. hoc in merit. dat. ex orig. in Aug. Dom. Tabul. reperit., edid. Kollár in Auct. Dipl. ad Ursinum Vellium.

d) Ex Anthographo.

e) In Diplom. quod e Transumt. Auth. edid. Auct. Disquis. de Jure coron. Regin. p. 4.

„Rex, — imo potius ordinatum, ac constitutum temporibus „ex antiquis praesenti nostra sanctione duratura perenniter „Dominae Mariae carissimae Consortis Nostrae cum volun„tate consona, omniumque Baronum nostrorum zelo fidei, „Ecclesiarum commodum affectantium, benevolo cum assensu „firmamus, vallamus, et irrefragabiliter roboramus, ut sicut „ipsa Veszprimiensis Ecclesia prae caeteris Regni nostri Eccle„siis singularis Privilegii praerogativa meruit obtinere, Re„ginalem Celsitudinem sacro Diademate insignire, sic ipsarum „Aulae Cancellariae annexa sibi realiter, et possessa hacte„nus inconcusse cum quingentarum marcarum salario de re„ginalibus solvendo reditibus annuatim ob tam solennis Officii „consentaneam, et benemeritam repensionem gaudere debeat, „et perpetuo gratulari," etc. — Cumque labentibus annis haec praerogativa per incuriam intercidisset, eam Sigismundus Petro de Rozgon Antistiti, imo — ut ait — Episcopatui Veszprimiensi solenni Privilegio mediante [a]) restituit.

§. 128.

Aulae Reginalis splendor.

Caeterum quantamcunque mutationem rerum, temporumque eventus hac in parte secumtulerint, non tamen hodie propterea Regis Consors, simul Imperatrix Aulicis caret Ministeriis, suum praecise in obsequium constitutis, puta: Supremis Aulae Praefecta, et Magistro, Matronis primae (Dames du Palais) secundae, et tertiae admissionis (von großen und kleinen Kammer-Zutritt) herulabus aulicis (Hof-Damen) etc. [b]).

Caput V.

De Liberis Regiis.

§. 129.

Eorum Titulus.

Liberos Regios utriusque sexus Serenissimos Regios haereditarios Hungariae Principes jure, et merito adpellamus, qui proximum a Regina, caeteris omnibus superiorem locum tenent; quin tamen per se partem in administrandis rebus ullam capiant. Aevo medio Filios, Filiasque Regum, Reges, Reginasque nominare non

---

a) Quod descriptum exst. in Pray Hierar. Hung. P. I. p. 284.

b) Vid. Aulam Augustae im Hof- und Staats-Schemat. des österr. Kaiserthumes I. Th. 1. Abschn.

inusitatum fuit [a]); cujus nec desunt nobis quaedam domestica quoque exempla [b]).

§. 130.

De Ducibus olim Familiae regnatricis.

Non secus Familiae regnatricis Principibus masculis Ducis titulus longo olim tempore, ab illustri nascendi conditione, spei successionis haud vane connexa, proprius erat *), ejusdemque vestigium statim in Filio primi Regis Emerico vetus indicabat traditio, quem Kercselits [c]) jam hoc cum elogio Sclavoniam a patre gubernandam accepisse, sed incerto suspicatur. Certius illud: infausto Andreae I. exemplo, quoniam id maximam persaepe ansam internae perturbationi dederat, usque Ludovicum magnum in morem pene abivisse, ut quoties plures Agnati Regii praesto forent, unus pluresve certam Hungariae, vel Provinciarum, ad Coronam spectantium, partem Regis obtinerent arbitrio **) cum potestate ampla quidem, Majestati attamen Regiae subordinata.

*) Paucis memnisse sat fuerit, praeter Principes Regios comparere alios quoque Dynastas (licet rarius in antiquioribus documentis) nominatim Laurentium de Ujlak, Joannem Corvinum, et istis priorem Theodorum Keriatovics Munkátsiensem partim Ducis compellatione solum, partim cum adnexa simul integrae cujusdam Provinciae Superioritate insignes [d]), Baronibusque nationalibus adnumeratos; qui dum una Regni Baronatus honores gererent, nequaquam tamen propterea reliquos, simili dignitate conspicuos, anteibant, quia Duces vocabantur; quod itidem diplomatica monumenta perhibent.

**) Hoc enim exemplo Geisam I. a Salamone Rege — Lampertum a Ladislao — a Colomanno Almum — alios denique Duces regios modo tertiam Hungariae partem, nunc Provinciam ad Regnum spectantem, jam vi, jam bona Regum voluntate ordine fere obtinuisse, ex Historia notissimum est [e]), id quod Patriam decem funestissimis bellis civilibus involvit.

---

a) Vid. Ducange in Glossar. med. et inf. Latin. ad vocem Rex, et Regina.

b) Conf. Disq. de modo conseq. summ. Imp. in Hung. p. 184. et 185.

c) In Not. praelim. de Reg. Slavon. et Croat. p. 103.

d) Vid. Car. And. Bél in Prolus. de Almo Duce, et Ducib. Hung. Timon in Hung. nov. C. 8. — Benzur (Euseb. Verini) Comment. de haered. Jur. Dom. Aust. C. IV. p. 70.

e) De his Ducib. Vid. Chron. Thurocz. P. II. C. 42. — Car. And. Bél. cit. Prolust. Euseb. Verin. Op. et loc. cit. — Mich. Horváth in Statist. Reg. Hung. P. II. C. 2. Honor. — Novotni in Sciagraphia P. I. p. 239.

§. 131.

De Rege Juniore.

Intempestiva sua indulgentia longius Andreas II. atque Bela IV. processere; nam uterque filiis, quos ipsi adhuc rerum potiti, corona cingendos curaverant, pene dimidium Regni jure, ac nomine proprio gubernandum cedere coacti sunt; atque inde primum apud nos titulus Regis junioris innotuit. Propitiis Superis oppido accidit, ut neminem e Successoribus imitatorem repererint, nam qui serius, nondum stabilito Successionis ordine, primogeniti Regum nostrorum, vivis, et ita volentibus genitoribus, Ordinumque Regni consensu, fuerunt redimiti, nullam partem in Regiminis habenis amplius capiebant, imo legibus disertis cautum reperio [a]) ne id quoad Rex senior exstiterit, superstes sine ejus expressa voluntate, Ordinumque Regni assensu locum habere valeat. Inaugurationis similis exemplum post determinatam succedendi Regulam hactenus primum nostra laeti aetate conspeximus. Vix igitur est, cur moneam, conditionem Regum juniorum a Ludovico II. in haec tempora provido sane consilio a duobus illis, quos prisca viderat aetas, longe atque essentialiter esse diversam, licet Majestatis nomine decorati conspiciantur. Alioquin actus Coronationis idem est, quem observari diximus in regia inauguratione; effectus, ut jam coronatus haeres ab Antecessoris morte omnem regiae potestatis plenitudinem, sine ulla nova Inauguratione interveniente, prosequatur.

Caput VI.

De Administratione Regni Rege minorenni.

§. 132.

Tutela Regis minorennis.

Evenerat non semel, atque evenire deinceps quoque — praeprimis cum Hungaria Regnum sit haereditarium — poterit, ut Successor proximus sua potestate defungi per aetatem, quam Jurisconsulti minorennitatem vocant,

---

[a]) Ferd. II. et III. — Leop. II. Dipl. Inaug. Cod. dom. inserta. — Vid. et recent. Dipl. Inaug. Ferd. V.

omnino impediatur; tunc itaque Tutelae locus, et alius tamdiu Regis nomine rempublicam administrat, donec hic ad eos pervenerit annos, quibus ipse per se gubernando praeesse valeat. Quaeritur ergo: quis legitimus Regis Pupilli Tutor sit? et quotus annus huic tutelae finem imponat?

§. 133.

Primis Regni Seculis nuspiam definita.

Superiora Hungariae tempora repetendo, de tutela Regum, in minorennitate positorum, Regni administrationi conjuncta, quandoque Patres ipsi vita comite providebant; sic Emericus Andream fratrem Ladislai [a]), et Stephanus V. Elisabetham Matrem itidem Ladislai Natorum suorum una ac Reipublicae curam, donec adolescerent, ultimis tabulis creditam voluerunt. Alias etiam Matres, quae simul Reginae viduae erant, eandem procuravisse animadverto *), inque talium defectu, Gubernatores ex Ordinum delectu constitutos. — Nam ut ad anceps Stephani III. [b]) exemplum non confugiam, pro Maria I. Elisabetha Ludovici I. vidua, [c]) dein Alberto inopinata morte e vivis erepto, Conjux hujus non proprio tantum, quod praetenderat, verum et Filii Ladislai in ulnis suis diademate redimiti, nomine regere visa est [d]); ubi autem istum utroque Parente orbari contigerat, post caesum intermedio tempore Vladislaum I. Joannes Hunyady; denique cum Mathias hujus filius absens, atque annum aetatis 15. agens, eligeretur, ejusdem Avunculus Michael Szilágyi Gubernatores creati fuerunt [e]).

*) Genitrici Ladislai Cumani sive tabulis antecessoris ultimis, seu ex Ordinum providentia Consiliarios ad rempublicam administrandam fuisse additos, facile largior; Matrum tamen, tutelam veteri jure nostro personam tantum pupilli regii, non una etiam Regni Gubernationem respexisse, uti nuper quidam suspicabatur, adversus toties per minorennes Prin-

a) Thomas Archi-Diac. Spalat. in Hist. Salonit. conf. Palma not. rer. hung. T. I. p. 709.

b) Vid. Litt. ip. huj. Geisae de Anno 1163. ap. Farlat. op. cit. P. III. item de anno 1179.

c) Praet. comp. Thurocz. Chron. P. III. C. I.

d) Eod. op. cit. P. IV. C. 29. Conf. Disq. hist. de modo cons. summ. Imp. in Hung. p. 83.

e) Dec. a 1446. et 1458 — Conf. Kovachich vest. Com. p. 290. et in Supl. T. II. p. 52. et seq.

cipes nostros memoratam Matrum Reginarum auctoritatem, atque consensum, persvaderi nullatenus possum. Novi Sigismundum certis de Litteris praedicare: „Quod „Regni Hungariae tutor existendo, exercitum „eduxerit“ at ego illum hoc imprimis loco vix aliud, quam regni defensionem nomine tutelae intellexisse existimo, posteaquam Ludovici I. Viduam pro filia imperasse in aperto est.

§. 134.

Ast Mathiae I. tempore Palatino delata.

Consilio magis ista ab adjunctis in arena desumto, quam legis praescripto obtinuerunt, non enim usque Corvini tempora, sub quo eatenus disertam legem conditam cernimus *), Regii Tutoris munus Palatinum vel ex more respexit. Hancque ipsam legem admonitus iis, quae circa tutelam Ludovici II. annis fere triginta tardius intervenerunt, utcunque inducor, ut credam eo sensu, illumque in casum fuisse constitutam, si nullus alter nec legitimus, nec testamento Antecessoris, nec utroque isto deficiente, ab Ordinibus Regni Tutor speciatim nominatus exstaret.

*) Sic enim habet articulus 2. inter eos, qui de Officio Palatini A° 1485. pronunciati sunt „si quispiam Regum haeredem in „tenera aetate constitutum reliquerit, Palatinus ex Offi„cio tenetur, et debet illum, tamquam Tutor in „Regnis, et Dominiis paternis conservare et fide„liter defendere.“

§. 135.

In usum hactenus non venit.

Monet me ad id credendum imprimis Uladislai II. Diploma, quo dum filium suum se vivo, et accedente Regnicolarum assensu coronari voluit, praeterita omni Palatini mentione, illud duntaxat pollicebatur „quod nos eundem „Illustrissimum Filium Nostrum, ut praemissum est, nec in „vita, nec in morte nostra praenominato Domino Regi „Romanorum, sed neque cuicunque alteri Principi forensi „ad educandum, vel tenendum, seu gubernandum dabimus, „sed Eundem apud manus Dominorum Praelatorum, ac „Baronum, et Procerum, atque Nobilium, et in hoc Regno „Hungariae dimittemus, et relinquemus, et de eodem nullo pacto educere, vel educi facere volumus“ [a]).

---

[a]) Dip. ist. lege per ext. ex Archiv. Reg. Croat. descr. ap. Kovachich in Vest. Com. p. 455.

§. 136.

Quod exemplum proximum docet.

Prostant praeterea ejusdem Uladislai ultimae voluntatis tabulae, quae Fratrem Sigismundum, gnato tutorem constituunt [a]). Constat istius ab obitu frequenti Magnatum consensu Triumviros fuisse delectos, qui Sigismundi nomine agerent. Neque litterae desunt ipsorum Regni Ordinum, enixis precibus Regem Poloniae interpellantium, ut pro suprema Uladislai voluntate, Ludovici curam, ac Regni administrationem interea, dum is adolesceret, suscipere vellet [b]), quod ille tamen a se amolitus fuit. Atque cuncta ista — praeexistente licet Palatino — Emerico Perénio opibus, et auctoritate conspicuo, imo cooperante intercesserunt.

§. 137.

Quid modernae constitutionis ratio svadere videatur.

Hodie quoniam, quod omnibus constat, quantum ad definitum Successionis ordinem, et inseparabilitatem Hungariae a reliquis, quoad Augusta Dynastia superfuerit, haereditariis Provinciis tenor sanctionis pragmaticae nobis pro norma est [c]), et in Austria Tutor nondum matura ad regendum aetate succedentis Archi-Ducis e proximis Agnatis senior [d]) sit: videtur tam modernae Constitutioni Hungariae, velut Regni perfecte haereditarii, quam sanctionis pragmaticae principiis plene consentaneum, ut secundum providum majorum exemplum [e]), tutela Principis illum maneat, qui toti Monarchiae hoc titulo praefuerit.

§. 138.

Nullo Regni detrimento.

Imperaret itaque, casu emergente, tutorio jure, ac nomine unus sane, idemque Hungariae juxta cum reliquis

---

a) Pray hist. R. Hung. P. II. ad Vladis. p. 574. It. Palma Not. Rer. Hung. Ed. III. P. II. p. 528. et 338. atque alios.
b) Palma not. Rer. Hung. P. II. p. 537.
c) Anni 1723. Art. 1. et 2.
d) Schrötter Grundriß des österr. Staatsrechts. 21. Abschnitt. §. 4. p. 136, et seq. Conf. Ios. Bar. Hormeyer. Ueber Minderjährigkeit, Vormundschaft und Großjährigkeit der österr. Regenten. a §. 27. — 79.
e) 1741. 4.

Provinciis, uti alias Rex ipse junctim istas gubernat, salvis videlicet unius cujusque ditionis legibus, salva cuique propria constitutione, atque in specie Regni Hungariae a reliquis independentia, et libertate. Objicient nonnulli: legem de Tutela, Palatino delata, disertis verbis per posteriorem abolitam nuspiam fuisse, adeoque adversus illam, dissentientibus Regni Ordinibus, quidpiam decerni minime posse.

§. 139.

Modo consentientibus Regni Ordinibus fiat.

Allegabunt insuper easdem ipsas fundamentales illas sanctiones, queis et Sceptra regnanti Domui perpetuo illata, et unio Hungariae cum reliquis Monarchiae partibus constabilita fuere, tum complures alias tardiores expresse jubere, reliquas Regni leges, immunitates, praerogativasque universas inviolate servare, cavendo: „ne Regnum „Hungariae, velut propria Constitutione gau- „dens, ad normam haereditariarum Provincia- „rum gubernetur" [a]). Qualescunque proinde testamentariae Ferdinandi I. [b]) aliorumque Principum Austriacorum domesticae dispositiones [c]) de legitima Successorum aetate, atque tutela conditae fuerint aliquando, pro legali in Regno Hungariae norma haud deservire, qui tamen ista proferunt, viderint, quomodo hanc suam opinionem cum tenoribus fundamentalis illius legis conciliare possibile sit, qua stabilitum habetur: ut Regnum Hungariae cum caeteris haereditariis communis Imperantis Provinciis indivisibiliter, ac inseparabiliter invicem, et insimul regatur, et gubernentur.

§. 140.

Tutela haec Regis quando desinat.

Est quod miremur, eadem occasione, qua Palatino Tutela delata fuit, non simul sancitum fuisse, quousque perdurare illam oporteat? Quoto igitur anno Majores evadant Reges Hungariae? nec lege ulla, sed neque observantia,

---

a) Vide 1715. 3. — 1723. 3. 1741. 8. 1791. 10. et univ. Inaug. Dipl.

b) De Annis 1543. et 1544., quorum meminit inter alios Hormeyer Op. cit. §. 40.

c) Pariter apud Hormeyer Op. cit. in Mant. Document. XVI. et Schrötter Op. et pag. cit. §. 3.

quae pro diversitate temporis mirifice variat *), hactenus proditum est. In hac vero usus varietate, praesertim post adoptatam Pragmaticam Sanctionem idem, iisdemque e rationum momentis, tenendum reputo, quod mox de Tutela me. praemissis sub adjunctis, sentire sic satis prodideram, Regum nimirum nostrorum Majorennitatem eundem Annum esse oportere, qui per reliquam universam Monarchiam Austriacam promiscue obtinet, quaemadmodum id alioquin communis utilitas jam per se ipsam svadere, coadunataque imperandi potestas plane deposcere videtur.

*) Annales aevi varii, si volueris, consulere, Salamonem, Stephanum II. et Ludovicum II. anno aetatis decimo quinto; Ludovicum I. Ladislaum Posthumum, Leopoldum I. decimo sexto; Mathiam denique — remoto custode — decimo nono Regni habenas cepisse, deprehendes; — Ladislaus III. aliis IV. in Diplomate, a Kerchelichio edito [a]), se ad legitimos, seu discretionis annos, 1284. pervenisse ait, quo eundem juxta calculum clarissimi Katona [b]) annorum viginti duorum esse oportuisset.

Caput VII.

De Corregente Regio.

§. 141.

Corregentes.

Regis in cura Regiminis socium, et adjutorem recentior aetas Corregentem vocavit. Nonnulli veterum Hungariae temporum Scrutatores multam impenderunt operam, in hujus dignitatis initiis definiendis; ast nemo disertior Benczurio fuit [c]). Allectus quippe argumenti novitate, ac cupiditate dicendi, de ortu, atque potestate Corregentiae congessit plurima, quae in tanto legum, vel documentorum omnium silentio, vix aliquam veri speciem habent; mihi certe haud ultra remotas conjecturas assurgunt.

§. 142.

Primorum Seculorum.

Quidam ista jam in Geisae Ducis, aut hujus filii Ste-

a) Hist. Eccles. Zagrabiensis p. 92.
b) Hist. crit. T. VI. p. 617.
c) In Comment. Euseb. Verini nomine de haered. Jur. Ser. Dom. Austr. C. 6.

phani Conjugibus testimonio Biographorum [a]) evincere se posse existimarunt; ita enim de Sarolta scribit unus istorum „totum Regnum viri in manu tenuit, et quae „erant viri, ipsa regebat.“ Alter de Gisela, quam „coronam gestantem Sociam esse constituit Benczur [b]) haec initia ad Elisabetham Ludovici I. matrem, rejicit, idque multis documentis ostendi posse contendit; quod in his consensus matris non item Conjugis regiae mentio fiat. Nobis non tam nominis, quam muneris istius vestigium verosimillimum Diploma Regis Sigismundi perhibet [c]) in haec verba: „volumus etiam, et prae-„sentibus nihilominus promittimus, praemissam nostram „Donationem per dictam Dominam Mariam Re-„ginam Consortem nostram carissimam, „quando cum Eadem fuerimus constituti, Lit-„teris suis mediantibus facere confirmari, „et roborari.“ Habuit igitur Sigismundus jam ante coronationem partem quidem satis amplam in regimine, sic tamen, ut quae ipse constituisset, tum demum rata forent, si Regina confirmasset.

§. 143.

Exemplum Corregentiae recentioris.

Recentius muneris istius exemplum proditum est in Francisco Lotharingiae Duce, cui adsentiente Regina Maria Theresia, Status et Ordines Regni Corregimen, et Administrationem, ut lex loquitur [d]), haereditarii hujus Hungariae Regni, adnexarumque Provinciarum concordibus votis, sponte, ac libere, absque ulla in futurum per alios Regni hujus Regios Conjuges sumenda consequentia, salvaque omnimode auctoritate Palatinali, obtulerunt.

§. 144.

Certis sub Conditionibus.

Delati muneris conditiones eadem lege expressae sequentes fuere: I. Ne quidquam ejus delatione articulis 1. et 2. Decreti primi 1723., seu circa inseparabilitatem haereditariarum Provinciarum, seu circa stabilitum ordinem suc-

---

a) S. Adalberti, et Stephani in Vitis eorundem.
b) Cit. Verini Com. C. VI. §. 3. 9. et alibi.
c) Vid. Pray Comment. de vet. Regin. cor. more p. 22.
d) Vid. Art. 4. 1741.

cedendi derogetur. II. Duret haec corregendi potestas tantum ad placitum Regiae Majestatis. III. Hanc si e vivis excedere contigat, haerede proxime successuro, minorenni relicto, ejus tutela, Regnique administratio penes Corregentem sit. IV. Salva sit in casu defectus jus, et immediata successio pro iis, quibus virtute legum competet *). V. Ut haec coadministratio in conformitate Regni legum procuretur, suprema tamen, ac praesertim titulis 4. et 9. Partis I. declarata Potestas, Privilegiorum item collatio, et alia Jura Majestatica, velut de lege Regni solis legitime coronatis Regibus competentia, penes solam coronatam Regiam Majestatem remanerent. VI. Ut Status, et Ordines Regni per Corregentem quoque in avitis suis consvetudinibus, et libertatibus conserventur, idque ita futurum, secundum formulam subnexam jurejurando confirmetur.

*) Inexspectatum proinde nemini non videri debuit, quod Dux Saxoniae, arrepto hinc praetextu adversus claros adeo tenores, jura successionis praesalvantes, declaraverit: „Sanctionem „pragmaticam, adsumto in Corregentem marito, esse viola- „tam, et si quae renunciationi Conjugis suae vis inerat, eam „facto isto penitus evanuisse."

§. 145.
An Corregentis assumtio?

Utrum Corregentis cooptatio negotium sit diaetale? magnis aliquando [a]) animis in utramque partem agitatum fuit. Pro affirmanda sententia, luculentum Francisci I. Romanorum postea Caesaris exemplum paulo ante prolatum: mox altera Josephi II. in corregentem assumtio, in contrarium proferri poterat. Verum probe distingvendum venit, quem quis sensum corregentiae indere velit. Quod enim Josephus II. matri, ita volenti, se ad ferenda Regiminis onera adjutorem praebuerit, et ex ejusdem arbitrio mandata expleverit, id praecise voluntate Imperantis, alteri quoque legitimo, ac proximo Coronae Haeredi obtingere posse, controversiam vix recipit.

§. 146.
Sit negotium diaetale?

Contra si coadministrationem Imperii, si translationem

a) Conf. Act. Comit. Anni 1790. p. 154. — 210.

supremae cujusdam regiae potestatis, atque Juris Majestatici exercitium involvat, et forte cum extraordinario Tutelae jure in casum, dum minorennem Solii haeredem remanere contingeret, conjungenda foret: tum equidem, si ad praefixam huic operi epocham respiciatur, ex spiritu praeexistentium legum comitiali interventu opus fuisse, non aegre quivis perspiciet; modo diligenter advertat, provisionem similem neque sine notabili existentium legum, quantumvis temporanea mutatione fieri posse; neque in arbitrio Regis, si absoluta etiam potestate polleret, consistere, in alium integre, vel partitim transferre Imperium.

Caput VIII.

De modis, quibus Imperium civile desinit.

§. 147.

Voluntaria Regni abdicatio.

Utrum Imperium civile, quod relate ad personam Imperantis in regula nonnisi modo naturali, sive morte exspirat, abdicatione etiam desinere legitime possit? leges nostrae penitus silent; in Annalibus interim non desunt aliqua, eademque sat perspicua tam voluntariae, quam coactivae abdicationis vestigia. Et de illo quidem non est, cur dubites, quin Rex, si ultro sibi curas Regiminis insuperabiles esse reputet, atque motu proprio ab illis se eximere velit, easdem salva haeredum successione, deponere omnino queat, modo id commodo tempore, et sine salutis, bonique communis perturbatione fieri valeat, prouti similem nostris evenisse diebus cernimus. Quam Imperii austriaci Stator, et Servator Deus sospitet, et tam magnanimiter abdicanti, quam modo gloriose regnanti Caesaribus Augustis vitam, salutem, felicitatem, quod fido corde, et toto pectore comprecamur, largiatur.

§. 148.

Non vero coactiva locum habet.

Renunciationem contra dolo, fraude elicitam, aut vero vi extortam hoc ipso, quia illa errore, haec coactione nititur, omni juris robore destitui, per se palam fit, nisi forte tractu temporis ultroneus abdicantis accedat assensus; cujus rei domesticum exemplum unum in Maria I. alterum in Rudolpho occurrit *). Privari equidem Rex Imperio,

quantumcunque periculosi quidam novatores aliter senserint, atque docuerint, vel excludi e Successione legitimus Haeres nullo casu possunt, uti nec regnicolis a debita subjectione recedere unquam licet.

*) Elisabetha Ludovici I. Vidua A° 1385, coram Ordinibus Budae collectis, solennem nomine Filiae suae, sed utique coactam fecit in favorem Caroli Parvi abdicationem; ubi tamen Maria, manibus adversariorum erepta, Budam rediisset: assentiente Nobilium conventu, Regimen postea cum Corona sponte Marito tradidit, prouti id Thuroczius recitata, ipsiusmet Mariae oratione testatum reliquit [a]). Nec minus violenta sub principium fuit Rudolphi renunciatio, admotis copiis procurata, donec per concordiam — cooperantibus agnatis, aliisque illustribus Romani Imperii Principibus — Mathiam inter, ac Rudolphum reductam [b]), hujus abdicatio in factum voluntarium transiit.

§. 149.

Neque aegritudo amissionem Principatus involvit.

Ipse etiam cujuscunque perdurantis aegritudinis casus, per quam Princeps ad gerenda Reipublicae gubernacula penitus incapax redderetur, amissionem Principatus nequaquam involvit, sed jus duntaxat, et obligationem secumfert legitime prospiciendi, ne Regnum detrimentum patiatur.

Liber III.

De Incolis Regni.

Caput I.

De Statibus, et Ordinibus Regni generatim.

§. 150.

Incolarum diversitas.

Incolarum Civitatis ortum eruere, et varia unius cujusvis nationis labia discernere, ac recensere, historiophilorum est; minimeque infructuosum etiam data opera eas scientias recolenti, quas aetas hodierna politicas, aut statisticas vocavit, in haec solertius indagare, quae

a) Chron. P. IV. C. 6.

b)) Haec copios. vid. possunt ap. Istvánfy lib. 34. ejusque Continuat. lib. 35. et 36.

populi ingenium, consvetudines, fata, et varios istorum omnium effectus persaepe mirifice illustrant. At in praesenti doctrina discrimen Incolarum ex ratione Jurium duntaxat, atque obligationum, quae vel fuerunt aliquando, vel qua sui parte remanserunt unicuique propria considerandum, ac percensendum erit; Cuivis enim in Patria nostra, prout in qualicunque ordinata republica degenti, vel commoranti praeter personalem, et realem securitatem sua Jura competunt, certaeque Obligationes.

§. 151.

Ex obtutu Juris publici.

Hoc sub obtutu pro Incolis latissimo sensu habentur, quiqui intra limites territorii, degunt, ne extraneis exceptis; strictiori membra duntaxat societatis civilis; et priores illi per tempus suae commorationis tantum; isti constanter Regni legibus, legitimoque Imperio, cujus patrocinio gaudent, subjiciuntur. Extranei attamen, quos veteres leges nostrae forenses [a]) nominabant, non eadem pollebant cum regni Inhabitatoribus Jurium communione. Arcebantur in specie — nisi civitate donati — a dominio fundorum immobilium [b]), ipsaque in Urbibus concivilitate [c]), item a muneribus publicis sacris [d]), et profanis [e]). Indigenae ad duplicem classem redeunt, Nobilium et Ignobilium.

§. 152.

Ordo Statuum quotuplex?

Qui proëdria Nobilitatis singillatim, aut collective gaudent, indeque per se, vel per suos repraesentantes, ad finem usque praeterlapsorum Comitiorum suffragio in Comitiis utebantur, generali Regnicolarum, interdum Statuum nomine jam olim designati fuerant. A Ferdinandi I[mi] temporibus compellatio Statuum, et Ordinum Regni Hungariae invaluerat; in censum illo-

a) Part. 2. tt. 5. 1439. 5. 16. etc.
b) 1222. 26. — 1439. 16. — 1659. 49. — 1715. 23.
c) Conf. Kelemen op. cit. L. 1. §. 205. 1.
d) 1222. 11. — 1439. 5, 12, 15, 25. et 26. — 1495. 30, 31, 32. — 1608. 10. a. c. — 1647. 94. — 1723. 55. — 1741. 15. — 1792. 8.
e) 1492. 7. — 1608. 10. a. c. — 1741. 11, 16, 17.

rum Praelati, dein Barones cum Magnatibus, Nobiles item, ac Liberae Regiaeque Civitates ab olim referebantur; serius accesserunt Districtus nonnulli, ab illarum analogia aeque Jure Comitia adeundi donati. Nec alios Status et Ordines Hungaria unquam agnoverat, quod omnium clarissime lex, Mathia II[do] regnante condita [a]), pronunciavit.

§. 153.

Exordia Nobilitatis Hungariae.

Vetustum quidem est unius cujusque horum Ordinum, sed non idem omnium initium. Nam Aborigines nostri, donec communis imperii expertes, gentem foederatam constituerant, atque singuli eorum nati erant milites, certe haud aliam, quam militarem noverunt conditionem, neque praeter haereditarios Tribuum Duces, a Constantino Boebodos, sive Vajvodas compellatos [b]), ullius, quae inter reliquos contribules emineret, haereditariae Nobilitatis ideam habebant, cujus primum indicium conditio tertia pacti primigenii prodit: cavendo — ut vidimus — septem Capitaneis „quod ipsi, et filii eorum nunquam a Consi„lio Ducis, et honore Regni omnino privaren„tur." (VIII.) Per haereditarium itaque consilio Ducis interveniendi honorem Primatibus illis, posterisque eorum principalibus, uti eos Anonymus vocat, personis, ordinem quemdam superiorem et deinceps assertum fuisse *), sufficienter adparet.

*) Quod ipsum, uti rite notarat Prayus [c]), Anonymus Cap. 5° Operis sui sequentibus indicavit: „isti enim Septem „Principales Personae erant viri genere nobiles." Item Thuroczyius [d]) de Capitaneis ait: „unde in ipsis ve„nerari potest nomen dignitatis plus aliis, et poten„tiae, Nobilitatis vero aequaliter."

§. 154.

Caeterarumque Classium.

At recens constabilitae Monarchiae, subactaeque di-

---

a) Anni 1608. 1. post. Coron.
b) Op. saep. cit. C. 38.
c) Hist. Hung. in not. praev. sub a) p. LII.
d) Chron. C. 9.

tionis securitas mox amplius quid exegit. Constat quippe narratione antiquissimorum Chronographorum, innumeris diplomatibus roborata, ad evidentiam usque: Hungaros per Tribus, ac Generationes, quas Simon de Kéza centum et octo fuisse adstruit [a]), ad sedes novas, relictis avitis, deligendas processisse, dein secundum paulo antea commemorati pacti Conditionem alteram: „Ut quidquid boni „per labores eorum aquirere possent, nemo eorum expers „fieret [b])" partas victoriis, sibi nunquam incruentis, regiones, rem quasi propriam communibus viribus, et sociis armis conquisitam, inter se divisisse *). Dispersis hac ratione per vastum adeo Regnum nec satis tutum videbatur, omnem devictorum multitudinem uni, eidemque servili jugo subdere, adhaec tot bellis magnopere imminutus militum numerus supplementis egebat. Igitur praestantioribus subjugati populi reliquiis erga certam cujusdam servitii, aut obventionis praestationem, partim solo secum militandi sub onere ad normam Systematis feudalis, tum in Europa vigentis, vel rura paterna porro permiserunt, vel partem terrae, jam in suam proprietatem redactae, ultro percolendam tradiderunt, caeteris stricte in servitutem conjectis.

*) Quos in specie regionum tractus primaeva hac divisione unusquisque Capitaneorum pro sua generatione obtinuerit, laudatus Simon de Kéza nominetenus recenset [c]), additque e vestigio istos quidem Capitaneos loca, descensumque, ut superius est dictum, similiter et alias generationes, ubi eis placuit, elegisse. Hinc diu usurpata apellatio descensus (nativo vocabulo szálás) in usum venerat eo, quod singulae Tribus in assignata sibi plaga, tamquam sua proprietate, stabilem mansionem defixissent, ac consedissent.

§. 155.

Origo Conditionariorum.

Classis hominum, qui neque servi, nec tamen perfecte liberi erant, Majoribus antea incognita, novum suapte induxit discrimen. Milites enim terras Regni omnes uno, eodemque jure obtentas, haereditario simul, ac libero titulo possidebant, caeteri, licet a servitute exemti, usumfructum

---

a) Cap. II.
b) Belae Notar. hist. 7. Duc. C. 7.
c) Edit. Horány. p. 69.

duntaxat agrorum, eisdem erga certas conditiones concessorum: atque ita illi pro Nobilibus, hi pro Plebeis, vulgo Conditionariis, haberi coeperunt. Quorum numerum sub ipsis jam Ducibus vehementer increvisse oportuit, quum in variis, quae prostant, S. Stephani Fundationalibus adeo copiose nominentur *), ut ab hoc uno Rege cunctos creatos fuisse, credi omnino non possit.

*) In specie in Privilegio ejus super inalienabilitate, et immunitate bonorum Monasterii S. Adriani de Zala A[no] 1024° editum, in legibus Eccles. Com. de Batthyán T. 1. p. 382.

§. 156.

Optimatum, et Equestris Ordinis.

En itaque in Republica hungarica Nobilitatis simul, ac geminorum Regni Statuum exordium. Optimatum videlicet e primis septem Capitaneis progenitorum, et Equestris Ordinis e Militibus sangvine Hungaris; quorum utrique ab extraneis, in militiae communionem adlectis, vel in dulcem hanc patriam commigrantibus, tum Principum liberalitate notabilia per vices incrementa, variae item mutationes, pro instabili humanarum rerum omnium varietate, accesserunt; quod, quantum praesentis disciplinae ratio postulat, subinde adparebit, ubi singulis Regni Ordinibus propria seorsim expendemus.

§. 157.

Dein Praelatorum.

Praelatorum autem ordinem cum Religionis Christianae cunabulis Hungariae supervenisse, nemo nescit. Hujus enim propagandae zelo incensus divus Stephanus, varios sacerdotes, peculiari undique cura accersitos, per universum Regnum distribuit, utque saluti animarum liberius vacarent, Episcopatus, Abbatias, Praeposituras Religiosorum Contubernia, ab se erecta, amplis latifundiis, vel maxime suo e Patrimonio decerptis, munifice dotavit. Praeterea Sacrorum Antistites, ut id alii quoque Reges antiquitus agere solebant, Reipublicae applicuit, peropportuno sane consilio ad Christi doctrinam firmius constabiliendam, neque sine manifesto Monarchiae suae incremento. Ab eo jam tempore Praelati pro primo in Regno Statu habe-

bantur [a]), eodemque titulo Conventibus publicis confestim interesse coeperunt. Hartvico teste [b]), quem documenta coaeva [c]), et proxime insequentes leges [d]) evincunt.

§. 158.

Ac tandem Liberarum, Regiarum Civitatum.

Tribus praemissis Ordinibus quomodo quartus sensim adcreverit, videamus. Jam Geisa Duce, magis autem ejus filio Rege, praeter Optimates, Nobilesque alienigenas, permulti plebeae conditionis commercii, opificii, alteriusve laboris exercendi gratia evocati [e]), quandoque proprio impulsu, sub pacto nihilominus retinendi liberi status Hungariam subintrarunt. Qui cum se potissimum inter Populos castri, sive accolas domesticae originis, ab heris suis plene manumissos, regiisque sub castris degentes, ad Praedium quoddam regale illocarent, junctim cum istis Hospites regii in antiquis chartis, ab ipsis persaepe Regibus fuere nominati [f]). Ex his complures agriculturam amplectendo, numerum Conditionariorum auxerunt; alii quaestu, sive qualicunque illiberali arte vitae adminiculis prospiciebant; quidam demum, valentiores subinde redditi, ne alterius servitio unquam obnoxii evaderent, pro tota sua Communitate Privilegium vulgo libertatis impetraverunt, virtute cujus Villa eorum, adjectis insuper quibusdam immunitatibus *), a Jurisdictione Comitis Castri eximebatur [g]), similis postea locus libera villa dictus est [h]).

*) Quales fuere: jus eligendi Magistratum, propriumque Parium Judicium; Jus, quod Patronatus vocant, in Paraeciam

---

a) S. Steph. Dec. L. 1. C. 3. — P. 1ae tt. 2.
b) Op. cit. edit. Pray. p. 135.
c) Vid. Dipl. S. Steph. apud Koller Hist. Episc. Quinqueeccles. T. 1. p. 64.
d) S. Lad. Dec. L. 1. in Praef.
e) Spec. idmod. evocat. vid. spars. in Car. Vagner Annal. Scep. Sacr. et prof. — Item Kaprinay Hist. dipl. P. 2. p. 160. — 192. et seq.
f) Privil. And. II. de A° 1209 pro Civit. Varasd. — simil. Belae IV. pro Civ. Bud. A° 1244. quor. utrumque a Ferd. I. den. conf. in Lib. Reg. Auth. prost. — It. ejusd. Belae IV. pro Civ. Tyrnav. Anno 1238. ap. Bél in Not. Hung. T. II. p. 9.
g) Dip. Belae IV. de A° 1244. mox cit. quod cum aliis duob. eod. Anno Civit. Karpona et Zolyom conc. praet. alia ibi rep. in Kat. Hist. crit. T. 6. p. 44. — 56.
h) Dip. S. Lad. de Anno 1082. quo fundat Episc. Veszp. ap. Pray in Spec. Hier. Hung. T. 1. p. 264. et seq. e cop. auth. product. — Lud. I. Dec. art. 6. — Queis jun. Ritum explor. Verit. §. 5, 7. et 9.

Villae; fori celebrandi facultas; aliaque his similia, in quorum usu Civitates hodiedum persistunt.

§. 159.

Quae e liberis potissimum Villis enatae.

Haec prima liberarum, regiarumque Civitatum rudimenta erant, nam maxima sui parte e liberis Villis sensim creatas fuisse, veri est simillimum. Et quum Diploma S. Ladislai liberae Villae S. Regis diserte meminerit, non est improbabilis eorum conjectura, qui liberarum, ac regiarum Civitatum initium ad divi Stephani aetatem referendum putant *). Quidquod jam in hujus, et Andreae I. nummis Alba per excellentiam Civitas regia inscribitur [a]).

*) Exemplum Stephani valuit etiam ad proximos, remotosque ejus successores, cujus rei fidem faciunt libri Decretorum S. Ladislai [b]), et Privilegia Belae IV., alterius Regni Conditoris [c]), Caroli I., Ludovici, Sigismundi [d]), et subsequorum Regum frequentissima, quorum benignitati, et munificentiae suas immunitates referunt in acceptis.

§. 160.

Nonnisi serius in communionem Regni Statuum venerunt.

Nec tamen Urbes quantumvis veteres confestim reliquis Regni Statibus, ast nonnisi serius additae sunt, ex quo scilicet tempore jure suffragii in Comitiis gaudere coeperant, cujus primum quoddam vestigium nobis Sigismundi Decretum II. [e]) manifestat *). Usum vero continuum atque indubitatum Litterae convocatoriae Ladislai V. Mathiae Corvini, Uladislai II. et reliqua ordine deinceps exempla recentiora, quae caeteroquin in omnium recordatione persistunt [f]).

*) Szászki, qui originem praerogativae hujus prae aliis diligentius investigaverat, negabat ante Regem Sigismundum Jure

---

a) Conf. Schönvisner rei numm. Dis. II. C. 1. p. 89. — 100.

b) Lib. II. C. 12.

c) Vid. Dipl. ap. Schmid in Episc. Agriens. p. 170; et Palma in Not. rer. Hung. P. 1. p. 686.

d) Palma Op. cit. P. II. p. 214. et seq. — Timon. Imag. Hung. nov. C. 4. et 7.

e) De A° 1405. in Praef. §. 3.

f) Reperies has in Kaprinay Hist. Dipl. — Kovachich. Vest. Comit. — Katona Hist. crit. atque aliis.

isto Liberas, ac Regias Civitates usas esse [a]), de quo est tamen, cur ambigas, praesertim si antiquior evocatio Civitatis Posoniensis ad Regni diaetam veritati innititur. Id tamen certum est, ab aetate Sigismundi Civitates Regias in publicis consultationibus semper, et aliquando non minimam partem habuisse.

§. 161.

Quorum omnium una, eademque erat Nobilitas.

Etsi vero tam Ecclesiasticorum, quam secularium Procerum Ordini quantum — ut cum Verböczio loquar [b]) — ad dignitatis praelationem proëdria quaedam ex ipso Constitutionis spiritu profluxisse negari non possit, omni profecto aetate religiose observata, nihil tamen juris propterea Nobilium Ordo alter prae altero habebat, fuitque *) communis omnium, atque una eademque Nobilitas, quo nomine universos Praelatos, Barones, Magnates et Nobiles cujuscunque sint honoris, dignitatis, et status in Hungaria lex complectitur [c]).

*) Sic rem fusius explicat Verbőczi: „Quamvis personae spirituales (quarum medio salutem humanam Dominus, et Salvator noster administrari voluit) Personis secularibus digniores habeantur, tamen omnes Domini Praelati, et Ecclesiarum „Rectores, ac Barones, et caeteri Magnates, atque Nobiles, „et Proceres Regni hujus Hungariae ratione Nobilitatis, et „bonorum temporalium una, eademque libertatis, exemtionis, „et immunitatis praerogativa gaudent; nec habent Dominorum aliquis plus, nec Nobilis quispiam minus de libertate: hinc etiam una eademque lege, et consvetudine, ac „uno, et eodem juridico processu in Judiciis utuntur etc." [d]) Hoc igitur cum temperamento, atque intellectu sumendi sunt illi, qui legum numerosarum [e]), distinctionem hanc aperte enunciantium, vestigiis innixi, Nobilitatem hungaricam in superiorem, quorsum nempe Praelatos, Regni item Barones, atque Magnates accensent; et inferiorem aliquando etiam Equestrem Ordinem compellatam, partiuntur.

---

[a]) In Dissert. de Comit. C. I. §. 12. in Not.
[b]) P. 1ae tt. 2.
[c]) P. 1ae tt. 9. — 1715. 8.
[d]) P. 1ae tt. 2.
[e]) S. Steph. Dec. Libr. I. C. 3. et 4. — L. 2. C. 21. — de Ao 1435. 20. — 1542. 16. — It. in Kovachich Vest. Com. T. I. — Dec. de Ao 1459. 4. 32. et 43. — Vid. et Kollár in Amoen. Vol. 2. et alibi.

§. 162.

Nequaquam a systemate feudali repetenda.

Ostendunt nobis haec initia, quantum id brevitatis cura admittit, sic satis adumbrata Milites, quod primum viris ad verorum Nobilium Ordinem assurgentibus, nomen porro immanserat [a]) non fuisse stipendiarios, aut mercenarios, verum cum Duces suos ultro, volentesque sequerentur, pro consveto omnium migrantium populorum more *), ad occupatas Regiones ita Jus quaesitum fovisse, ut juxta paulo ante repetitam Pacti primigenii conditionem II. terrae singulis in perfectam, ac liberam proprietatem abirent, qualem Juris consulti Allodii compellatione feudis opponunt. Tota igitur veteris Historiae veritate ii, quamvis numerosi — quod pace illorum dictum sit — mihi saltem deflectere videntur, qui Statuum Regni cunabula nobis a systemate feudali desumta arbitrantur ** [b]).

*) Ipsis adeo Germaniae populis, apud quos tamen Feuda originem suam, omneque incrementum reperisse concors, jamque evicta Eruditorum est Sententia [c]), idem mos olim viguit, eadem prorsus consvetudo; ubertim istud explicat Clariss. Vilhelmus Koch opere ad nostram memoriam evulgato [d]), in quo Feuda ab ovo — ut ajunt — deduxit.

**) Non est hujus loci sive initia Feudorum seu varietatem prolixius exponere, quod sibi cumprimis specialis doctrina vendicat, et quae inde nobis sensim accreverunt, affinia, ubi de natura bonorum nobilitarium agendum venerit, sobrie attingentur.

§. 163.

Haec primitus Populum ipsum constituerat.

Atque hic genuina origo querenda est, cur in primordiis suis soli Nobiles, antea Milites, proprietatis terrae, ad quam conquirendam armis suis concurrissent, in Patria pos-

---

a) S. Steph. D. L. I. C. 4. — explicatius S. Ladislai D. L. I. C. 41. — Verböcz In Praef.

b) Euseb. Verinus — Kollár Amoen. Jur. pub. Reg. Hung. Vol. 1. Sec. 3. C. 2. §. 5. — Pray Hist. Reg. Hung. in not. praev. §. 4. — et ex professo Mich. Piringer Ung. Banderien P. I. p. 60. et seq.

c) Alios int. vid. Luitdolf. Schröder in Tract. Feud. T. 1. p. 2. C. 1. de orig. et Etim. Feud. Horn. Jurisp. Feud. C. 1. §. 16. Weber, Handbuch des in Deutschland üblichen Lehenrechtes p. 53. et seq.

d) Gemälde der Revolution in Europa. 1. Periode p. 58—101.

sidendae capaces evaserint, reliqui incolae solummodo ex idea herilis potestatis, vel pro conditionibus, mutua conventione stipulatis, considerari coeperint. Quod si quis in memoriam revocare voluerit, et ad fidem historicam rite exigere, suapte et illud perspiciet: stricto sensu Nobilitatem hungaram origetenus nequaquam classem privilegiatam constituisse, verum Populum ipsum, quo nomine eam Verbőczius secundum theoriam, a recentoribus institutis divergentem, ex spiritu primaeve unionis collective vocavit [a]), nec eundem hallucinationis cujusdam esse arguendum, quod in statuum censum non quamvis classem hominum, natale solum colentium, adnumeret.

§. 164.

Modus perveniendi ad qualitatem Status Regni.

Erat igitur Nobilitas essentiale Regni Statuum attributum, cui velut fundamento triplex modus patulus evaserat horum in censum perveniendi. Praelatis quippe istud ex ratione sacri sui muneris, non quidem eo sensu, quasi causa hujusce proëdriae, consecratio, aut benedictio, vel confirmatio summi Pontificis foret, quod belle mos nostra, Patrumque memoria continuo observatus, illustrat*), verum quia ut tales e legum praescripto communibus Nobilium praerogativis, atque in specie jure suffragii in Comitiis cum reliquis Regni Statibus pollerent. Caeteris extra hos personis singularibus attribuit istud, atque una in posteros speciale derivat Privilegium Principis; quemadmodum et communitatibus in unam personam moralem collectis.

*) Etenim Hungariae Praelati, esto per sedem Romanam nondum confirmati, cum sua ab Rege Apostolico nominatione non modo obtenti beneficii reditus tollunt, verum confestim pro Praelatis Hungariae habentur, Diaetisque intersunt: et haec — praeter reditus — obtingunt etiam electis, sive titularibus sic dictis Episcopis, suprema voluntate ad Dioeceses, virtuali sacrae Coronae juri obnoxias, denominatis, licet Episcopalis ordinis potestate in Ecclesia minime polleant. E contra Auxiliares Episcopi, a summo Pontifice, ut Dioecesanis adjutorio sint, in Partibus (sic stilo Curiae Romanae nuncupantur) infidelium creati, ac subinde

---

a) P. 2. tt. 4.

ex ritu Ecclesiae consecrati, redduntur quidem idonei ad munus sacrum Antistitibus proprium rite, ac valide obeundum: praerogativis tamen civilibus Praesulum Hungariae nequaquam fruuntur, neque ullibi horum in serie comparent [a]).

§. 165.

A Regia Majestate proficiscitur.

Quae cum ita sint, quoniam Nobilitatis conferendae Jus proprium est Regiae Majestatis [b]). Eidem etiam Uni Status proëdria in acceptis referenda venit. Indeque proprium manet Constitutioni avitae, nec ullam recipit controversiam, cooptari in quamcunque horum classem neminem unquam potuisse, nisi a Rege: nec aliter quemquam ad hanc, vel illam pertinere.

§. 166.

Quod ultra illustratur.

Profecto Litteris Regis solennibus, quas collationales vocamus, Praelati, Proceresque dignitarii renunciantur: Magnates nativi fiunt, exteri Indigenatum accipiunt, et insuper articulo comitiali, ex Regis consensu condito, inseruntur. Nobiles caeteri Regia donatione, vel Litteris ejusdem Armalibus; Liberae, Regiaeque Civitates, ac Districtus itidem obtento Regis duntaxat Privilegio creantur, cui agnomen elibertationale adhaeserat.

§. 167.

Cui universi fidelitatis homagio obstriguntur.

Status autem, et Ordines universos homagio fidelitatis Regi suo, sacraeque Regni Coronae, nullius alterius fidelitate salva, quavis aetate obstringi, etsi natura Imperii non secum ferret, praeter Verböczium [c]), et aliae numerosae leges [d]) diserte praescribunt, et nemo unus hungarico haud indignus sangvine vel in dubium revocabit *). Morem priorum temporum, utcunque ad Ferdinandum usque I. [e]) retentum, ut Status occasione coronationis hoc ip-

---

a) Vid. Diaria Comitiorum et Schemat. I. Reg. Hung. quotannis edi consvet.

b) Par. I. tt. 3.

c) P. 1. tt. 12. P. 3. tt. 5.

d) Vid. instar omnium 1791. 3.

e) Conf. litt. ejusd. Reg. ad Civ. Cassoviensem ap. Kaprinay Hist. Dip. P. 1. p. 310.

sum Jurejurando aperte sponderent, commemoravi superius, qui nec modo simpliciter desiit; nam quemadmodum homagium a Majoribus cum ipsa Regni haereditate Principi suo delata, sempiterno observamine suos in haeredes derivatum fuit, ita qui ab eo etiam tempore exterae originis primum in Hungaros cooptantur, solenni formula pro se, suisque itidem haeredibus fidelitatis Juramentum nuncupare necessario tenentur [a]).

*) Sacrosanctae hujus obligationis numerosi omnis conditionis coincolae immemores aetate hac nostra, pejore avis, se vili, ae nefando perduellionis, proditionisque in Regem, et Patriam scelere faede contaminare veriti non fuerunt, atque tantam Hungariae stragem, calamitatem, ruinam fallaci novatorum theoria magistra: superbia, impietate, seductione, perfidia ducibus transversum acti, in longam diuturnitatem attulerunt, quibus sera multorum paenitudo remedia propinare non valet.

Caput II.

De Juribus, et Praerogativis Nobilitaribus.

§. 168.

Quid nomine Praerogativarum Nobilitarium venit?

Quae ad annum quadragesimum octavum supra millesimum octingentesimum sine diminutione nobilibus competebant Libertates, Immunitates, et Jura, quos sub hac nomenclatione lex complectitur, omnium cujusvis Status aequalia (161) Leges uno vocabulo Praerogativas dixere, et ex his cardinales passim ita dictas, quod in iis reliquae quasi in cardine consisterent, Verbőczius ad summa quatuor reduxit [b]), aitque cum pluribus, eas a S. Stephano concessas primum, postea ab Andrea II. per Auream Bullam partim confirmatas, partim explicatius declaratas fuisse, quod tamen obstantibus illis, quae per hujus operis decursum nobis vel hactenus obvia fuerunt, adeo generatim sustineri vix potest.

§. 169.

Ex his cardinales.

Cardinalium Praerogativarum prima, et altera eo reci-

---

a) 1687. 26. et aliis compluribus.
b) P. I. tt. 9.

dit: quod Nobilis ad nullius preces, et accusationes per quemquam in persona sua capi, aut detineri possit, nisi prius citatus, et ordine Juris convictus [a]); neque per Principem ipsum, licet hujus unius subsit potestati, ad simplicem querelam praeter viam Juris, atque altera parte non audita, in persona, aut rebus impediri. Tertia liberam Nobilibus potestatem addicit, justis eorum juribus, et proventibus intra terminos Territoriorum suorum fruendi, immunitatemque ab omni conditionaria servitute, omnique tributorum, vectigalium, vulgo datiarum depensione. De quarta pridem perpetuo sublata, quam in operis limine recensuimus, nihil hic amplius proferendum remansit.

§. 170.

Sensu genuino.

Cave tamen existimes, Praerogativas istas illo apud nos sensu aliquando viguisse, quasi legibus esset consentaneum, in Hungaria quemquam condemnari cujus cujus tandem conditionis, nec auditum, nec juris ordine convictum, aut in persona, rebusque damno impune affici, vel ab ipso legitimo Principe nostro ad solam duntaxat querelam, et sinistram suggestionem impediri posse, potestate rebus suis secure fruendi. Exemtiones quippe hoc in genere Nobilitati propriae, nominatim loco tertio allatae, id tantum secumferunt, quod bona nobilitaria, horumque proventus, et, quae ex Jure terrestri promanant, reliqua, nullis servitutibus, operibus publicis, atque tributis subjecta, verum plena cum proprietate possideri statuantur, quare data opera Tripartiti Compilator hanc libertatem solum intra limites Territoriorum suorum, Nobilibus propriam enunciavit.

§. 171.

Accipiendae.

Binae anteriores vero sic explicandae veniunt, quod Nobilis Juri stare nonnisi in Judiciis Regni ordinariis obligetur, dein personalis ejusdem immunitas ab omni privata Jurisdictione salva semper persistat; alterius autem, ut

---

a) Cit. tit. et 1222. 2.

servitiis nunquam — nisi ea ultro assumat — oneretur; quod porro quamvis de crimine patrato suspectus, ac plene probatis inditiis gravatus, nec capi — nisi legitime citatus — nec in carcerem miti — servato juris ordine nondum convictus — queat. Quae praerogativae si quibusdam minoris momenti esse videntur, veterem tamen historiam, et fata recolenti, quae tenuioris praesertim sortis Nobilitatem prima, atque altera Regum nostrorum periodo — uti alibi etiam — eo tempore tetigerant, dein quis etiam fuerit nisus persaepe potentiorum ad egentiores in civili libertate coarctandos, eidem — inquam — protinus apparebit, immunitates istas tanta religione, tot legibus fundamentalibus haud in vanum custoditas, atque communitas fuisse.

§. 172.

Legum praescripto.

Sunt interim quaedam ab his regulis exceptiones quibus legislatio praevertere voluit, ne noxia existant publicae tranquillitati, neve iis quisquam in alterius, aut ipsius patriae praejudicium abutatur. — Cumprimis non opitulabatur personalis immunitas relate ad vindicativam justitiam I. Reo criminis laesae Majestatis, idque ob atrocitatem criminis, et personae, in quam facinus attentatur, eminentiam [a]). II. In ipso alterius quoque delicti, si capitale sit, perpetrationis actu [b]). III. Militibus quoad ea, in quibus subsunt legi, ac disciplinae militari, speciatim desertoribus [c]). IV. Profugis, aut de fuga suspectis. V. Non illis, qui reditus publicos, privatosque administrant, ut sunt: Perceptores publicorum subsidiorum [d]), Collectores pecuniarum Comitatus [e]), Factores, et Officiales dominorum, si rationes reddere nequeant, aut detrectent; quod ipsum de servis quoque constitutum, cum nondum expleto servitii tempore fugam arripiunt [f]). Demum VI. palam facinorosis,

---

a) P. II. tt. 44. — 1715. 7.
b) P. I. tt. 9. P. III. tt. 32.
c) 1598. 31. — 1601. 14.
d) 1554. 20.
e) 1471. 2. — 1492. 24.—1622. 65.
f) Cit. 1471. 2.

vagis, ac publicis malefactoribus [a]), qui autem atro hoc calculo notentur, complures articuli sparsim declarant [b]).

§. 173.

Quasdam exceptiones subeunt.

Relate porro ad Jura civilia Nobiles jam indiscriminatim contribuere obligantur [c]), nec minus coram civico, vel altero, per recentissimas leges [d]) designato, judicio respondere, a mercatura denique quaestuosa, ut alter quivis, tricesimae vectigal dependere [e]).

§. 174.

Propria Nobilitatis jura alia personalia, alia realia.

Prisca illa, ac varia, et multiplicia Nobilitatis Jura reliqua in personalia, et realia commode dispescimus: Quod Nobiles sint, ut Lex dicit, membra sacrae Coronae, et in Comitatibus, in quibus domicilium habent, aut bona tenent, collective publicam constituant Regni Jurisdictionem: Quod singillatim huic solum, et legali, quem ipsi eligunt, Magistratui, immediate subsint: Comitatensia, et alia passim illustriora officia ipsi duntaxat gerere valeant [f]): Quod vel in persona, vel medio suorum Repraesentantium ad legislationem in Comitiis concurrant; propriis gentilitiis armis, atque insignibus utantur: Domus, curiasque eorundem, velut civilia quaedam sacraria — nisi in casibus (172) indicatis — invadere, violareque interdicatur, et hae ipsae a militibus hospitio recipiendis immunes sint [g]): Immunitas porro a telonio, et naulo solvendo [h]): Facultas etiam bona nobilitaria aquirendi, firmiterque tenendi personalia erant. Sed jus terrestrale, quo Nobilis similem territorii partem possidet, et quae huic innectebantur immunitates, et privilegia prorsus egregia, realem ejus libertatem efficiebant, verum et haec, et illa,

---

a) 1546. 25. 1655. 38. — 1687. 14. et aliae.
b) P. I. tt. 9. — 1625. 13. §. 4. et seq. 1723. 5.
c) 1848. 8.
d) Anni ejusdem 23. et 27. §. 2.
e) 1559. 44. — 1638. 49.
f) 1723. 56. — §. 3.
g) 1486. 62. — 1567. 39. — 1635. 46. — 1662. 13. aliaeque ibi cit. leg.
h) 1498. 35. — 1618. 59. — 1625. 36. — 1635. 71. — 1715. 15. — 1723. 15. — 1764. 9. etc.

si gentilia demas arma. utcunque universa jam antiquata conspicimus [a]).

§. 175.

Jus Terrestrale.

Jus illud primigenium simul, ac praecipuum Nobilitatis attributum Nobiles fundorum suorum nobilitarium plenos, ac immediatos Dominos effecerat; fundi vero similes. quibus scilicet nullum inhaesit onus tributarium [b]), singulari apud nos jurium possessionariorum denominatione designantur; pro Praediis enim in Hungaria territoria colonis vacua sumere vulgare est. In juribus autem possessionariis plenum Nobilium, haec possidentium, dominium omni tempore subintellectum fuisse, ut datam fidem solvam (162), paucis comprobare adnitar.

§. 176.

Primaeva occupatione.

Ajebam scilicet: sua Majores nostros haeredia Terram armis occupatam, velut rem communem, in primordiis aquisivisse, quemadmodum hoc veteres Scriptores perhibent, tum pacti primaevi conditio secunda commonstrat (154). Mox vero primigenio huic modo in donationibus Principum alterum successisse, indocti, doctique novimus. Quorum uterque directum dominium, plenamque proprietatem sic natura sua involvit, ut, nisi exceptio a communi occupationis, vel donationis notione sese aliunde manifestet, aliud juridice praesummi absolute non possit. Jam vero Patriam, quam colimus, non viribus duntaxat Arpadi, sub praemissa conditione praecise Principatum adepti, non per stipendiarium ejus militem, sed mutuis omnium Tribuum, ac Generationum laboribus, ac sangvine in Hungarorum potestatem devenisse cum certum sit, etiam partem Terrae sic occupatae in illorum, quibus ista obtigerat, cessisse proprietatem, cedereque debuisse, indubium erit.

§. 177.

Vel Regia Donatione aquisitum proprietatem secumfert.

Idem de jure sentiendum Nobilibus e Ducum, postea

---

a) Vid. 1844. 4. et 5. et cit. 1848. — 8.
b) P. I. tt. 24. — 1741. 8.

Regum Donationibus enato. Cum enim per Donationem secundum genuinum ejus significatum jus in re, quod donans habet, ad donatarium transit, Regem donantem excepto eminenti dominio, ab Imperio haud alienabili — omne jus reliquum, quod in parte Territorii tenet, id est plenum dominium in donatarium transferre, nisi mens largitoris in contrarium expressa aliter statuisset, quivis itidem, qui genuinas juris, et aequi notiones studiosa mente revolvit, in controversiam non revocabit. Quae autem mens donantium Principum sit, fueritque omni tempore, formula ipsa, qua liberalitatem suam in Litteris hujus generis solennibus enunciant *), tum leges organicae, et regiarum Donationum omnis aevi exempla manifeste ostendunt.

*) „Damus, donamus, conferimus — ait Rex Hungariae in hac Privilegiorum specie — habendum, tenendum, possidendum: nihil juris, nihilve proprietatis nobis reservantes."

§. 178.

Quod leges primigeniae.

Videamus primum leges, et has inter antiquissimam Stephaneam, in haec, quantum huc faciunt, verba expressam: „Decrevimus regali nostra potentia, ut „unusquisque habeat facultatem sua dividendi, „tribuendi Uxori, Filiis Filiabusque, atque „Parentibus, sive Ecclesiae, nec post ejus „obitum quis hoc destruere audeat" [a]). Item „consensimus petitioni totius Senatus, ut „unusquisque dominetur propriorum similiter, „et donorum Regis, dum vivit — — — ac post „ejus vitam filii simili dominio succedant" [b]). Separatim hic videtur Rex sanctus memorasse bona, e primaeva occupatione propria, tunc utique adhuc cognita, distinctaque ab illis, quae serius donatione fuere concessa, ut tanto manifestius adpareat, se in utrisque aequale prorsus dominium assignare, plenum illud nempe, quale anterior sanctio, huc transcripta, possessori assignat.

a) Dec. L. 2. C. 5.
b) Dec. L. 2. C. 35.

§. 179.

Aurea Andreae Bulla.

Eandem Juris proprietatem aurea Bulla in sequelam libertatis, a S. Rege concessae, verbis, quibus nihil opponi possit, decernit: [a]) „Si quis — statuit illa „— Serviens sine filio decesserit, quartam „possessionis — seu quartalitium — e bonis pro masculino sexu donatis partem — filia obtineat, de „residuo sicut voluerit, disponat, et si morte „praeventus disponere non potuerit, propingui „sui, qui eum magis contingunt, obtineant, „et si nullam penitus generationem habuerit, „Rex obtineat.“ Ita Decreta Sigismundi [b]), et Caroli III. [c]), de bonis Nobilium mentionem cum faciunt, pleni dominii expressione utuntur. Non mirum proinde, quod Verböczius minime adhaeserit proprietatis vocabulo dominia Nobilium exprimere [d]).

§. 180.

Ipsaque Donationum exempla.

Praeter superius allatam stili formulam, proprietatis significatum omnimode exhibentem, ipsarum tandem donationum exempla, et, ne omnem brevitatis curam deposuisse arguar, pauca solum ex innumeris illis subnotabo, quae se mihi in ejus confirmationem offerunt: quod Ecclesiis aeque, ac Secularibus non unice utile, sed simul proprietatis etiam, seu directum dominium in bonis collatis primis adhuc, ac subsequentibus Regni Hungariae seculis obtigerit.

§. 181.

Inde a primis Seculis continua.

Jam a Geisa Duce S. Stephani Genitore Comiti Deodato — praeter multa loca — Villam Tata subinde vocatam, ita fuisse donatam „ut perpetuo possidendam, aut „certe cuicunque vellet, alteri vendendam, „aut gratis pro Deo libere donandam, et le-

a) 1222. 4.
b) 1404. §. 12. 14. et 19.
c) 1715. 9.
d) P. I. tt. 27.

„g a n d a m p o s s i d e a t" Bela IV. eo A[i] 1263[i] testatur Diplomate, quo Praeposituram Tatensem confirmavit. Ab Emerico Rege A° 1201° Capitulum Strigoniense Strigonii certos hospites cum fundis, et aedificiis illa lege donatos obtinuit, ut iidem Fratres (Canonici) judicatu, e t p l e n o D o m i n i o g a u d e a n t i n p e r p e t u u m. Ab Andrea vero II. A[no] 1217° reliqua inter possessio Csergon a d o m n e j u s, e t p r o p r i e t a t e m, e t a d o m n e m J u- r i s d i c t i o n e m, e t h o n o r e m, e t p o s s e s s i o n e m p e r p e t u a m Hospitali S. Joannis de Jerusalem per donationem data est. Hujus filius Bela IV[us] Comiti Jordano, Comitis Arnoldi de Scepus Filio A[no] 1256° silvam quamdam regalem jure haereditario possidendam e o c u m j u r e, e t *p l e n i t u d i n e,* e o t i t u l o, e a q u e l i b e r t a t e c o n t u l i t, q u a *o m n e s N o b i l e s* — inquit — *R e g n i N o s t r i s u a s p o s s e s s i o n e s p o s s i d e n t, a t q u e t e n e n t.*

§. 182.

Sat superque evincunt.

Eodem prorsus modo A[no] 1254. terram Zerdahely Comiti Andreae, e jurisdictione Castri Neogradiensis exemtam, c u m o m n i b u s u t i l i t a t i b u s — — — e t j u r i- b u s *e a d e m p l e n i t u d i n e, s i c u t i p s e c a s t r u m p o s s e d i t,* Bela contulit; cui profecto dominium directum negari non potest. Sed desino plura tam hujus, quam deinceps sequentium Regum ejusmodi Privilegia enumerare, quae pleni Dominii, et proprietatis continuam mentionem faciunt, et cum his, quae nobis isthic in promptu fuerunt, apud solertissimos Diplomatum domesticorum Collectores nostros [a]) iis etiam patebunt, quibus fortasse ad Archiva privatorum aditus non patet.

§. 183.

Adeoque perperam pro feudis accipiuntur.

Bona hungaricae Nobilitatis, qui sua origine, vique primaevorum Institutorum pro feudis, quorum essentiam d o m i n i u m u t i l e s u b o n e r e f i d e l i t a t i s j u r a t a e, e t o b s e q u i i p e r s o n a l i s, d o m i n o d i r e c t o ex-

---

a) Ap. Kaprinay, Pray, Katona, Vagner, Kovachich, Fejér.

hibendi, constituit, habenda pronunciant. Hi vel directum dominium, huic oppositum, cum eminenti, nobis loco speciali pertractando, confundunt *), uti Pseudonymus Eusebius Verinus [a]), et Kollár [b]); vel ob onus militandi, Nobilitatem manentis, et quia donationes bellicis potissimum laboribus emerebantur, eas feudi naturam induisse conclamant, quem errorem Prayus [c]) cum Koppi [d]) erraruut. Vel denique ad hanc suam opinionem firmandam, attrahendo ex iis maxima minima, quae nobis cum feudis conveniunt, haeredia nostra pro perfecti nominis feudis habent. Quo in argumentandi genere illustris Piringerus, vir elegantis ingenii, atque profundioris — citra controversiam — eruditionis praeprimis excelluit [e]).

*) Adfirmabat aliquando — non sine invidia — Kollár neminem de popularibus nostris esse, qui in haerediis suis dominium eminens, et absolutum se habere non arbitretur; nec non alibi „certissime — inquit — discent Arpa„dum contulisse quidem, ut loqui amamus, dominium utile, „sed eminens, et directum sibi, id est Genti hunga„ricae universae, cujus bonorum administer solum erat, re„tinuisse“ [f]). Non latebat profecto olim, minus autem modo fugit concives meos, studiis vel paulo liberalius imbutos, dominium eminens toti Civitati, indeque summo Imperanti ad usum publicum in communis salutis necessitate competere. Ast istud non obstat, quin privati dominium plenum, sive directum simul cum utili in republica bene ordinata habuerint quovis tempore in rebus suis, justo titulo comparatis, secundum illud Senecae [g]) „Ad Reges potestas omnium „pertinet, ad singulos proprietas.“

§. 184.

Quibusdam analogis attributis non obstantibus.

Occurrunt equidem nonnulla Donationum regiarum attributa in feudis perinde observata. Uti sunt I.) Fidelitas Principi, et Domino debita. II.) Immunitas a tributo, cum onere militandi. III.) Jus ad Bona deficientium, vel de vio-

a) In Comment. Jurid. Crit. de haered. Jure ser. Dom. Aust. C. II. §. 17. et 18. Idem in dissert. de domin. emin.
b) Hist. Jur. pub. amoen. P. I. Sec. 3. C. 2. §. 5.
c) Hist. Reg. Hung. in not. praev. p. XVIII.
d) In opusc. de Jure elect. C. 1. 2. et 3.
e) In: Ungarns Banderien, und desselben gesetzmäßige Kriegsverfassung überhaupt.
f) Op. cit. et loc. cit.
g) De Beneficiis L. 7. C. 4.

lata fidelitate convictorum. — Interim cuncta ista nec sola sunt, nec exclusive feudis tantum propria, nec penitus aequali utrinque ratione subsistunt. Fidelitas quippe per Vasallos speciali Juramento cum quovis feudi aditu, sub amissione quoque jam possessi, stipulanda, clientelaris est, in multis ab ea divergens, qua subditus generatim omnis, adeoque et Regni Nobilis — nullo inter donatarios, et armalistas discrimine — legitimo Terrae Principi e notione Imperii perfecte obstringitur, citra ullum praevie deponendum juramentum, quale feuda consecuti praestabant. Vixque reperitur facile, nisi in his prorsus existat peregrinus, qui non alias praeterea obligationes e clientelari subjectione proficisci existimet, quam quae e mutuo Principem inter, ac subditum nexu dimanant. Immunitas porro a tributo praerogativa in Hungaria nobilitaris, Armalistas aeque respiciens, immediatam quidem, quantum ad bona nobilitaria, exemtionem secumtulit, ad colonicales nihilominus fundos nequaquam extensam.

§. 185.

Neque Devolutio ad Coronam.

Tantum vero abest, ut redevolutio Bonorum nobilitarium in Regni coronam, sive illa ex familiae defectu, seu ex crimine oriatur, characterem feudi designet, ut potius hinc fortissima in contrarium argumenta succrescant. Nonne luculentissime paulo superius vidimus, Nobilem de bonis suis haereditariis, et sub nascentis Monarchiae initiis, et diu postea liberrime disposuisse; quam proinde Verbőczius ultimi deficientis inactivitatem commemorat [a]), eam ipse rectissime nominat Hungarica multis seculis posteriorem, utpote ad Ludovici I. tempora constitutam [b]), qui ex communi Statuum voluntate primus decrevit [c]): „ne nobiles „deficientes avita Bona Ecclesiis, aut a sangvine alienis „posthac donare, vel vendere possint *).“

*) Praemetuisse mihi videntur Majores nostri, stante primaeva irrestricta de bonis disponendi libertate, Andreae II. Decreto amplius constabilita, serius citius futurum, ut sensim, delatis

a) P. I. tt. 10. et 65.
b) P. I. tt. 64.
c) 1351. §. 11.

ad manus mortuas potiori in parte Nobilium bonis, liberaque disponendi facultate irrestrictim salva, modus omnis evanescat Hungariae Regibus benemeritos praemiandi; idcirco in hanc restrictionem communis utilitatis causa facile consenserint. Quidquid sit, diserta in rem dispositio, Regni Decreto expressa, plene Verbőczium ab eo absolvit errore, quasi rem dudum vetitam ad tempora Ludovici perperam retulisset.

§. 186.

E Defectu.

Quomodo ergo — obsecro — jus istud Sacrae Coronae, post tria secula exortum, usuque subsequo ratificatum — adversus clarissimas leges — pro feudis, ad nobilitaria bona applicandis, aliquomodo deserviet? Quod enim amortisatoriae provisionis specie priorum Regum nonnulli — ut e quodam Ladislai IV. Privilegio non obscure colligitur — cavere interdum coeperint, ne bona secularium Nobilium promiscue perenni titulo ad Ecclesias devolvantur, generalem, quam lex postea praescribit, normam haud praestituerat [a]), et si praestituisset, validum inde pro feudis argumentum ne vix quidem suppeteret.

§. 187.

Aut e Crimine.

De Bonorum devolutione ex crimine, quod feudalis Juris Interpretes f e l o n i a m vocant, non habeo opus multa dicere. Si enim inde naturam feudi decidis, in Hungaria profecto quaevis mobilis, vel immobilis facultas feudum foret, quam nobilis, et ignobilis apud nos universam amittit, qui homagium, ceu fidelitatem, Principi debitam, violare temere audet. Alioquin poenam similem et sub Imperatoribus apud Romanos, aliasque Gentes — feudis nondum vigentibus — usuvenisse, sat superque constat.

§. 188.

Nostram Sententiam evertit.

Videor quibusdam contra quam pollicitus eram, praesertim eo, quo res nostrae loco in praesentiarum subsistunt, nimium in hujus unius thematis discussione versari, sed quantumcunque ad explendum promissum brevitatis

a) Conf. Vindicias de domino Nobil. Hungariae.

cura tenerer, monebat veritatis studium erroneam nonnullorum opinionem, mox a compluribus pro evicta venditam, non perfunctorie examini sanae criticae subjicere, nihilominus consulto praetereo onerosas obligationes complures, et characteres reliquos, Vasallis, feudisque passim attributos, qui Donatariis, ipsorumque haerediis nulla ratione conveniunt [a]). Unum, quo vir praeclarus aliquando pugnabat [b]), argumentum coronidis instar licebit adjicere „Scimus"—inquiebat ille—„quotquot primorum Regum nostro„rum Decreta inspexerunt, illa conscripta esse sermone „mediae illi aetati proprio, num vero cuipiam verosimile „esse potest, Reges nostros, et qui illis a manu erant, in „caeteris morem aetatis illius, et sermonem secutos, in „hoc uno non modo non secutos, sed ita diligenter, ita „religiose constanter devitasse, ut nulla in lege, nullo „regiarum donationum in privilegio vox ulla reperiretur ex „iis, quibus illa aetas aut feudum, aut qui istud dabat, vel „recipiebat, designare solita sit."

§. 189.

Utrum ulla unquam in Regno Feudorum vestigia?

Nihil ergo — inquies — Feudorum unquam habebat Hungaria? imo vero habebat aliquando praeter puras, ac veri nominis donationes regias, alias praeterea titulo Emphiteusis perpetuae, vel Inscriptionis jam ad normam Feudorum cum specifico servitii exhibendi onere datas. Vigebant in veteri Comitatuum systemate castrenses Populi, horumque classes variae, sub speciali militiae, alteriusque servitii onere constituti, ex quibus numerosi erga militaria praeprimis servitia, et titulo feudi passim erga annuum canonem terras perpetuo in usum suum colendas obtinuerunt, retento per Reges directo illorum dominio. In quo collationum genere advertas, nullam pleni Juris, dominiive, nullam proprietatis: ast ab adverso pacti conventionis, et beneficii apertam fieri mentionem *). — Magnum proinde discrimen olim erat inter Servientes regios, et illos etiam Milites

---

a) Vid. Dissert Mat. Nitray de eo quid reg. donat. int. conv. vel intersit? 1708. in 8vo.

b) In Vindic. de domin. Nobil. Hung. p. 72.

ad castrum pertinentes, qui a voce Jobbak, vel Jobbág (meliores) Jobbagiones Castri compellati, personali quidem libertate plene gaudebant, terras tamen nonnisi erga conditiones, Feudis proprias, a Regibus consequebantur; atque sic stricte Servientibus regiis, seu terrestribus haerediorum dominis, multo erant inferiores **). Nec desunt vestigia diplomatica aeque, ac historica, quae nonnullos e conditionaria servitute inter veros Regni Nobiles translatos doceant ***). Nullus denique controvertet, obligationes, quibus populi Ecclesiarum Praelatis, vel servitutes, quibus coloni Dominis suis terrestribus obstringebantur, et ususfructus duntaxat beneficium, idest dominium utile iisdem tribuisse, et speciem Feudorum, ut ut irregularium, omni tempore repraesentasse.

*) Contulit sic Bela III. Comiti Bartholomeo de Veglia Anno 1193. totam terram pertinentem ad Comitatum Modrus „jure „haereditario possidendam, sed tali pactione interveniente, „quod praenominatus Comes (Verba sunt Diplomatis) „intra Limites Regni cum decem loricis, in com- „pensationem suscepti beneficii (id est Feudi, haec „enim synonima erant) nobis assistat; extra Regnum „vero cum quatuor loricis nobis serviat.“ Quam Feudi collationem A. 1209. Andreas II. Jeridoni, dicti Bartholomaei ex Fratre Nepoti, et hujus iterum successor Bela IV. Jeridonis filiis A. 1251. confirmant; et posterior quidem „determinate — inquit — disponentes, quibus ser- „vitiis ipsi, et haeredes eorum Nobis, et haere- „dibus nostris obligari de caetero tenebuntur.“ Postea servitii onera in specifico recenset. Haec ex pluribus speciminis instar adferre libuit [a]).

**) „Jobbagiones Castri — narrat Simon de Kéza Scriptor Se- „culi 13. — sunt pauperes Nobiles, qui ad Regem venientes, „terram ab eo accipiunt de castri terris, ut feuda „Castri, ut Castrum gverrae tempore custo- „diant“ [b]).

***) Adhuc sub Ludovico 1. ex Udvarnicis, aliisque conditionariis complures ad diversas servitutes adstrictis exemtos et in coetum Regni Hungariae Nobilium fuisse aggregatos, testatur Thuroczius [c]). Ut autem unum, alterumve exemplum diplomatum iterum proferam, Jobbagiones Castrorum regio-

---

a) Quae cuncta apud Kollár t. cit. V. 2.; vel secund. annos ser. reper. ap. Katona Hist. crit. Reg. Hung.

b) In appendice §. 2.

c) Chron. P. III. C. 51.

rum, ad coetum servientium in vicem praemii translatos, in Privilegio Belae IV. deprehendimus, quo A° 1266. de Jobbagionatu, et Conditione Castri Bolonduch Symarthiam, ejusque filium ad libertatem, et numerum caeterorum servientium suorum regalium, cum terris eorum haereditariis transtulit, A° 1269 Stephanus V. Nicolaum, et Michaelem, filios Nicolai de Gosztun, e numero populorum suorum speculatorum exemtos, coetui Nobilium servientium adscripsit [a]). Per Ladislaum illius filium A° 1275. e conditione filiorum Comitum Udvarnicorum Petrus filius Bethlen, et per hunc Fratres, Proximique ipsius una cum terris, vel possessionibus universis, illa eademque libertate donati sunt, qua veri Regni Nobiles gratulantur [b]). Eodem favore Andreas III. complures Castri sui Posoniensis, simul cum terra ipsorum haereditaria, e pristina conditione in coetum, et consortium, Nobilium Regni purorum, et verorum, sub vexillo Regis militantium A° 1299. transposuit [c]). Ludovicus Magnus denique Mathiam Literatum, et Nicolaum Pugilem suum specialem, filios Vermes, e conditione Comitum Udvarnicorum exemtos, de gratia speciali ipsos, et eorum posteritates universas cum omnibus possessionibus, et juribus eadem libertate gaudere voluit, qua caeteri viri, et genuini Nobiles Regni gratulantur [d]).

§. 190.

Consectaria Proprietatis.

Resultat ex pleno proprietariorum Dominio cum jure libere utendi, fruendique, in quantum lex, vel conventio non obstat, conjuncto fructuum, vel emolumentorum, sive legalium proventuum percipiendi facultas. Colit proinde Dominus terrestris ad lubitum terras allodiales. Exercet in territorio suo jura, quae nostri Jurisconsulti, etsi minus proprie, sed usu jam recepto, regalia beneficia dicere amant, inque fructu dominii hoc titulo habentur: Educillum, Macellum, Lignatio, Glandines, Venatio, Piscatio, Molendinum, Aucupium, et alia his simila. Eidem liberum manet sua praedia incolis vacua, vel reddere populosa, vel sicuti sunt, in usum suum convertere, aut alteri locare.

---

a) In Katona Op. cit. ad hos ann.
b) In Katona Op. cit. ad hunc ann.
c) Ex Anthogr.
d) Katona Op. cit. ad ann. 1356.

§. 191.

Et beneficia e Jure communi.

Alia adhuc territoriorum Dominis beneficia, praeter Jus Caducitatis in rebus rusticorum, absque legitimis haeredibus ab intestato decedentium [a]), expressa lege nondum plene sublatum evanuere, nominatim Jurisdictio in causis civilibus colonorum juxta, ac illis, quae ex Urbariali obligatione promanant [b]).

§. 192.

Beneficia speciali Privilegio impetranda.

Accedunt per speciale solummodo Regis Privilegium: benificium Nundinarum, Nauli, Telonii, Patronatus, Majoratuum, Senioratuumve instituendi fucultas [c]), quae cuncta sibi privatim, quamvis territorii Dominus, vindicare nemo potest, nisi ex privilegio, atque consensu Principis, quod lex, ac perpetua docet consvetudo. Aliquando istis Jurisdictionem quoque sangvinariam accessisse, obvie constat.

§. 193.

Obligationes his Juribus correspondentes.

Conspicuis, quae recensendo solum attulimus, favoribus, peculiares quoque obligationes Leges nostrae adjicere non neglexerunt. Eas inter merito praecipua pro Regni defensione militandi, sive insurgendi, casu legis eveniente, ad Thronum, Patriam, avitamque libertatem propugnandam [d]). Ut ut enim defensio Patriae obligatio Civis uniuscujusque sit: Nobiles tamen speciali insuper nomine, quod pro membris Sacrae Coronae haberentur, atque ob eam, praecise obligationem fuerint ab onere tributorum immunes, manere oportebat. Adhaec, quia non armis tantum, sed etiam consiliis salus, ac prosperitas Regni procuratur, adstringebantur speciatim in persona, vel per Repraesentantes pro status scilicet ratione ad Regni Comitia comparere, interesse publicis Comitatuum Congressibus, et utrinque in publica commoda consulere; officia denique gerere in gre-

---

a) 1836. Art. 9. §. 9.
b) 1848. Art. 9. §. 4. et art. 11.
c) 1687. 9. — 1723. 50.
d) P. I. tt. 9. — 1715. 8. et aliae.

mio Comitatus [a]). Nam quemadmodum in omni Republica, ita apud nostrates — numerosis legibus id ipsum statuentibus — originem, causam, omneque Nobilitatis fundamentum virtus, et benemerita constituunt [b]).

Caput III.

De Statibus Regni singulis, ac primum: De Praelatis.

§. 194.

Praelati nobis qui?

Clerus Hungariae, ut aliarum Orbis catholici Regionum, in majorem, et minorem distribuitur. Major Archi-Episcopos, Episcopos, Dioecesaneos, et Electos, Abbates item, ac Praepositos tam Regulares, quam Seculares communi Praelatorum nomine comprehendit. „Per Praelatos enim — docet Tripartitum [c]) — intellige non solum Dominos Archi-„Episcopos, Episcopos, sed etiam Abbates, atque Prae-„positos, tam seculares, quam regulares omnes.“

§. 195.

Utrum etiam Episcopi solo nomine tales?

Alioquin de Dioecesanis Episcopis confecta res est, sed de Titularibus, quos ad titulos Dioeceseon a sacra Corona avulsarum Rex Hungariae Episcopos denominat, ut jura Regni in provincias, quorsum illae pertinent, sic etiam conservatum pergat, sint ne illi Statui Praelatorum accensendi? non sine aliquo fundamento ex Anni 1608. art. 1mo post coronationem *) dubium moveri potest; respondebatur interim: legem istam in effectum abiisse minime, eidemque proximis statim Comitiis [d]) subindeque contraria observantia continenter fuisse derogatum. Neque hos ipsos Episcopos pro mere Titularibus **) juris nostri significatu esse reputandos.

*) Decernit quippe Praelatorum Statum ea ratione idem articulus: „ut quicunque Episcoporum Capitulum suum cum Praeposito

a) 1435. 2. — 1489. 9. — 1492. 34.
b) P. I. tt. 4. — 1741. 19. et alias leg.
c) P. II. tt. 49.
d) 1609. 70. et aliis insequent. Diaet. articulis.

„suo, sub sua jurisdictione episcopali, aut loco residentiae „suae habuerit, ex tunc idem Episcopus in Conventu Domi- „norum Praelatorum, et Baronum pro sua persona propria „locum, et vocem habeat, nomine autem Capituli Praepositus „una cum Capitulo inter Regnicolas pari ratione unam, et „conjunctam vocem habeat."

**) „Avulsi a Corona Hungariae Dalmatici Episcopatus" — inquit Kollár [a]) — „non occupati ab aliis, sed vacare a Rege, „et Regno pronunciati sunt, quam ob rem eodem illo jure, „quo Reges nostri titulum a Regno Dalmatiae ferunt, titulos „etiam a Dalmaticis Ecclesiis, in quas Jus Patronatus suum „legitime retinent, Ecclesiasticis suis conferre possunt, simul „et Jurisdictionem omnem, quam hi extra Dalmatiam exercere „valent. Quae demum genuina causa est," cur — ut Cardinalis Pázmannus loquitur [b]) — „titulares Episcopi nostri „non sint mere titulares."

§. 196.

Jura Praelatorum communia.

Commentaturus hoc loco propria Praelatorum Jura, non ea persequor, quae Jure Ecclesiastico seu communi, sive Hungariae particulari eosdem respiciunt: quod posterius e legibus Regni, vel e Synodorum nationalium Constitutionibus coaluisse, clarissimus condam Kelemen rite observat [c]). Habent praeterea qua Praesides, et Ministri Ecclesiarum munia sui ordinis obeunda, indeque speciales quasdam praerogativas, quae omnia alterius disciplinae sunt. In quantum denique Praelati nostri ante annum, quem huic meae disquisitioni pro termino praefixi, pari semper cum reliquis Statibus Regni nobilitari libertate gaudebant, iisdem prorsus hujus nobilitatis e respectu juribus, quibus Regni Nobiles universi fruebantur, et actu bona sua cum attributis beneficiis, juribusque aeque e collatione Regia tenent [d]), eosdemque ratione bonorum temporalium sortiuntur judices [e]).

§. 197.

Specialia.

Speciale fuerat tamen: quod singillatim in Regni

---

a) In Hist. Dipl. Jur. Patron. Apost. Reg. Hung. in Append. p. 271.
b) In Discuss. de Tit. Episc. quam dedit Péterfy Concil. Hung. P. 1. p. 77. et seq.
c) Op. et lib. cit. C. 3. p. 243.
d) P. I. tt. 12.
e) Eodem loc.

Diaetis partem ceperint Archiepiscopi, Episcopi, cum Praeposito Majore Zagrabiensi, velut Prioris Auranae Successore *); quin Abbates quoque, ac Praepositi seorsim bona tenentes. Ad hoc suppetit eis beneficium Prorogationis, ex quo unius integri anni decursu a die aditus beneficii ratione bonorum, ad Ecclesias suas pertinentium, modo illa discreta a Capitulis, vel Conventibus habeant, judicio stare non tenentur [a]), neque testimonium ibidem juramento firmare, cujus vice ad puritatem conscientiae fatentur [b]), verum alias Juramentorum species et ipsi more aliorum deponunt, istud etsi legis verba Praelatis duntaxat tribuant, usus nihilominus ad universos Presbiteros extendit. Majores Praelati ad causas proprias Procuratores sub propriis sigillis constituunt [c]); et quae sunt reliqua proprius adhuc, quam quae modo enumeravimus, jus privatum attinentia, neque hactenus per novas sanctiones disertim sublata.

*) „Prioratus Auranae“ — refert Prayus, qui de hoc ipso pereruditam ex professo dissertationem publici Juris fecerat [d]) „— magni olim nominis, et dignitatis sub Regibus erat, nam „qui loco praefectus fuit, cum et ex profana, et ecclesiastica „praerogativa participaret, inter Barones Regni, ex Regum Ordinumque decreto locum habuit, nomen illi inditum „ab Aurana castro, quod inter Jaderam, et Sibenicum Dal„matiae Urbes ad cognominem locum situm est. Prioris „quoque potestas diffusa, omnibus enim per Hungariam Scla„voniam, Dalmatiam, aliasque coronae obnoxias ditiones „Conventibus fratrum Cruciferorum Hospitalis Hyerosoli„mitani suprema auctoritate praefuit. Conventus dixere Prae„ceptoratus, et qui hos moderabantur, Praeceptores.“ Haec Prayus, qui una addit — quod alioquin liquido constat — „dignitatem hanc usque tempora Cladis Mohácsianae flo„ruisse.“ Serius Praepositi Majores Zagrabiensis Capituli ex Regum beneficientia primum quidem Gubernatores, modo jam Priores Auranae nominantur. Quae autem Juris, et dignitatis Priorum Auranae fuerint, in Tripartito descripta reperies [e]).

---

a) P. II. tt. 50.
b) P. II. tt. 40.
c) P. II. tt. 13. §. 6.
d) Viennae A. 1773.
e) P. II. tt. 54.

§. 198.

Ad quae beneficium Decimarum refertur.

Decimae percipiendae beneficium Ecclesiasticis addictum [a]), onerique in defensionem Patriae hoc etiam titulo concurrendi connexum. Jure nostro e speciali Regum liberalitate profluxit, de quo dubitandi locum nullum relinquunt tot numero litterae privilegiales, fundationumque, quibus non Episcopis tantum, verum aliis quoque sacri ordinis tam personis singularibus, quam collegiis, imo quibusdam secularibus quoque hujus tollendae facultas attribuitur, inde etiam in hodiernam diem passim regalis nomenclatur. Reliqua de hoc themate adducere vix expedit, postquam Praelati suis cum Capitulis — remonstrante articulo proxime praeteritorum Comitiorum 13. — conspicuo huic reditui non sine magnanimitatis laude solenniter renunciarunt.

§. 199.

Archi-Episcopo Strigoniensi propria.

Archi-Episcopos Strigonienses ornat in specie splendidum Regni Primatis, atque Legati nati Sedis Apostolicae nomen, ex usu vetustissimo ecclesiasticae ejusdem Jurisdictioni copulatum *), sacri iterum potius, quam profani honoris. Quod ad nostram doctrinam magis refertur, est praerogativa Regum Vertices, Humerosque Regiarum Conjugum Regni Corona ornandi, ac Dignitas summi, ac Secretarii Cancellarii, quorum alterum jam explicatum dedimus, alterum loco idoneo reassumere non obliviscemur. Habebantur hinc olim Regni Primates pro Personali Praesentia Regia in Judiciis; istud enim, — ut ut sciam Scriptores rerum nostrarum admodum peritos, qui hanc proëdriam olim Comiti Curiali, seu Judici Curiae Regiae competiise statuant — leges apertissime dicunt, indeque illos inter Judices Regni ordinarios censent [b]). Supremi ac perpetui Comitis Comitatus Strigoniensis praerogativam Prayus se jam in litteris quibusdam

---

[a]) S. Steph. D. L. 2. C. 52. S. Lad. D. L. 1. C. 4. — 1495. 37. 1507. 15. 1604. 14. etc.

[b]) 1486. 68. — 1536. 15. — Conf. Pray Spec. Hierarchiae P. I. p. 149.

Ladislai Chuni legisse narrat [a]), licet multo serius titulus Comitis Archi-Episcopis Strigoniensibus Ludovici I., ac Mariae decretis [b]) adjectus. Loci duntaxat mentionem faciat, accessit ornamentis istis Principis Agnomen [c]), exstincto etiam Romano Imperio retentum. Accreverunt insuper celsa additamenta, quum anno prioris seculi 23. Consilium Locumtenentiale Regium reviviscerct, et Supremum Justitiae Tribunal, ceu Tabula Septemviralis erecta est, ibi Consiliarii, hic Cojudicis dignitate addita. Functiones Piscatarii inferius occurrentes, quae ad eos ab antiquissimis temporibus pertinebant, nec non — ut quidam volunt — Archi-Capellani officium **) pridem interciderunt.

*) Initium distinctionis istius quaerenti non habeo, quod assignem. Bullam Bonifacii IX. Papae si inspicias, a Prayo productam [d]), tametsi alii aliter senserint [e]), Joannem de Kanizsa Metropolitam Strigoniensem et primum, et ad Dioecesis, Provinciaeque Strigoniensis limites solum restrictam geminatam hanc dignitatem impetrasse, vix est, cur ambigas. Ab anno tamen 1452. quo Nicolaus V. ampliata cum potestate Cardinali Dyonisio de Széčs, ejusdemque in Archi-Episcopatu Strigoniensi Successoribus — ut Litterae illius aperte loquuntur — approbavit, confirmavit, contulitque jurisdictionem Primatiae in singulis Regni, et Partium ei subjectarum Metropolitanis Cathedralibus, ac aliis — licet exemtis — Ecclesiis; omnes hos postea titulum utriusque sacrae hujusce praeeminentiae nec sine quadam jurisdictione gessisse, docet historia [f]).

**) De Capellis Regiis, et Comitibus Capellae Regiae in domesticis monumentis plus vice simplici occurentibus, non vulgariter disseruit aliquando Szvorényi [g]). Ex his apud nos imitatione Regum Galliae Archi-Episcopos Strigonienses ut Archi-Capellanos praefectos fuisse existimavit, an recte? modo disquirere parum interest.

---

a) Op. nunc cit. p. 150.
b) Vid. utr. Regis Decr. in Cod. Jur. Hung. in confirm.
c) 1715. 111.
d) Op. cit. pag. 83. et seq.
e) Nic. Schmid in Arch. Episc. Strig. §. 38.
f) Bullam utriusq. Pontif. vid. ap. laud. Pray Spec. Hier. Eccl. P. I p. 83. et seq. Conf. dissert. rec. edit. Posonii cui tit. Frag. Hist. Hung. attin. p. 13. et seq.
g) Hist. Eccl. Amoenit. T. I. N. 3. p. 13.

Caput IV.
De Statu Baronum, et Magnatum.
§. 200.
Nomen Baronum, et Magnatum olim promiscue sumtum.

Ad cladem usque Mohácsianam Baronum, Magnatumque nomina promiscue summebantur, quod cuivis leges, et Historiam temporum, ipsumque Verböczium attentius pervolventi, in oculos incidit. Designabantur illis Optimates quasi potiores sine discrimine, quare pariter a voce Jobbak, interdum Jobbagiones fuere nominati [a]). Hodie etiam Magnatum *) nomine sensu latiore comprehendimus hic seculares Proceres omnes, qui hactenus cum jure suffragii ad Tabulam Comitiorum superiorem aderant, scilicet Regni Barones cum Magnatibus strictiori significatu talibus.

*) Prima compellationis hujus mentio — ut ego quidem recordor — in Andreae II. privilegio occurit, Saxonibus Transilvanis A° 1224. concesso, quod Josephus Carolus Eder publici Juris fecit [b]). Anteriorem Barthal in litteris Regum Belae II. et III. se deprehendisse narrat, sed fontem utriusque Diplomatis, quorum unum anno 1135., alterum ejusdem seculi 86. edita asserit, solertissimus antiquitatum domesticarum indagator non propalavit [c]).

§. 201.
Qui Barones Regni?

Proprie autem inter Regni Barones censentur Magistratus praecipui [d]) sub primis eorundem cunabulis partim ad Aulae Regiae splendorem, partim ad Rempublicam, communem item justitiam in eminentioribus Regni, et Curiae Regiae Officiis administrandam auctore ipso divo Stephano instituti, sensimque tardius aucti, ut inde numerus illorum diversis temporibus varius foret. Verbo: Barones Regni, quod probe observat Belius [e]), in Hungaria iidem erant aliquando, quos Germani quondam formula solenni Archiofficiales dixere.

---

a) And. II. dec. art. 30. Conf. Palma Not. Rer. Hung. Introd. §. 4.
b) In Comment. de Saxon. Transilv.
c) In Opere provocato p. 226.
d) Conf. Szegedy in Tirocin. Jur. Hung. Tit. 94. C. 4. et Huszty L. 1. T. 13.
e) Car. And. Bél de Archi. off. Hung. §. 4.

§. 202.

In specie numerantur.

Decorantur honorifico hocce titulo Regni Palatinus, Judex Curiae Regiae, Banus Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae, atque Tavernicorum, dein Agazonum, Cubiculariorum, Dapiferorum, Janitorum, Pincernarum Regalium, Curiaeque Regiae Magistri, tum Comes Posoniensis, quibus aevo recentiori [a]) accesserat Nobilis Turmae Praetorianae Capitaneus.

§. 203.

Et quo ordine?

Quatuor priori loco designati dignitatis ordine se excipiunt, omnesque alios vi muneris praecedunt, unde pro Majoribus Regni Baronibus habentur; caeteri rationem senii observant, Comes Posoniensis omnes consequitur; ipsoque unice demto, Hungariae Baronatus non in haeredes transeunt, sed cum vita exspirant.

§. 204.

Num etiam Comes Posoniensis?

Eam dignitatem Comiti Posoniensi quidam, in specie Gustermann [b]), negandam existimabant, mihi tamen praevalet hac in parte Verbőczii sententia [c]), fori, legisque auctoritate munita, cui usus Seculorum continuus lege firmatus [d]) consentit, quo duce nomen Comitis Posoniensis in comitialium Decretorum conclusione, quod proprium alias Baronibus Regni a seculis obtigit, subnexum visitur. Insuper — praeeunte laudato Verbőczio — conjicere pronum est [e]): Comitem Temesiensem, et plures adhuc limitanearum idmodi arcium, confiniorumque Praefectos, tum Vajvodam Transilvaniae, alios praeterea Dignitarios, varia aetate ad eminentem hanc classem pertinuisse.

---

a) 1765. 6.
b) Ung. Staatsrecht §. 264.
c) P. I. tt. 94.
d) 1687. 10.
e) Mod. cit. titulo.

§. 205.

Palatinorum in Hungaria Institutio.

Regni Palatinos, aliquando et Comites Palatii dictos, suam hanc appellationem universe a Palatiis Imperantium traxisse, quod nempe in Imperatorum, Regumque Palatiis causas, ad horum cognitionem devolutas, tractarent, satis — opinor — perspicuum est [a]). Nam ita res ipsa titulum aliquando apud Romanos invexerat, indeque ad Francos, Bojos, Saxones, Anglos, alias denique gentes cultissimas pedetentim traduxit [b]). Igitur prouti nomenclatio, ita et munus olim Palatini in Hungaria muniis Palatinorum apud illos, quorum memini, Populos sub initium plane respondebat [c]), et exemplo a veteribus Germanis, Francisve ad nos commigrasse, verosimillimum fit.

§. 206.

Sancto Stephano debetur.

Perantiquam apud nos principis hujus Magistratus, Hungaris proprio a seculis vocabulo Nádor Ispány nuncupati, originem Decretum S. Ladislai [d]) extra omnem ponit dubietatem, utrum vero cum ipso Regno coeperit, tametsi nondum satis expeditum nonnullis videatur, concors nihilominus est plerorumque domesticorum sententia [*]), mireque hanc firmat Chronicon, cui summa accedit a vetustate auctoritas [**]). Dein Fundationum Litterae binae, quae nobis usitatam, florentemque eam dignitatem tempore Andreae I. repraesentant [***]). Qui cum nondum evolutis ab obitu S. Stephani octo annis, Regni gubernacula capessiverit, a duobus autem intermediis Regibus — Petro quippe, et Abba — vix idgenus quidpiam mutua inter bella, seditionesque fere continuas potuerit exspectari, Palatini Institutionem in Hungaria tanto fidentius Primo Regi nostro licebit asserere, quanto luculentius ille semet antiquorum,

---

a) Marquard Freheri Orig. Palatin. Ebberhardi Ottonis dissert. de Comit. Palat. Mocsov. in Jure Publ. Imp. Rom. German. L. 4. C. 6. §. 31.

b) Conf. Glossar. med. et inf. latinit. ad vocab. Comit. Palat. — Item Mich. Ig. Schmidt. Gesch. der Deutsch.

c) Car. And. Bél de Archi-off. Reg. Hung. §. 5.

d) D. L. III. C. 3.

et sui temporis Augustorum imitatorem factis suis demonstrabat, ipsusque profitebatur *).

*) Ita, ut unum e multis proferam, citra haesitationem Timon [b]) „Magistratus Comitis Palatii — inquit — cum „Regno natus est." Jogellinus Abbas Euserthalensis, Leopoldi I. Caesaris Historiographus in suo Palatinorum Cathalogo [c]) primum eorundem ad Annum 1001. Cebam nominat, fide scilicet, ac ductu Litterarum, Monachis divi Benedicti in monte Pannoniae concessarum [d]). Verum per conclusionem, ibidem verbis istis expressam: „Hae sunt nominatae Villae in dedicatione Ecclesiae ab Archi-Episcopo Sebastiano, et a Comite Ceba" ne a longo evictum puto, an Ceba eam dignitatem gesserit, eumque titulum jam tenuerit? [e]).

**) Excerpsit e Codice manuscripto antiquissimi, utpote Anno 748. erecti, Monasterii Lunaelacensis (Germanis Monzee communiter Mansee) Acta S. Gerardi Episcopi Csanadiensis, atque sub nomine Legendae majoris vulgavit eruditissimus quondam Transilvanensium Antistes Comes Batthyánius. Codicis hujus scriptor ita suppar, ut Juvenis Sanctum nosse potuerit, sequentia habet: „Alba (Aba) Comes Palatii, „dejecto Petro, regalem Coronam, et Aulam Re„giam sibi usurpavit" [f]). Quocum Legendarii Vion [g]) Surius [h]), dein Pelbartus Temesvarinus, celebris aetate Mathiae I. Regis Theologus [i]), ad amussim conveniunt.

***) Primae illarum a Gánoczyo editae [k]), continent fundationem, donationemque Abbatiae Tihanyiensis, a laudato Andrea A° 1055. perfectam, ubi inter praesentes testes numero undeviginti subscriptos signum Zache cum additamento Comes Palatii aperte visitur. Ad alteram Donationem, quippe biennio posteriorem, ab ipso Radone Palatino Sancto Petro Quinque Ecclesiensi factam, ac subinde publicis in Comitiis Albae Regiae solenniter confirmatam, superius provocavi (6).

---

a) D. L. II. in praefat.
b) Imag. novae Hung. C. 1. §. 73.
c) Quem vid. in collect. Schwandtner. a Belio edit. T. 2.
d) Orig. exstat in monte Pannon. cuj. cop. praet. alios edidit. Chrisost. Novák in Vindic. Diplom. Steph.
e) Conf. Kat. Hist. crit. Reg. Hung. T. I. p. 68. et seq.
f) Scripta, et Act. S. Gerardi cum serie Episc. Chanad. a Batthánio edit. p. 343.
g) C. 17.
h) C. 6.
i) In Pomer. Serm. de Sanct. Patr. est serm. 66. sub. Lit. E.
k) In Dissert. de S. Ladis. p. 9.

§. 207.

Quidquid Goldastus contramoveat.

Memini Goldastum Germaniae Scriptorem in Recessu Imperii de Palatinatus Officiis agentem, sequentia admodum fidenter de Hungaris notasse: „Quibus demum Henri„cus — cognomento niger — subacto Hungariae Regno, et „restituto Petro Rege, fidelitate ab eo recepta, petentibus „Ordinibus. Palatinum Hungariae adjecit.“ A. 1042 [a]). Sed fides Goldasti Scriptoris seculi 17., qui res pervetustas enarrando, rarissime fontes indicat, unde sua asserta hauserit, ac propterea etiam in rebus sibi domesticis gravissimam Seckenbergii censuram promeruit [b]), vel ex eo capite vacillat, quod in hac ipsa narratione utrumque Historiae oculum clausum tenuerit. Henricus profecto non ultra Albam Regiam pervenit. Hungariam proinde subegisse dici vix poterat, et in anno ipso commemoratae expeditionis error subrepsit. utpote quem domestici [c]), exterique Scriptores caeteri. ac inter hos nominatim coaevus Hermannus Contractus [d]), nec non Aloldus a Peklarn [e]) ad annum 1044. concorditer defigunt.

§. 208.

Qui prima quoque Periodo.

Explicato hunc in modum dignitatis, de qua loquimur, exortu, ad ulteriora ejus adjuncta est progrediendum: nec enim idem omni tempore mos viguit Palatinos constituendi, nec eaedem illis praerogativae, nec munia fuere conjuncta. Sane quos modo Regis, et Ordinum consensione eminentem eum Magistratum consequi, et vita perdurante ex legum Praescripto [f]) retinuisse novimus, eorundem nominationem priscis temporibus a solius Principis Regnantis arbitrio pependisse, plurimi haud absque fundamento censuere [g]). Ratio igitur Palatinos creandi praeviam in his omnibus, ac peculiarem meretur mentionem.

---

a) Koller Hist. Episc. Quinque Eccl. T. 3. p. 403.
b) In Script. rer. Alemann. §. 40.
c) Kéza C. 3. p. 88. Thurocz. P. 2. C. 37.
d) In Collect. Pistorii Scrip. rer. Germ. de sext. mund. aetat. ad ann. cit.
e) Op. cit. ad eund. ann.
f) 1526. 23.
g) Palma not. Rer. Hung. T. 1. In Introd. alibique passim.

§. 209.

E Consilio Regnicolarum creati fuisse videntur.

Hinc ut ordiamur, Decretum Andreae III. esto codici domestico, cujus repetitim mentionem injicio, non insertum [a]), adpello; indicat istud, in specie articulus IX. *) ad creandum Regni Palatinum Nobiles sub hoc Rege ex vetusta consvetudine in consultationem fuisse vocatos. Unde insuper satis perspicue colligitur, originem hujus moris, quoniam ab Andrea III. — quamvis Arpadianorum Regum postremo — jam antiquus adpellatur, non tunc primum enatam, verum altius esse ponendam.

*) Articulus provocatus haec enunciat: „Item Palatinum, Magi„strum Tavernicorum, Vice Cancellarium, Judicem Curiae ex „consilio Nobilium Regni nostri, ex antiqua con„svetudine Regni nostri faciemus."

§. 210.

Conjecturae differentes ad se invicem conciliantur.

Nullus controverto, quaedam huic opinioni minus favere; verba imprimis desumta ex Andreae II. Decreto, novem ab aurea Bulla annis serius condito, cujus repetitim mentionem fecimus [b]) *). — Quidsi tamen illa aetate inverso, quam qui serius obtinet, ordine, ac potius norma, in Transilvania quoad praecipuas dignitates adoptata, Regnicolae candidatos proponere erant soliti, atque ex iis Rex, quem voluit, constituebat? Quo posito, diplomaticum hoc Documentum apprime conciliatur cum iis, quae de prisca illa consvetudine Andreae III., Alberti, Uladislai II., ac Ludovici II. Regum Decretis continentur [c]), facilemque interpretationem habebit professio Palatini Emerici **), pluriumque, qui honorem Palatinatus sibi per Regiam Majestatem collatum edixerunt; si tamen illa explicatu adhuc indigere videretur, quum Palatini, quamvis a Statibus et Ordinibus electi, dum per Regem praevie candidati, subsecuta dein electione confirmantur, rectissime praedicant, se hanc suam dignitatem Regiae Majestati ferre acceptam. Haec tamen non ultra conjecturas assurgunt.

---

a) De Anno 1291. quod edid. Kovachich Syllog. Decret. T. I. p. 16. et seq.
b) De A. 1231. cit. art. 3.
c) Andreae III. Dec. 1291. cit. art. 9. Alberti Reg. Dec. de A. 1439. 2. — 1492. 33.

*) Posteriori isto Decreto cavet Andreas II. articulo 3. „si Pa-„latinus interim male administraverit negotia Regis, et Regni, „supplicabunt nobis, ut utiliorem loco ejus consti-„tuamus, quem volumus, et Nos precibus eorum annue-„mus.“ E quibus verbis ambulatorium fuisse ante Andream II. munus istud, Prayus quoque ariolatur [a]).

**) In haec verba: „Nos Emericus Regni Hungariae Palatinus „memoriae commendamus, quod ipso Domino Ladislao Duce, „et Palatino per Dominum nostrum Regem in Dominium Ruz-„ziae sublimato, ipsoque honore Palatinatus per Re-„giam Majestatem nobis collato etc. [b]).

§. 211.

Quare Lex eatenus sub Alberto condita.

Exemplum omnium primum constituti per Regem ex consilio Statuum Palatini, Ludovico I. regnante in Nicolao de Siklós praebent hujus propriae Litterae — Tribunalia expeditorias vocant — sequentibus [c]): „mihi, quem „regia benignitas de Praelatorum, et Baronum, et „Regni sui Nobilium unanimi consilio divina „nobis favente clementia, ipsius Palatinatus honorem decreverat.“ Nec futurum jam quemquam puto, qui sibi sumat cum Grossingero [d]): Majores nostros malae in Regem fidei arguere, dum perantiquam adeo consvetudinem lege publica [e]) ab Alberto corroborari procuraverunt. Quod nunc ex ejusdem Decreto subjicio *), hoc idem ad litteram pene [f]) Uladislaus II., ejusque filius [g]) suis sanctionibus inseruerant. Unde licebit porro observare, si non Andreae III., Alberti certe, et Uladislai II. decreta, tempore Inaugurationum edita, speciem assecurationis diplomaticae indubiam referre, evidenti sane documento, quanti suum Hungari in constituendo Pro-Rege interventum semper aestimaverint, quando istum tempore Coronationum suis ab Regibus speciatim sibi caveri postulaverunt.

*) Articulus 2. Anni 1439. sic habet: „Insuper quod Regia Ma-„jestas Palatinum Regni antiqua consvetudine Regni ipsius

a) Hist. Reg. Hung. in Not. praev. p. 26.
b) Ex Authog. per cl. Pray commun.
c) Ex Authog. de A. 1343.
d) In Jure publ. Hung. C. 2. §. 5.
e) 1439. 2.
f) 1492. 33.
g) 1526. 2.

„requirente (eo quod idem Palatinus ex parte Regnicolarum „Regiae Serenitati ex parte ipsius Regiae Majestatis Regni-„colis Judicium, et justitiam facere potest, et tenetur) ex con-„silio Praelatorum, et Baronum, ac Regni Nobilium pari vo-„luntate eligat.“

§. 212.

De subreptionis vitio.

Verum Capitula — dicet aliquis — ad quae servanda, jurejurando Andreas II. ejusque filii, ac Regni Proceres se coram Praenestino Sedis Apostolicae legato obstrinxerunt, eam continent sponsionem: „Promittimus per nos consti-„tuere, et dare singulis annis Palatinum, vel alium „de Jobbagionibus nostris — — quem faciemus jurare, „quod Mandatum nostrum secundum ista fideliter imple-„bit“ [a]). Dein Litterae adjudicatoriae in causa quadam Abbatiae Tihanyiensis productae [b]) citra ullam controversiam ostendunt, Ludovicum I. intra Annos 1385. et 1389. tres Palatinos gradu movisse, totidemque his alios substituisse. Nec raro in chartis veteribus Palatinorum quosdam jure postliminii ad hoc Officium reduces reperiri, alios addita vocula pridem Palatinos compellari, neque vero credibile esse, variis istis sub epochis Comitia quotannis coacta, novus ut in iis Palatinus Ordinum suffragatione eligi valuerit.

§. 213.

Perperam condemnatur.

Sed non illud propugnatum pergo, quasi antiquae illi consvetudini nuspiam fuisset derogatum; quin potius — pro usitato gentis more — recte hujus violationis in posterum praecavendae causa disertam sub Alberto legem perlatam, et cum iterum violaretur, totidem vicibus iteratam fuisse fundate conjicio. — Nec praetendo ego quavis omnino aetate proprie tantum in Regni Comitiis Nobilium istud consilium pro hoc Officio conferendo convenisse. Eccur autem vota sacri, ac profani Ordinis ad annua Festo Sancti Regis solennia [c]) confluentium exaudiri non potuissent? aut

---

a) Ex Act. Vatic. Reynald op. cit. ad Ann. 1233. conf. Pray Annal. Hung P. I. p. 231.

b) Ex Origin.

c) Andreae Bullae Aureae Art. 1.

quid obstat, quominus — in subitis praesertim casibus — dum Palatini Officium mutari, aut impleri oportebat, non idem aliquando in usum venerit, quod hodie in sufficiendis Coronae Conservatoribus locum sortiri infra recurret.

§. 214.

Quid Leges.

Comitiorum interim, ut fateamur, quod res est, praecise causa eligendi Palatini indictorum vestigium ante aetatem Mathiae Corvini [a]) nullum deprehenditur. Neque legem scimus, Ludovici II. constitutione anteriorem, quae statuat: Palatini Officium vita comite perdurare, vetetque illud aliter, nisi juridice (seu auctore Judice) et pro tali quidem crimine auferri, ut non saltem Officio, sed et capite privetur [b]). Nec denique tempus, intra quod princeps hic Magistratus suppleri debeat, sanctione publica determinatum, prius quam id altero Mathia regnante, ad annuam conversionem defigeretur [c]), cujus causa absque dubio inde repetenda venit, quod a morte Thomae de Nádasd dignitas Palatini annos sex supra quadraginta vacua fuerit relicta.

§. 215.

Circa electionem Palatini praescribunt?

Ab ejusdem Mathiae II. regiminis initiis [d]), candidatos quaternos numero lex requirit, binos videlicet Romano-Catholicos, binos item Evangelicae Confessionis [e]). Electio ipsa hoc potissimum ordine, rituque decurrit: Die et hora per Regem designata bini Regii Delegati (nostrates Commissarios dicunt) splendido apparatu adeunt Comitia, tum eisdem, Regiam declarando Intentionem, schedam simul clausam, cui Rex nomina candidatorum suamet manu inscripserat, in Regni Primatis manus consignant; mox eadem, qua venerant, pompa discedunt. Postea Scheda in omnium Ordinum conspectu reserata, perlectisque candi-

---

a) Art. de Of. Palat. Anni 1485. in praef.
b) 1526. 22. — conf. 1741. 9.
c) 1608. 3. a. c.
d) Acta Coron. Math. edit. in Germ. 1786. e M. SS. Synchronis p. 22. et seq. Conf. Act. diaet. A. 1791. et 1792.
e) 1608. 3. a. c.

datorum nominibus, unus ex his — unanimi plerumque conclamatione *) — delectus Regi sistitur confirmandus, eadem occassione coram Rege, ac Regnicolis, prout jam sub Uladislao II. cautum fuerat [a]), jurisjurandi Sacramento obstringitur, quae olim, quemadmodum e Sigismundi, et Mathiae Decretis [b]) elucescit, praecipue ad debitam justitiae administrationem pertinuit, nec a formula, per quam caeteri Judices Regni ordinarii jurare obstringebantur, differebat, postea nonnihil latius exporrecta ad fidelitatem Regi praestandam, leges item, populique immunitates observandas, atque manutenendas [c]). Hoc praestito, litteras quoque collationales accipiebat aliquando nominatim Sigismundi tempore Laurentius de Hedervár [d]), et sub Ferdinando I. Thomas Nádasdy [e]), abinde consvetudo haec desiise videtur.

*) Dum Alexandro Leopoldo, Josepho, Stephano Archi-Ducibus Serenissimis munus Palatinale deferretur, a vetere deligendi more decoris ergo, et reverentiae causa, regio sangvini debitae, nonnihil recessum fuisse, nemo mirabitur, nomina etenim Canditatorum haud fuere vulgata, provisum tamen totidem legibus tum perlatis, ut ne libera haec decessio seu Regis proponendi, seu Statuum deligendi juri unquam derogaret [f]).

§. 216.

Eminentiam hujus Dignitatis.

Gravissima Palatini Officia, cujus dignitas in Hungaria, et ipsos adeo Duces, qui de Regia Familia non erant, praecedebat [g]), primum Mathias Corvinus maxima sui parte descripsit, inque articulos digessit [h]), quaedam tardius accreverunt. Locumtenentis Regii praecipuum est, eidem sic colligatum, ut (quaeadmodum legis verba habent) si Regem extra Regnum agere contingat, Palatinus ex officio semper Locumtenens in Regno esse debeat [i]).

---

a) 1492. 33.
b) 1435. 1. — 1486. 73.
c) Vid. collect. Formul. Jurisjurandi ad calc. Corp. Juris Hung. T. II.
d) E M. SS Kornidesianis apud Katona Hist. crit. T. XII. p. 784. et seq.
e) E Coll. M. SS. Cardinalis de Batthyán Reg. Primat.
f) Vid. Diar. Comit. 1790.—1791. 1796. et 1848. ac ibid. cond. art.
g) Docent id concl. Comit. A. 1435. — 1495. Conf. Szegedy in Rubr. Jur. Hung. P. I. p. 106.
h) Vid. art. de Off. Palat. A. 1485. supra memorat.
i) Cit. Dec. art. 10.

§. 217.

Locumtenentia Regia.

Locumtenentiae Regiae vetus est initium; sunt qui illam ipsa bulla aurea [a]) non contineri modo, sed etiam longe antea primo Regni Magistratui assignatam censuerunt. Istud ut ut in medio relinquere malim, fuisse tamen munus hoc jam seculo decimo tertio in Hungaria non quidem nomine, sed re haud incognitum, vix est, quod dubitemus. Reges scilicet peregre profecturi, vel alioquin impediti pro suo ipsi arbitrio Regni administrationem Viris in republica conspicuis ad tempus concredebant, qui Vicarii quandoque *), postea Locumtenentes Regii compellati sunt. Ut quodpiam e vetustissimis exemplum adducam, Andreas II. iter Hierosolymitanum aggressus, curam Hungariae Joanni Archi-Episcopo Strigoniensi, Dalmatiae vero Pontio de Cruce Militiae Templi Magistro commendavit [b]). Serius Mathias I. vices suas, dum abesset, Urbano Dóczy Episcopo Agriensi Locumtenentis nomine obeundas commiserat [c]). Recentiori tandem tempore sub Principibus Austriacis, Palatini subsellio diutius vacante, seorsim Locumtenentes Regios ordine nominatos ex historia discimus, qui quidem plerumque, sola pene Regni Capitanei proëdria demta, caeteris Palatini praerogativis, omnique fere Jurisdictione, praecise tamen ex arbitrio conferentis Principis gaudebant. Eo adhuc accedente discrimine, quod ad rem judicialem prosequendam Propalatini adderentur, Locumtenentibus e Statu Ecclesiastico creatis, de quibus leges complures reperiuntur [d]).

*) Illustre assertorum exemplum Litterae Sigismundi Regis suppeditant A° 1416. in favorem Capituli Veszprimiensis editae, propterea etiam haud obviae, quod locum emanationis Londinum referant. His itaque Joannem Archi-Episcopum Strigoniensem Regni sui Hungariae Vicarium generalem claris verbis compellat [e]). Exemplum simile, ac pene priori coaevum Kerchelich adduxit [f]).

---

a) 1222. Art. 1.
b) Pray Hist. Reg. Hung. P. I. p. 205.
c) Palatini Reg. Hung. p. 99. et seq. item 102. et seq.
d) In Decr. Ferdinandi I. Maximil. et Rudolphi.
e) Katona Hist. crit. T. 12. ex Authog.
f) Hist. Eccl. Zagrab. pag. 158.

§. 218.

Suis cum Consectariis.

Praecellentis hujus attributi in consequentiam Palatinus I. dum Rex elegendus est, Comitia indicit, primumque in illis votum habet [a]), verum huic praerogativae tunc demum locus foret, si quando casus electionis novi Regis inaugurali Diplomate designatus, emergeret [b]). II. Rege impedito exterarum nationum Oratores audit [c]), istud tamen, quod olim ad Regnum praecise Hungariae respexit, modo amplius nullatenus subsistere posse, nemo in dubium revocabit. III. Tutor assignatur Regi pupillo [d]). (134) Praesidium Consilii Locumtenentialis Regii, Tabulaeque Septemviralis, quum ista erigerentur, illi pro stabili accessit [e]).

§. 219.

Tum Mediatoris.

Suo proxime pondere assequitur Locumtenentiam Regiam Mediatoris Regem inter, ac Regnum provincia, Palatinalium articulorum sexto perspicue memorata, et vetustis Legum vestigiis communita *). Adversus quam etsi multa multi ex iis congesserint, qui res nostras, actaque Majorum vellicare tantopere amant, si tamen Mediatio isthaec genuino sumatur spiritu, eo scilicet, quo eandem reapse reducere oportet, et sanior pars populi quavis omnino aetate interpretabatur, ut videlicet Regni Palatinus quaevis praegravia, vulgo gravamina tempestive antevertere, ac veluti in herba succidere contendat; ut fundatas Regnicolarum quaerimonias ad regium perferendo solium, juxta Regni desideria pro illo, quem jurata fides, munerisque gravitas jure deposcit, candore exponat, ac suis ipse precibus, rationumque momentis sustentet; ut sive ingruentibus extraordinariis, quandoque ob vicinum periculum moram non admittentibus, adjunctis, seu dum in Regni Comitiis quaepiam regias intentiones, aut vota Statuum mo-

---

a) 1485. 1.
b) 1723. 2. §. ult.
c) Ibidem art. 7.
d) Ibidem art. 2.
e) 1723. 24. et 97

rantur, ambigua tollere, atque provido temperamento ad se invicem conciliare adlaboret, verbo: ut eam ad firmissimum Regem inter, ac Populum fiduciae vinculum amplius adstringendum adhibeat, quo nonnisi fauste persistente, fausta stabit deinceps Hungaria; quid ista Mediatoris provincia fulgori, summaeque Regiae Majestatis potestati decerpere aliquando valuisset, quid Regni obesset felicitati? si ad rectam, atque genuinam metam ejusdem respiciam, prorsus non concipio; nam abusu, seu malitioso, seu ob defectum maturae solum experientiae, accedentibus praesertim malesanis Consiliis, instituta quaequae, aequissima secus, et utilissima ad ciendos noxios eventus persaepe detorqueri possunt, at istud non rei, verum abutentium, abusumque non refraenantium vitium est.

*) Ad hanc quippe Mediationem allusisse videtur Andreas II., statuendo art. 31. palmaris sui Decreti: „Ut hujus exemplar „septimum apud Palatinum, qui pro tempore fuerit, reserve- „tur. Ita quod ipsam scripturam semper prae oculis habens, „nec ipse deviet in aliquo praedictorum, nec Regem, vel No- „biles, seu alios consentiat deviare."

§. 220.

Ac reliqua politica.

Monueram alias, per leges penultimis sub Comitiis conditas, munia Magistratuum publicorum primigenia, vel serius addita palmarem tulisse mutationem, ne itaque praeoccupando, quae suis locis repetere oporteret, et ab ordine, scopoque mihi praestituto deflectendo, filum historicum abrumpam, vetera enarrabo. Et ista quidem, quae circa publicam administrationem Palatino Leges, et Consvetudo tribuerant, commode ad politicam, militarem, et judiciariam auctoritatem revocabo. Politicorum speciem repraesentant: I. Praesidium in Regni Conventibus, speciatim in Tabula Procerum, et ad Regium Locumtenentiale Consilium. II. Suprema Cassae, et Archivi Regni cura, ex quo petentibus Transumta expediebantur [a]). III. Jus dativos largiendi Tutores [b]). IV. Denique quod in arduis negotiis per Regem ex lege sit consulendus [c]).

[a]) 1622. 31.
[b]) 1659. 30. — 1715. 68. §. ult. 1765. 26.
[c]) 1741. 11. §. 3. 1790. 17.

§. 221.

Militaria.

Per militarem Jurisdictionem Eundem cura tuendae securitatis communis, pro modo legibus definito [a]), velut supremum, et generalem Capitaneum [b]), et ducem generalis Regni Insurrectionis jam ab olim respexit [c]). Huc tandem directio princeps Academiae Militaris, a Ludovica Augusta nomen sortitae, quae nihilominus in votis subsistit [d]).

§. 222.

Et judiciaria Auctoritas abunde ostendunt.

Rem judiciariam quod attinet, ut ut protensior priscis temporibus fuerit Palatini Auctoritas *), manserat tamen Ille deinceps: I. Non modo unus e Judicibus Regni ordinariis [e]), quo titulo Mandata judiciaria sub suo Sigillo dimittit, verum inter eos ipsos Supremus [f]). II. Praeses in Supremo Justitiae Tribunali. (§. 218). Nominat binos ad Tabulam Regiam Judices, quorum unus illius ibidem repraesentat Vices, indeque Vice-Palatinus audit, a veteribus Pro-Palatinis probe distingvendus; alter Protonotarius Palatinalis [g]). IV. Decidit controversiam de limitibus inter Regni Comitatus [h]). Causam item universam Jazygum, et Cumanorum ad Forum Superrevisorium Palatinale. Istorum interim municipiorum non judiciariae solum, sed reliquae etiam publicae administrationis partes, uti Banderia, et res politicae Ejusdem qua supremi sui Comitis, et Judicis creditae fuere gubernationi. Haec interim Supremi Capitanei, ac Judicis, nec non alia, quae infra memorabitur, Supremi, ac perpetui Comitis dignitas temporanee alteri ex publico Regni Decreto [i]) assignantur.

---

a) 1622. 23.
b) 1485. 4. — Conf. 1681. 1.
c) 1715. 21. — 1790. 3. — 1808. 2. et 3.
d) 1808. 7. §. 3.
e) 1486. 68. §. 1.
f) 1485. 9.
g) 1500. 8. — 1542. 28.
h) 1618. 71. — 1635. 19.
i) 1485. 11. — 1751. 2. et 25. 1790. 5. conf. 1848. 28.

*) In exemplo nominatur in Codice totius aliquando Dalmatiae Judex, indeque quaedam illi insulae fuerant proventuum titulo assignatae, quarum tamen nomina lex, hanc in rem perlata [a]), nequaquam indicavit.

§. 223.

Quorsum Judicium Palatinale quondam pertinuit.

Porrigebatur ad haec ab antiquissimis temporibus Judicium Palatinale [b]), alias generale vocatum *), quod, pene singulos quotannis Comitatus peragrando, sub dio, et super colliculis Palatini celebrabant, ante omnia ad lites dirimendas, quae Jura, uti dicimus, possessionaria respiciebant, tum, et vel maxime ad plectenda crimina, ob facinoris gravitatem, bonorum quandoque amissionem etiam involventia. Atque id totum Regibus ita volentibus, eorumque salva semper inviolabili sanctimonia **). Quid quod non unum diploma loquatur, rarius licet, sed exstitisse tamen ob extraordinaria adjuncta fine administrandae diversis in Regni Partibus Justitiae plures in Patria nostra eodem tempore Palatinos [c]).

*) Similis Judicii, per Regni Palatinum Dionysium Comitem de Oklits, jam anno 1273. in Comitatu Szaladiensi celebrati, specimen ex Apographo Kovachich vulgavit [d]).

**) Opportune provoco ad Omodaei Palatini [e]) donationem, qua certam possessionem, sibi per Regem attributam, Cognato suo Benedicto de Merse A° 95. supra millesimum ducentesimum donavit, harum in fronte sequens legitur Titulus: „Omodaeus Palatinus Judex citra Danubialis, „ad omnes causas decernendas per Dominum „Regem deputatus etc.“ Ejusdem tenoris est initium Litterarum Mois Palatini, A[um] 1273. praeseferentium: „Cum „Nos e praecepto Domini nostri Ladislai Regis ad condem„nandos Malefactores fuissemus ingressi, tandem in Comi„tatum.“ etc. etc.

---

a) 1485. 12.
b) Vid. Pet. de Réva Cent. 5. p. 52. et Jonii Commen[t]. hist. Jur. Sec. 2. p. 72. It. Pray Hist. Reg. Hung. P. I. in not. praev. p. 69.
c) Conf. Katona Hist. Crit. T. 7. p. 683. Pray Hier. Reg. Hung. T. 2. p. 343. in not. et alios.
d) In vest. Comit. p. 147.
e) Ap. Car. Vágner Diplom. Sáross. p. 307.

§. 224.

Regiae Majestati minime adversum.

A disquisitione de judiciaria Palatini activitate quando, et quacunque sui parte exercita minime abludit, obligationem lege Albertina, tum tardiore Uladislai II. [a]) definitam, Judicium, et Justitiam ex parte Regiae Majestatis Regnicolis, et vicissim faciendi, tantisper examinare. Invidiosum est caeteroquin Grossingeri [b]) commentum, nullo, vel remoto quodam exemplo comprobatum, hanc jurisdictionem in Patria quandocunque illam tulisse interpretationem, quasi Reges nostros Judicio primi Magistratus stare oportuisset. Commentum — inquam — quod nec Regis sanctimoniae, et auctoritati, quae neminem superiorem in Regno patitur, nec cum Regni constitutione quaqua demum ratione conciliari potest. Constat vero Palatinos alibi quoque, ac praeprimis apud Francos, unde homonymam dignitatem ad nos transiisse alias observaveram, (205) de causis, quae Regiam Dignitatem, vel publicam utilitatem spectabant, judicasse, missosque ad singulas fere majores Imperii Provincias pro designatis non minus, ac privatorum Litigiis supremo Jure vice Regia cognoscendis [c]). Idem mos Antenatis nostris, eadem olim fuerat consvetudo. Nam Regni Hungariae Palatinum, qui — uti Simon de Kéza ajebat [d]) — pro utilitate Nobilium praeficitur, Rege impedito sub annuis illis S. Stephani Regis solenniis, quorum memini, Regnicolarum causas audiendas habuisse, Bullae aureae art. I., alia item, collectionem domestici codicis haud ingressa, Documenta [e]) affatim perhibent.

§. 225.

Accessit perpetui Supremi Comitis Munus.

Ultra Praerogativas, tam multiplici auctoritati suapte

a) 1439. 2. — 1492. 33.

b) Jure Publ. Reg. Hung. C. 2. §. 75. in nota.

c) Du Fresne Dissert. aux. Reflex. sur l'Histoire de S. Louis. Paris. An. 1819. T. 3. p. 262. et seq. — Conf. Huicman de Ord. et Off. Palat. C. 21.

d) Edit. Horány. p. 143. in Append. §. 2. de Udvornicis.

e) Vid. Decr. ejusd. And. supra cit. de Anno 1231. et alterum ad §. 198. cit. de Anno 1233.

implexas, duae insuper eidem accesserant prorsus insignes. Honos quippe Supremi, perpetuique Comitis unitorum Pest, Pilis, et Solt Comitatuum [a]), et Jus Bona, sacram Regni Coronam respicientia, intra defixos per leges [b]) limites aliis conferendi, quae liberalitas proprio Forensibus termino Donatio Palatinalis audit. De priori nihil restat dicere, nisi quod Palatini usu sat vetusto ordinarie Officii Supremi Comitis agenda Vicario, vulgo Administratori ob molem reliquarum occupationum, accedente assensu Regis concrediderint. Sed posterioris originem, et qualem postea e legum provisione variationem subiverit, juvabit nonnihil illustrare.

§. 226.
Et Donationum faciendarum potestas.

Primordia Palatinalium Donationum a Gubernio Hunyadii, decretoque coaevo, cujus fragmentum Corpori Juris insertum visitur [c]), derivare haud ita pridem commune fuit. Exstant nihilominus sat frequentia Collationum, a Palatinis factarum, specimina, quae Hunyadii aetatem longe antecedunt, quin se ad Bona referant, Fiscum Regium immediate attinentia, vel illa ad certum numerum Sessionum restricta fuisse colligere liceat. Dumque Gubernatori et Bona praecise Fiscalia, et non ultra triginta duas Sessiones colonicales benemeritis conferendi potestatem lex praecitata disertim concedit [d]), altera, paulo serius condita [e]), Palatinis gratias, donationesque jurium, ad sacram Coronam devolutorum, largiri totidem verbis interdicit. Verböczius certe, ubi Canonem profert Privilegiorum validorum, robore item destitutorum [f]), eam praerogativam penitus silentio praeteriit.

§. 227.
Per Palatinale Judicium exorta.

Longe igitur verius ante me Pray [g]), et Kelemen [h])

---

a) 1659. 76.
b) 1609. 66. — 1659. 30. — 1715. 33.
c) Ad An. 1446. integ. vulg. Kovachich Vest. Comit. p. 253.
d) Cit. 1446. 10.
e) Cit. 1485. 10. §. 1.
f) P. II. tt. 14.
g) Op. cit. in not. praev. P. 2. p. XIX.
h) Instit. Jur. Priv. Lib. 2. Cap. IV. p. 659.

jam indicarunt, vetus juris hujus exercitium a Judicio Palatinali (223) esse repetendum, cum vix ullum supersit dubium, quoadusque istud substiterat, delinquentium bona, ob criminis atrocitatem amissa, probabilius quarta sui parte *) in dominium Judicis Palatini transiisse, perque Eundem aliis donata, quandoque etiam vendita fuisse. Produnt id complura ejus meriti Diplomata, a primis inde seculis sedulo conservata **). Rem autem omnem illustrat Privilegium Belae IV. A° 1263. concessum Ecclesiae Strigoniensi, ejusdemque e Tabulario desumtum [a]), exceptionem a norma faciens, ne scilicet Possessiones Nobilium (intellige Praedialium) Ecclesiae Strigoniensis capite damnatorum ad Regni Palatinum, vel Judicem Curiae devolvantur, sed in Ecclesiam Strigoniensem ***). Cum his tamen Donationibus minime sunt confundendae, quae e bonis propriis seu Ecclesiis, seu aliis quibusvis subinde fiebant, quod olim non Palatinos solum, sed quoscunque privatos egisse, obvia exempla confirmant.

*) Haec, si quid video, illa quotta Palatinalis fuerit, cujus diplomatica supersunt vestigia; fragmentum quippe veteris consvetudinis, dudumque pro merito rejectae. Quis enim innocentium securitati congruere existimabit, Judicibus tanta per condemnativas sententias commoda aperire? quando plane iis in causis intervenire rectissime prohibentur, e quarum decisione illos successio quantumcunque remota contingere potest.

**) Libet formulas huc subservientes ex authographis quibusdam subnectere. In exemplo [b]) „Nos Nicolaus Regni Hungariae Palatinus, et Judex Cumanorum, memoriae etc. — „— — quod in nostra congregatione generali Universitatis „Nobilium Comitatus Chongradiensis Feria secunda proxima „ante Festum Assumtionis Virginis gloriosae prope Civitatem Zegediensem in Anno Domini 1347° celebrata — — — „cum Possessio Süenház dicta, in dicto Comitatu Chongradiensi existens, tamquam hominis proscripti ad „manus nostras ordine juris devoluta exstitisset etc. Item [c]) „Nos Nicolaus Regni Hungariae Palatinus „et Judex Cumanorum memoriae commendamus, quod cum „Nos ob Regiae Serenitatis praeceptum generalem Congrega-

a) Apud Pray Spec. Hierarch. Hung. T. I. p 128. et seq.
b) Ex Authog. hactenus ined.
c) Itidem ex Authog. hact. ined.

„tionem Universis Nobilibus Comitatus — — — celebrasse„mus, qui quidem universi Nobiles, juratique Assessores „ejusdem Comitatus in Nostram exsurgentes praesentiam, „filios Pous nomine proscriptionis notae de „medio ipsorum nobis tradiderant, ex eoque „annotata possessio ipsorum ratione praemissae „proscriptionis notae Nostris manibus exstite„rat devoluta. Tandem Nos ad instantissimis petitionibus „(sic) Magistrorum Jacobi, et Pauli Filiorum Magistri — „— — primorum nostrorum ratione proximitatis dictam „Possessionem — — — cum omnibus suis utilitatibus, et „utilitatum integritatibus eis, et eorum haeredibus, haeredum„que ipsorum successoribus eo jure, quo nobis pertinere „dignoscitur, perpetuo duximus conferendam etc. Datum „Feria 2ª proxima post Festum Divisionis Apostolorum „Aº 1355º." His adhuc anteriores, Aⁱ scilicet 1273. Dionysii Comitis de Oklich [a]), aliae item quinquaginta annis tardiores Moys Palatini [b]) occurrunt, epochae, qua Judicium Palatinale exstinctum est, proximam me legisse recordor Donationem mixtam Palatini Michaelis Ország Georgio Peuze de Várkeö, sed erga Consensum, a Rege impetrandum Aº 1469. datam. ***) Discimus inde non tantum ad Palatinum, sed ad Judicem quoque Curiae Regiae, si nempe Judicium generale celebrabat, bona vita mulctatorum fuisse devoluta.

§. 228.

At Donationes Palatinales hodiernas.

Alia subingressa est Donationum Palatinalium facies. Conferri per has prohibentur Bona ad Fiscum de facto jam devoluta [c]), vel ultra mensuram triginta duarum Sessionum colonicalium [d]), nec hoc ex respectu majus corpus dividi, partitimque donari, nec una eademque persona pluries hac ratione beari admissum. Aliquando ejusmodi Donationes Regi insinuari, idque intra annum sub poena nullitatis praestari debebat [e]). Sed ab ista Conditione subinde recessum fuit.

§. 229.

Jure Locumtenentiae Regiae fieri.

De his omnibus enucleatius adhuc disserere Jus priva-

a) Ap. Kovachich Vest. Com. p. 147.—Fejér Cod. Dipl. Hung. T. 5. Vol. 2. p. 136.

b) Pray Hist. Reg. Hung. in not. praev. p. LXX. Fejér Op. cit. ad ann. 1270.

c) 1723. 4.

d) 1609. 66. — 1715. 33.

e) Cit. 1715. 33.

vatum respicit; nobis notasse suffecerit, Palatinos hanc potestatem proprie vi Locumtenentiae Regiae exercuisse, quod ipsum eminens illud Coronae Jus, quo Bona per defectum, vel notam ad Fiscum redeunt, abindeque exlusive per Regiam Majestatem conferuntur, per se ad evidentiam usque reddit indubium, etsi historia temporum, fidesque diplomatum istud non corroboraret.

§. 230.

Indubium est.

Similem namque donandi facultatem primus sub Ferdinando I. Alexius Turzó, Judex Curiae Locumtenentis Regii munere ornatus, exercuit, atque post hunc bini Antistites Paulus de Várda Strigoniensis [a]), et Emericus Ujlaky Jaurinensis, eandemque, editis in rem Litteris, cum munere Locumtenentiae consecuti sunt. Ubi vero A° 1554. in Palatinum Thomam de Nádasd ex lege, sub Mathia Corvino perlata, Dignitas Locumtenentis transiit, hoc ipsum in Diplomate Ferdinandi I. [b]), Nádasdium eo in Magistratu solenniter confirmantis, clare expressum lego *), et quoties ille similem largiebatur Donationem, toties formulam sequentem constans adhibuit „authoritate Lo-„cumtenentiae Nostrae (non Palatinali), qua in „absentia suae Majestatis ex gratiosa Ejusdem annuentia utimur."

*) „Quoniam vero existente Palatino — verba sunt ipsius „Diplomatis — nemo alius, praeter ipsum, Officium generalis „Capitaneatus, aut in absentia Nostra Locumtenentiae „Nostrae Regiae habere, et exercere consvevit etc. etc." Pauloque inferius: „*Signanter vero, quod attinet ad* „*Officium Locumtenentiae* idem Thomas Nádasdy — „— — habeat in absentia nostra Jus, et Authori-„tatem conferendi personis dignis bona, *et jura* „*possessionaria usque triginta duos Colonos Job-*„*bagiones sessionatos* se extendentia etc. etc."

§. 231.

Judicatus Curiae Regiae Initium.

Proximum a Palatino gradum tenet Judex Curiae

---

a) Vide exempl. litter. collatae per Ferd. I. Locumtenent. in Corp. Juris.

b) E Copia simpl. in Stylo Cancell. Hung. A. 1555. Nic. Olahó oblato f. 56. reperib. in Bib. Jos. quond. Card. et Reg. Prim. C. de Batthyán.

Regiae, antea — et — si Litteris Belae II. fides est — jam sub S. Stephano Comes Curialis dictus [a]), probabilius ideo, quod ex ordinaria functione sua ad Curiam regiam continuo adesse, adeoque aulam Regis sequi, comitarique debuerit; qua e consideratione a primis omnino seculis ad nostram fere memoriam in hoc subsellio positi, gentilitio nomini agnomen Comitis, sicuti decreta Regum, atque Diplomata continenter remonstrant, serie haud interrupta praeposuisse videntur. Ob peramplam vero potestatem, qua in Curia Regia, indeque per universum Regnum constanter, in rebus praecipue ad Judicia pertinentibus, Magistratus iste pollebat, (hungarice Ország Birája) quasi Judex Regni per excellentiam vocatus fuit. Jam enim Andreas II. illi [b]) cunctas in Curia Regia emergentes: Sigismundus [c]) defectus seminis, Jurisque Regii causas judicandas porro, et ultro commiserunt. Patet proinde dignitatem istam, quamvis desuper variae sint conjecturae [d]), quarum quae sit vero propior, non vacat disquirere, ipsis Regni originibus sin', quod non absque verisimilitudine quadam nonnulli volunt, aetate parem, satis certe esse vicinam [e]).

§. 232.

Et Auctoritas.

Debitam temporum, rerumque rationem qui norunt instituere, eorum nemo inficiabitur, superiorum seculorum decretis Jura quaedam, et Officia illi adserta evanescere oportuisse, quaedam usu nunquam animata, ne vel obtineant aliquando, studio communis felicitatis fuisse optandum *). Alia denique, conspicua sane, per novissimas Sanctiones sepeliri. Non enim deinceps in Comitiis, et Regio Locumtenentiali Consilio, quem antea post Palatinum locum tenebat [f]), ex debito eidem Jure occupat. Manserat

---

a) Vid. Pray Hist. Reg. Hung. P. 1. p. 4.
b) Anni 1222. 9.
c) Anni 1435. 17.
d) Auct. Opellae Assert. lib. Hung. in not. ad Art. 9. Dec. Andr. II. Car. And. Bél in Comment. de Archi-Off. Reg. Hung. §. 12. p. 23. — Joan. Pelcz in Hung. sub Geysa §. 15. in not. c. Gebhard, Geschichte von Ungarn T. 2. p. 3. et complur. reliqui.
e) Math. Bél in appar. ad Hist. Hung. Dec. 1. monum. 5. p. 191.
f) 1687. 10. §. 1. — 1723. 24. §. 4. et 97.

nihilominus nostris adhuc diebus Cojudex Tabulae Septemviralis, ejusdemque, impedito primo Regni Magistratu, Praeses [a]), insuper Judex Regni Ordinarius [b]), quo e respectu Juramentum Regi in manus deponere jubetur [c]) pro tabula Regia Vice-Judicem Curiae, et Protonotarium sui Officii constituit [d]); vidimus denique eundem Mandata Judiciaria, sigillo suo munita, expedire, atque locum authenticum repraesentare.

*) Quae de revidendis appellationibus, ex Transilvania ad Curiam deductis, in Verbőczii Tripartito referuntur [e]), et quae Uladislaus circa Castrorum finitimorum lustrationem [f]) constituit, quis nunc quoque locum habere dicet? Nec sine metu gravissimi discriminis fieret aliquando, ut si Rex intra anni revolutionem pro electione Palatini nollet Comitia indicere, haec per Judicem Curiae, aut quemcunque alium convocentur [g]).

§. 233.

Bani Croatiae.

Tertio inter Barones Regni Hungariae loco cénsetur, eundemque in Comitiis ordinem e legum praescripto servat [h]), Banus Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae *) brevius nonnunquam Banus Illyrici, vel totius Sclavoniae compellatus. Munus ejus perantiquum **), atque olim florentissimum, tot inter rerum, ac temporum vicissitudines quandoque ita concidit, ut vix nomen tueretur. Actum hinc saepius de illo restaurando, impetratumque tandem, ut diu, ac multum desiderata Banalis activitatis restitutio [i]) iterum confirmaretur [k]). Non fuit tamen eo deventum, ut pari, qua ante Ferdinandum I., potestate Provinciis sibi creditis praeesset; in quibus caeterum nunc etiam primum gerit Magistratum, ad auctoritatem Palatini in Hungaria multum accedentem.

---

a) 1723—24. §. 4.
b) 1486. 68. §. 1.
c) 1486. 73.
d) 1715. 29.
e) Part. III. tt. 3.
f) 1498. 43.
g) 1608. 3. §. 2. ant. cor.
h) 1687. 10. §. 1.
i) 1608. 11. §. 3. a. c. 1609. 27. et 28.
k) 1687. 22. — 1790. 24.

*) Qui Baronatus interdum divisus comparet, ut videlicet Dalmatiae, et Croatiae alter; alter iterum Sclavoniae praefectus foret. De quo complures Auctores videri possunt [a]). Exstabant etiam — attestante Verbőczio [b]) — Banus Machoviensis, et Severinensis, quorum omnium idem erat, quod alibi Marchionum Officium, limites videlicet Monarchiae, arcesque finitimas defendere, atque securitati externae advigilare [c]).

**) Non ingredior Georgii Rátkay [d]), vel Antonii Helmarii [e]) opinionem, cujus Belius junior meminit [f]), Banorum originem ad Seculum post Christum natum sextum, Christianaeque Religionis initia rejicientium, quae quantam habeat veri speciem, expendere Historicorum est. Sed obiter indico: Dignitatem Banorum viguisse in Croatia jam tunc, cum proprio adhuc Regi parebant, uti Diploma Crescimiri Croatarum, et Dalmatinorum Regis de A° 1063., a Lucio productum, ostendit [g]). Sub Regibus vero Hungaris, qui simul Croatiae imperabant, in Litteris Geysae II. de A° 1150., aliisque ejusdem Regis posterioribus Belus Banus occurrit, quo anteriorem hactenus non inveni [h]).

§. 234.

Activitas hodierna.

Ita legibus constitutum reperio, ut ad arcana Regis consilia, Regnorum illorum negotiis, securitateque id exposcentibus, adhibeatur [i]), indicit his generales — dum necessitas postulat — Rege tamen annuente — Conventus [k]), in quibus, uti in Tabula Banali Praesidium, porro denominatio Vice-Bani eidem delata conspiciuntur [l]). Est porro nondum revocata hac authoritate in iis partibus Judex Regni ordinarius [m]), quo nomine Mandata ad inferiores Judices dimittit [n]). Quibus omnibus docemur

a) Timon Imag. nov. Hung. C. 17. p. 195. Car. And. Bél. de Arch. Off. Reg. Hung. p. 30. Palma Op. cit. p. 59.
b) Part. I. tt. 94.
c) Schimek, Gesch. des Königr. Bosnien. p. 11.
d) In mem. Reg. et Banor. Reg. Dalmat. Croat. et Sclav.
e) In Serie chron. Banor. Dalm. Croat. et Sclav.
f) Car. And. Bél. op. cit. §. 15. p. 28.
g) Oper. de Reg. Dalm. et Sclav. L. 2. C. 8.
h) Ap. Peterfy in Conc. T. 1. p. 128. et Pray in Synt. Hist. de Sigill. p. 103.
i) 1741. 11. — 1791. 65.
k) 1791. 58.
l) 1723. 89.
m) Ex mente articul. 1486. 68. — 1492. 42. et clara dispositione 1659. 45.
n) Art. nunc cit. §. 4.

negotiorum publicorum quorundam, juridicorumque directionem ad eum potissimum pertinere. Inde facile repetes, cur leges statuant, ut Juramentum Regi coram deponere [a]), et ordinarie in Regnis illis residere sit obstrictus [b]), quod si vero causa Reipublicae peregre in longius tempus avocetur, Locumtenentem Officii consequatur, sui loco agenda, demtis iis, quae militaria sunt, prosecuturum.

§. 235.

In re cumprimis militari.

In re autem militari ex veteri jam instituto imprimis conspicua [c]) Bani auctoritas, praecipue ad sic dictum Districtum Banalem, Banalesque Legiones extenditur, quarum Colonellus Proprietarius est [d]), et militaria inferioris gradus officia ex Privilegio confert [e]). Horum demum omnium nomine eorundem Regnorum in Confiniis Colapianis, et Vunanis Supremus Regni Capitaneus audit.

§. 236.

De Tavernicorum Regalium Magistro.

Exstincta ab eo tempore, quo Transilvania res suas ab Hungaria separatas habere coeperat, Vajvodae dignitate, quartum locum inter Regni Barones Tavernicorum Regalium Magister obtinuit [f]). Per obscurum hujus compellationis ETVPOV a voce hungarica Tár, penum sive collectionem denotante, derivari credibile est. Nam inde domus quondam aeraria Budensis Tavernicalis, reique aerarialis Administri, puta tributorum, salium, rei monetariae, et quae sunt proventuum Regiorum reliqua, Tavernici (Tárnuk nativa lingva, vel Tárnok) dicti fuere, et qui tam his, quam illi praepositus fuerat aliquando [g]), serius dein Tavernicorum Regalium Magister (Tárnok Mester) audiit [h]). Ante Andreae quidem II.

---

a) 1486. 73.
b) 1741. 47. 1764. 34.
c) Desuper vid. numeros. leg. de Banali dign. in Cod. domest.
d) 1609. 27. et 28. Conf. Engel Staatskunde und Gesch. von Dalm. Croat. und Slav. p. 298. Dipl. Stat. hor. Regnor. A. 1750. et arg. denique Car. And. Bél. Op. cit. §. 15.—18.
e) Huc etiam faciunt cit. sup. art. 27. et 28. 1609.
f) 1687. 10.
g) 1741. 12.
h) Kaprinay Hist. Dipl. P. II. p. 188.

tempora nomenclatio Magistri Tavernicorum nuspiam per Tabulas occurrit, adminimum eam nuspiam me legisse reminiscor.

§. 237.

Ejusdemque agendis.

Habet igitur multam veri speciem [a]), Thesaurarium Regium olim cum Magistro Tavernicorum eundem plane fuisse, ad quem et supremum in urbes regias, velut peculium regium, judicium, et Thesauri regii, Domusque Monetariae cura pertineret, postmodum, tamquam forum super-revidens, superiorem justitiam in Civitates liberas, et regias sibi subordinatas (aliis namque Sedes, quam dicunt, Personalitia Tribunal supremum erat) exercendum obtinuit, ad quas mandata judiciaria, velut illarum Judex Ordinarius dimittebat, unde et Jusjurandum in Regis praesentia deponit [b]). Accessit ex usu illud adhuc singulare, quod in Regni Comitiis, impedito Regni Palatino, Judiceque Curiae non Banus, licet ordine anterior, verum Tavernicorum Regalium Magister hucdum praesidere consveverat; viderat praeterea aetas nostra Eundem, etsi non stricte e hujus sui officii ratione, e spiritu tamen legis [c]), Consilio Regio Locumtenentiali, et Tabulae Septemvirali admotum.

§. 238.

De reliquis Regni Baronibus.

Prisca reliquorum Regni Baronum munera quae fuerint, ex ipsa eorundem nomenclatione facile intelliguntur; ea ratione, uti actu persistunt, et antea quoque extra Comitia in Regni Administratione per officium partem nullam capiebant, munere autem suo, praeter nobilis Turmae Praetorianae Capitaneum, in solenni duntaxat Coronatione (106) defunguntur. Agazonum interim, et Janitorum Regalium Magistris peculiaria quaedam in Regni Diaetis agenda adhuc supersunt. Priori scilicet de hospitio pro Aula Regia, et Statibus prospicere; providere victualia, tum annonae pretium intra justos limites continere, abu-

---

a) Conf. Cziráky Ord. Hist. Jur. Civ. Hung. §. 160. in not. p. 334. et 335.
b) 1486. 73.
c) Cit. mod. art. et 1492. 42.

sibusque hac in parte invigilare solet [a]); alter vero ordinem Ingressuum publicorum dirigere. Antea sub Comitiis in Tabula Procerum Fores ipse observabat; in Statuum vero Conclavi medio Vice-Janitorum Magistri, ad tempus interdum constituti, observare procurabat; imponebat silentium, dum necesse evasit, et suffragia singulorum apud Proceres colligebat [b]); mutatio in his interventa suis locis recurret. Universorum demum Regni Baronum nomina a vetustissimis temporibus post Praelatos Conclusioni Decretorum comitialium, Diplomatumque inseri consveverunt.

§. 239.

De Coronae Duum-Viris.

Custodes sacri Diadematis inter Regni Barones quidem non referuntur, nec in Regiis Diplomatibus, Decretisque comparent, proximi tamen ab his sunt in ordine. Relate ad eos Uladislao II. regnante cautum fuit, ut Regni Corona duobus e Statu seculari, jurejurando adstrictis, committeretur [c]), quod Mathias II. confirmavit [d]); lex praecipit, ut suffragiis ordinum ex iis, quos Rex nativos Hungaros, et seculares citra religionis discrimen, proponit [e]), in Comitiis deligantur, eademque occasione Jusjurandum praestent coram Rege. Alioquin modo — ut ajunt — provisorio ad futura usque Comitia a Principe nominati eo ipso loco, ubi Clenodia reconduntur, installari, Juramentoque solent adstringi. Sancitum olim erat, ne Camerae Praesides simul essent Coronae Conservatores, sed id Carolo III. regnante revocatum est [f]). Officium eorum ex indole, et formula Juramenti liquet, ex qua non obscure intelliges, alterum eorum penes eandem sacram Coronam constanter residere debere [g]).

§. 240.

Magnates in Regno Hungariae.

Magnates, sensu strictiori tales, alios jure nostro

---

a) 1647. 123. 1649. 62. 1655. 88.
b) Ex mente art. 25. 1495.
c) 1492. 3. 1500. 23.
d) 1608. 4. a. c. Conf. Petri de Réva de Sac. Reg. Hung. Coron. in script. rer. Hung. T. 2. p. 575.
e) Vid. Dipl. Inaug.
f) 1715. 38. §. 3.
g) 1715. 38. annex. form. Juram. continet.

munus publicum, quod nanciscuntur, alios Rex distinctim ob merita efficit, dein prosapia gignit. Illi proinde officio, hi genere Magnates compellantur. Ratione officii Magnates, scilicet Comites Supremi Comitatuum, quorum nonnulli tamquam perpetui, aut haereditarii dignitatem hanc suos ad posteros derivarunt; utrorumque interim, mutuata a vicinis Populis, eadem est in Patria nostra, quae alibi aliquando similium Comitum origo fuit.

§. 241.

Officio vel genere.

Adhuc apud Romanos mos erat ad Provincias regendas Comites provinciales deligendi [a]), inde ad Francos [b]), aliasque gentes digressus, sic postea invaluit, ut seculo decimo exeunte Regna per totam fere Europam in Comitatus seu Pagos (Gaue) divisa fuisse, Maibonius [c]), Clumerus [d]), plurimique fidem faciant. Qui his vicaria Principis potestate praeficiebantur, Comites dicti, non illic tantum munus Judicis exercuere, sed etiam populares suos in Castra, et proelia deducebant. Ast inclinante post Caroli magni tempora occidentis Imperio, dignitas horumce Comitum sensim ad haeredes Principum ipsorum consensu, seu potius impotentia transmitti, insuper dominia regalia eorundem liberalitate in feudum collata, Comitatuum nomine venire [e]), istorum denique impetratores, ac deinceps Domini pariter Comites appellari coeperunt*). Ita quod sub initium pure Officii nomen fuerat, ad Dynastas etiam translatum, atque generis praerogativis adnumeratum fuit.

*) „Comites — docet scite Pütterus [f]) — propriis ter„ritoriis praediti, partim originarie tales sunt, qui „Comitatum possident, cujus contraria non exstat memoria; „partim originetenus Dynastae, posthac Comitis titulo potiti. „Primo fuerunt nempe Dynastae origine quilibet „Nobilis, Nobilitatis scilicet superioris, nullo nec Ducis, „nec Comitis officio, feudove insigniti, sed allodia libera,

---

a) Vid. Salmus ad Spartian. p. 47. et seq. dein Marculph. L. 1. form. 8.
b) Capitul. Carol. mag. A. 807.
c) De Pagis Saxon.
d) German. antiq. L. 10. p. 91.
e) Vid. Capit. Carol. calvi. Tit. 43. et 10. — Hic consul. omnino meret. Ducange Glossar. med. et inf. latin. T. 1. voc. Comit. Nr. 4.
f) Elem. Jur. pub. Germ. L. 1. C. 2. §. 70. et seq.

„eaque tamen majora possidentes, quorum ratione in numero „Statuum semper fuerunt, atque ac Duces, et Comites; ex „quo autem ingenui adspirarunt ad Nobilitatem. Comitisque „Titulus manifestior prae illis praerogativa fuit, voluerunt „etiam plerique Dynastae sibi hunc titulum vindicare.“

§. 242.

Exemplo vicinarum Gentium.

Hoc vicinorum exemplo apud nos quoque Regio universa in Comitatus, quas chartae, veteresque scriptores paraecias, parochias, quandoque provincias [a]) nominant, subdivisa, (51) singulis eorum pro Moderatore Comes Parochianus cum specie quadam superioritatis territorialis obtigerat *), qui vero Territorium quodpiam, aut Castrum analoga cum jurisdictione a Regibus, et forte nonnulli a Ducibus plane, dono acceperant, Comitis persaepe titulum, haeredio adjectum, ad Posteros transmiserunt. Hoc sane axiomate decorati in antiquioribus chartis haud unus, alterve constanter comparent, claraque non minus, ac vetustissima liberorum, majorum, ac perpetuorum Comitum in Patria nostra remonstrant exordia.

*) Non vacat isthic eam, inter Archeologos nostros etiamnum indecisam, controversiam solvere, utrum Comites Castri, quorum utcunque vaga memoria superest, iidem, an diversi, quod multo magis verosimile evadit, a Comitibus Parochianis fuerint? affirmabat identitatem Kollár cum Prayo; contrarium Kovachich [b]) senserat, hic enim Comites Castri huic solum, latifundiis item eo spectantibus, praefectos esse tradit. Eosdem in populum praecise castrensem auctoritate civili, juxta, ac militari fuisse gavisos, vix est cur dubitemus; enimvero evictum puto, amplam eam terrarum plagam, quae intra limites modernorum Comitatuum diffunditur, ad castri unius territorium haud quaquam pertinuisse, neque numerosa adeo, his finibus contenta, Praelatorum, Optimatum, Nobilium nobilitaria possessoria partem territorii, ad Castrum regium spectantis, quod utique in privato Regis dominio erat, efficere potuisse [c]).

§. 243.

Quamvis restricta subinde cum potestate.

Verum imminuta ubi Normannorum incursibus Im-

---

a) In spec. Decr. S. Ladislai L. III. c. 16.
b) In Regestro Varad. repetitim.
c) Lege desup. Kovachich not. Comit. §. 39. 40. 42. et seq. Item Botka not. Dipl. vet. Const. Comit. a p. 10.—24.

peratorum in Germania potestate, a Praefecturis, quibus Patres praeerant, filii, ac haeredes aegre amoveri possent, indeque Comitum authoritas in dominatum illarum etiam Provinciarum, quibus antea, ut Magistratus praeerant, excresceret, hujus vicini discriminis metu excitata sat tempestive, et prima quodammodo evigilavit Hungaria, jamque famigerato Andreae II. Decreto alia inter, queis potentia, et arbitrium Comitum arctioribus repagulis intercluditur [a]), constitutum fuit, ut integri Comitatus, vel dignitates in praedia, seu possessiones perpetuo haud conferantur [b]). Sub Wladislao II. vero ultra adhuc praecautum, Comitatuum honores, quod tempore illo supremi Comitis officium designabat *), nemini in perpetuum largiri, ne Episcopis quidem, quantumvis Praecessores eam dignitatem habuissent, exceptis, nisi Privilegium desuper a sanctis, et primaevis Regibus valerent ostendere [c]).

*) Hujus asserti vestigium in solita illa Decretorum comitialium conclusione „caeterisque quam plurimis Regni nostri „Hungariae Comitatus tenentibus, et *honores*“ hodiedum superest. Ampliorem adhuc fidem dictis addunt divorum Regum, eam dignitatem hac nominis cum designatione conferentium, Diplomata, quorum unum, alterumve e plurimis in exemplum aduoto. Sigismundus „Vacante nunc „— ait — per mortem Inclyti Domini Dobissae Regis Bos-„nae Honore ejusdem (Symigiensis) Comitatus, ipsum „fideli Nostro Magnifico Viro Domino Stephano de Kanizsa, „Magistro Curiae Nostrae committendum duximus [d]).“ Pariter Wladislaus II. ad Nobiles Comitatus de Bihar caetera inter hac verborum formula utitur „Tamen quia intelleximus „Honorem Comitatus vestri perpetuo annexum, „et applicatum esse Ecclesiae Varadinensi etc. [e])“ Adparet vel ex istis, quae protulimus, in errore versari, qui honorem Comitatus Synonimum cum proventibus esse voluerunt, nam Proventus, quod Honori accesserat, inde derivato nomine Honorarium etiamnum audit.

---

a) 1222. 2. 5. 14. 29.
b) Ejusd. Dec. 16.
c) 1489. 57. 1504. 3.
d) Ex Authog. cujus apograph. exst. in Museo Nat.
e) Ap. Pray Hier. Eccl. Hung. P. II. p. 150.

§. 244.

In specie nativi Comites.

Erant igitur Magnales nativi apud nos antiquitus Liberi Comites cumprimis, qui alias Liberi, et Majores, quandoque Barones naturales *), vel quoad Banderio educendo pares essent. Banderiati dicebantur, loci cujusdam, vel castri, aut integrae Dynastiae, plerumque ad praerogativam liberi Comitatus evectae, Domini **), quales jam inde a Seculi 13. initio de Körmend, de Fraknó, de Oklich, de Zrinio, de Vodicha ***) memorantur, quive titulum Comitis haud raro cum additamento vulgo Gróf ad posteros propagarunt ****).

*) „Praeterea sunt plures Nobiles — sonat art. 32: 1459 [a]) Szegedini, Rege Mathia in Comitiis praesente, conditus — „qui quodammodo Statum Baroniae, seu alium hone- „stum Statum ultra caeteros Nobiles habent." Quos dein Regis ejus Diploma aliud [b]) nominatim recensendo, totidem verbis Barones naturales adpellat. Consentit his Ransanus, dum sui temporis historiam scribendo testatur, „multos nobilitate generis claros Barones vulga- „tissimo nomine dici, qui ex Majorum suorum „successione suis vel vicis, vel arcibus, et Ca- „stellis, vel Oppidis dominantur" [c]). Unde satis consequi videtur, non omnes Barones haereditarios una Majores Comites fuisse, quod etiam e legibus Mathiae I., et Uladislai II. utcunque est perspicere.

**) Exempla Regionis similis cum titulo Comitatus, a Castro denominati, in Croatia praesertim, et Dalmatia non defuerunt, quos complures Familiae nequaquam in officium, sed in perpetuitatem — quo termino Diplomata utuntur — obtinuerunt. Tales fuere Comites de Corbavia, Szluinenses, Dubiczenses, Modrussenses, Segnienses, Licanus, et qui apud Lucium [d]), aliosque numerosi adhuc reperiuntur.

***) Diploma, quo Andreas II. anno 1218. dignitatem liberi Comitis de Vodicha, eodem dominio simul in liberum Comitatum evecto, Comitibus Babonek, et Stephano, ipsorumque haeredibus contulit, Koller integrum transcripsit [e]).

---

a) Decr. ist. edid. Kovachich in Vest. Com. p. 33. et seq.
b) Conf. Schwartner Intr. Art. in Dipl. edit. 2. p. 267.
c) In Collect. Schwantneri scrip. rer. Hung. T. I. p. 329.
d) Op. cit. Conf. Dissert. Hist. crit. super quibusdam vetust. reb. Hung. p. 104.
e) In Hist. Episc. Quinque Eccl. T.

****) Cum additamento isthoc, quod a germanico Graff ad nos venisse, Simone de Kéza viam nobis monstrante [a]), non est, cur moneam, in originalibus Documentis sequentes deprehendi hactenus vetustissimos, utpote de Anno 1209., Joannem Gróf de Korbavia, et Georgium Gróf de Buzin (Bozin) Comitem Posoniensem.

§. 245.

Per omnes tres Regum Periodos.

Quamvis illi igitur providae antenatorum sollicitudini, cujus vestigia ad cladem usque Mohácsiensem in ipsis legibus deprehendere minime arduum erit, adscribendum sit, quod Supremi Comites pedetentim apud nos omne Jus territoriale amittendo, cum initio Periodi 3. pure ad Praesidis, Moderatoris, et dum Nobilitas gremialis arma capit, Antesignani Officium restricti conspiciantur. Majorum autem illorum, ac liberorum, sive perpetuorum Jurisdictio non ultra, quam caeterorum Dominorum terrestrium, sese exporrigat *), nihilominus et Honor Comitatuum, sive Supremi Comitis dignitas ob conspicua, et insignia merita Familiis nonnullis haereditarius obtigit, et Comites liberi, ac perpetui quovis tempore persistebant.

*) Praeter usum cerae rubrae, qui modo nemini interdicitur, exclusive eis, atque Baronibus aliquando concessum, Jus dicebant intra limites sui Comitatus in causis tam civilibus, quam criminalibus [b]). Ipsi autem Regis solius suberant Judicio [c]).

§. 246.

Quod adductis exemplis probatur.

Missis caeteris liberorum, et majorum Comitum Familiis, citius serius exstinctis, quae a domesticis, atque exteris insignis eruditionis viris sparsim commemorantur, aliquos tantummodo fide Diplomatum indubia recensere, una vero isthic etiam ad Barones naturales obiter reflectere visum fuit, ut post tempora Andreae II. quoque continuata, atque haud unquam interrupta Magnatum nativorum in Regno praesentia tanto luculentius pateat: Jam immediatus Andreae II. Successor Comitatum Breberiensem Stephano, et Jacou filiis *Comitis Stephani, Co-*

---

a) Append. C. 1. §. 2.
b) 1495. 19.
c) 1486. 21.

miti item Gregorio, et Danieli Comitis Bribiriae filiis, ac Nepotibus antea eisdem a Patre donatum, noviter largitus est [a]). Sub eodem Bela, et Carolo I. Comites de Nagy Márton (germanice Mertestorf) in Comitatu Soproniensi comparent, et hos sub Ludovico I. superstites, ex originalibus duplicis ordinis litteris, lingva theutonica concinnatis, intuemur *). Floruisse sub Sigismundo Comites Vegliae, Segniae, et Modrussiae iterum originale anni 1435. Diploma **), ejusdemque anni Comitiale Decretum demonstrant. A Ladislao Posthumo Bisztricense dominium nomine Comitatus Joanni Hunyad fuisse tributum, ipsae collationales pandunt [b]), post quarum impetrationem is, filiique se Comites Bisztriczenses, adjecto titulo Gróff scribere solebant. Eundem Comitatum serius Mathias I. avunculo suo Szilágyio contulit, Emericum vero de Zápolya una cum filiis, et haeredibus, ut Privilegium loquitur [c]), liberum, ac perpetuum Comitem, unaque fidelia Comitatus quoque Scepusiensis supremum, ac aeque perpetuum Comitem creavit. Minime denique silendum hic puto, exsistere Induciarum ejus temporis Tabulas, quae Barones Naturales aevo illo exstantes nominatim recensent ***). Inde satis una perspicuum redditur, numerum familiarum illustrium, praecedenti haud minorem, sub Uladislao II. legem ingressum [d]), aeque Baronibus naturalibus esse aggregandum, praesertim cum utrinque complures ejusdem nominis designentur.

*) Exemplar prioris de Anno 1342. conservatur in Diplomatario Széchényiano; alterius 63. ejusdem seculi anno editi in Archivo Camerae Regiae. Hujus posterioris tenores, quantum huc pertinent, sunt „Ich Graf Niklas, Graf Larenz „Sun von Mertestorf und meine Erben, veriehe öffent„lich etc. etc." et dein in Conclusione „Darumb gib ich vor„genanter Graf Niklas, Graf Larenz Sun den Prief „versiegelt mit meinen anhangenden Insiegel für mich, und für „all meine Erben, und hab auch peten meinen Vettern, Graf „Niklas, Graf Niklas Sun von Mertestorf, daz „Er der Sach zeig sey mit seinen Insiegel." etc. etc.

a) Dipl. exstat. in Cod. M. SS. Diplom. Bibliothecae Nat.
b) Edidit illas Prayus primus Annal. Part. III. p. 125.
c) Continet. in Collect. Steph. Kaprinay M. SS. T. 52. p. 139.
d) 1498. 22.

**) In haec verba „Tandem fidelis noster Vir Magnificus „Nicolaus Gróf dictus Vegle, Segnie, et Modrussie Comes exhibuit, et praesentavit nobis duas „litteras“ etc. etc. [a]).

***) Post Barones ex officio, et Principes haec lego „Item Barones Naturales in Hungaria, Dominus Dux Laurentius de „Ujlak, Domini Comites de Frangepanibus, D. Comes Scepusiensis, DD. Comites de S. Georgio, et de Bozin, DD. „Comites de Corbavia, DD. Comites de Zrinio, DD. de Losoncz, DD. de Perén, DD. de Rozgon, DD. de Báthor, DD. „de Gara, DD. de Hedervára, DD. de Meggyesallya, DD. „Ország de Guth, DD. de Ellerbach, DD. de Pamkirchen, D. „Joannes Ernust, DD. de Lindva, DD de Bakos“ Cujus Documenti partem Schwartner publici Juris fecit [b]).

§. 247.

In Hungaria comparent.

Nec longe absunt splendida exempla, quae perpetuos utriusque hujus generis Comites creandi Jure, et occasione Principes etiam e regnante Augusta Domo usos fuisse ostendant, prout neque Familiarum illustrium, talibus hodiedum titulis praeditarum. Novimus quippe Ferdinandi I. liberalitate Stephanum Majláth, hujusque affinem Thomam de Nádasd titulum Comitis perpetui, quem Familia Nádasdiana in praesentiarum usque retinuit, cum Terra Fogaras in Transilvania obtinuisse. Constat porro a Rudolpho Nicolaum Pálffyum, et Georgium Thurzó de Bethlenfalva, hunc [c]) Arcis Arva, illum Comitem Posoniensem; dein Adamum, et Sigismundum Forgács perpetuos Comites de Ghymes a Ferdinando II. [d]); ab hujus denique filio Ferdinando III. Nicolaum Eszterházy, et ejus in linea recta descendentes de Fraknó *) [e]), cunctos vero cum additamento Gróff esse nominatos, quod itidem originalia, desuper edita, Privilegia ad oculum perhibent.

*) Praeter hujus Prosapiae ramum illum, cui cum Arce designata perpetuum illud Ornamentum obtigit, Familiae designa-

---

[a]) Orig. exstat. in Archiv. Camerae Regiae.

[b]) Diplomat. Ed. 2. P. 3. C. 2. §. 183. in nota sub [a]) excerpt. e M. SS. Kaprinay T. X. B. No LX.

[c]) Orig. exstat. in Arch. Success. Familiae Thurzo.

[d]) Alexii Horányi Hist. crit. de vita Francisci Forgách.

[e]) Lechoczky Stemmatog. Nob. Hung. P. I. p. 22.

tarum reliquae, omisso Comitis nomine, se tantummodo perpetuos terrae Fogaras, de Ghymes ab aliquo tempore scribere experior, cujus ommissionis causam vix aliam esse puto, quam quod nominibus suis Comitis agnomen caeteroquin anteponant.

§. 248.

Non profani solum, sed et sacri ordinis.

Subnotare praemissis expediet, quondam e sacro quoque ordine Comites loci, sive arcis, ac Dominii fuisse creatos [a]), quorum alii dum hac cum praeeminentia in homonymo Comitatu perpetuitatem officii Supremi Comitis fuissent consecuti, alii usu diuturno eandem ad se derivassent, ideo lex postea sub Wladislao repetitim condita [b]), seriusque iterata [c]) obligationem Praelatis imposuit, sua desuper Privilegia palam faciendi. Quo etiam e respectu, si Regni Primatem, et Archi-Episcopum Agriensem demas, a divae Theresiae temporibus nemo unus Episcopali muneri munus Supremi Comitis amplius conjunxit.

§. 249.

Magnatum Classes reliquae.

Qui nostra aetate Magnatum gentilitiorum pars maxima Comitum, liberorumque Baronum nomine veniunt, honorem hunc, titulumque jam non ab arcis alicujus, vel Dynastiae exemtione, a Principe in seros posteros attributae, sed a solis duntaxat ejus Litteris solennibus repetunt. Incertum adhuc, quomodo, et quonam reapse tempore in Hungaria vicem sensim veterum illorum haereditariorum Baronum, sive Magnatum subire, atque augere coeperint, hocque difficilius certa illorum detegere initia, quia antiquitus Barones vel in parte simul liberi, majoresque Comites essent, vel, omisso additamento Baronis, titulo Dominorum, aut Magnifici compellatione, solum a caeteris Nobilibus distingvebantur, indeque Baronatum adipiscentes, simul nomine Magnificentiae condecorari in privilegio dicuntur [d]); quemadmodum istud non modo in formulis stili Cancellariae Regiae, ac alibi quoque reperio, verum eos-

a) Hanc in rem legi meretur Palma Op. cit. p. 67. et seq.
b) 1498. 57. 1504. 3.
c) 1609. 20.
d) Schwartner Introductio in rem Dipl. ed. 2. P. III. C. 2. p. 264.

dem hodie etiam Regia Majestas Magnifici: Comites autem, Spectabilis, ac Magnifici compellatione in publicis expeditionibus dignatur.

§. 250.

Ante Austriacos Reges pariter jam visibiles.

Et illos quidem liberos Barones, Comitesque ab austriacae stirpis Regibus frequentius successive nominari svevisse, in aprico est; nihilominus et Verbőczius jam Magnates, vel Barones solo nomine in Regno dari innuit [a]), et praeter tot naturalium Baronum illustres Familiae sub Mathia, atque Uladislao II. recensitae, quarum e numero Bánfyánam actu se liberos Barones de Losoncz scribere animadvertimus (246), et Privilegium Uladislai II., qui Georgium, et Joannem Drágfy in coetum similium Baronum cooptat *), vix, ac ne vix quidem indecisum relinquunt, initia haec altius omnino esse repetenda.

*) Rarum istud antiquitatis domesticae documentum in Archivo Illustris condam viri Aloysii L. B. Mednyánszky asservatur. Textus, rem omnem ad vivum resecantes, ita habent: „Animo igitur deliberato, nostraque ad haec certa accedente „voluntate, et scientia, Vos (Georgium scilicet et „Joannem Drágfy) Vestros haeredes, et posteri„tates universos de regiae nostrae potestatis plenitudine, „et gratia nostra speciali in Barones nominamus, eligi„mus, et creamus, coetuique Baronum adscribimus, et an„numeramus, et in evidentius signum hujus nostrae erga „Vos gratiae, et benevolentiae Vobis, dictisque Vestris hae„redibus, et posteritatibus universis haec arma, seu Nobili„tatis insignia" etc. Et paulo infra: „Adjicientes insuper, „et annuentes, ut Vos, et universa posteritas Vestra libe„rum cerae rubrae ad haec insignia exprimenda usum, et „facultatem habeatis. Una cum caeteris privilegiis, „honoribus, libertatibus,, immunitatibus, qui„buscunque *aliae paris ordinis personae in Regno „nostro Hungariae utuntur*, fruuntur, et gaudent quo„modo libet de jure, vel consvetudine. Imo creamus, adscri„bimus, damusque, concedimus, et annuimus harum nostra„rum, quibus secretum Sigillum Nostrum, quo ut Rex Hun„gariae utimur, est appressum, vigore, et testimonio littera„rum mediante. Datum Budae in Dominica Palmarum A°

---

a) P. I. tt. 93.

„domini 1507., Regnorum Nostrorum Hungariae 17., Bohe-„miae vero 37." — Latebat sine dubio exemplar istud clarissimum condam Schwartner [a]), quemadmodum nos etiam his antiquiora deficiunt, quando in Nicolao Kozka, et Francisco Nyári, queis Ferdinandus I. cum honorem contulerat, antiquissimum collati Baronatus exemplar esse pronunciavit.

§. 251.

Quae cuncta recentiorem de Magnatibus opinionem.

Haec omnia dum attentius ad historias temporum, atque ad irrefragabilia diplomatica testimonia exigo, quae per omnem Monarchiae aetatem progredienti ultro frequentissime obviant, mirari non sufficio, quomodo Viri, caeterum excellenti rerum domesticarum peritia praediti, pro evicto haberi voluerint, habeantque actu nonnulli, apud nos praeter Comites Castri, et Parochianos usque tempora Ludovici I., aut plane Sigismundi nullos exstitisse; Nomen Comitis praecise Officii, non axiomatis, aut dignitatis unquam fuisse. Majoresque, quos Gróf vocant, sua in stirpe primum Pálffyana deprehendisse exordia. — Verbo haereditariorum Magnatum multo recentius esse, et ignotum legibus institutum, ab institutis avitis prorsus alienum.

§. 252.

Erroneam esse comprobant.

Cernimus enimvero, si modo Anonymo Notario fidem damus, haereditariorum Procerum fundamenta ipsis primaevis pactis, atque Regni cunabulis irradicata (VIII). Docemur Simonis Kezae, Thuroczii, et continua tot variorum Historiographorum asseveratione, Comites exteros sub ipsis nascentibus Regni primordiis in patriam perpetuo commigrasse, indeque conspicimus jam primis Decretis, paginisque Duces, Principes, Comites memorari [b]). Comites praeterea, quos Gróf vocant, tum primis seculis, tum postea plures in hanc usque aetatem perstitisse. Verbo toto veteris, noviorisque Juris publici domestici spiritu deviare eos, qui Sententiam recentius enatam amplectendo, negatum

---

a) Op. paul. ant. cit. p. 263.

b) S. Steph. Dec. L. 1. C. 4. Colom. Dec. L. 1. praef.

pergunt, duplices omni tempore Magnates, officio videlicet, ac genere tales in Regno fuisse; et utrosque praeter Status sui quandam, dignitatisque praelationem, de quo quidem nemo antea dubitaverat, partes seu in rogandis legibus, sive in publicis consiliis nunquam non eximias habuisse.

§. 253.

Salva semper una, eademque Nobilitate.

Ast nec minus a vero deflecteret, qui majora, vel ampliora propterea jura statui Procerum, prae reliqua una semper, eademque Nobilitate, vellet asserere. Haec enim, quae ad historicam Juris nostri scientiam, ampliore luce donandam, nonnullorum forte opinione prolixius, quam oportebat, disseruimus, utcunque fuerint aliquando, salvis legibus Ludovici I., articulo 11., et Partis I. tit. IX. expressis, accipienda veniunt: „Nec enim propterea — „repeto iterum verba Verböczii — habet Dominorum „aliquis majus, nec Nobilis quispiam minus „de libertate."

§. 254.

Utrum haereditarios Supremos Comites.

Remanet adhuc error iis eximendus, qui officium Supremi Comitis haereditarium legibus Regni fundamentalibus adversari existimant: profecto aut ego fallor, aut non infundate vereor, ne illi verba, ex articulo Bullae Aureae 16. in rem suam adducta, et per nos paulo ante adscripta, quae nempe integros Regni Comitatus privatis conferre, vel dignitatem quampiam privatorum haerediis perpetuo alligare ex rationibus patulis, per me suo loco adfatim — ut arbitror — recensitis, interdicunt, idem omnino significare comprobando sint, ac quod Supremi Comitis Officium haereditarie non conferemus *). Clarius quidem — non diffiteor — lex altera non quidem fundamentalis, nimirum Uladislai II [a]) de officio Supremi Comitis, in perpetuum non conferendo, loquitur; at certum perinde, legem hanc reali effectu omnino caruisse, quando illi consvetudinem haud unquam subsumtam, nedum interruptam, quin tacito

---

[a]) 1504. 3.

potius assensu in Regni quoque Comitiis [a]) ratihabitam, itaque legali auctoritate citra controversiam vestitam, aperte refragari experior; quamvis iterum ultro, libenterque concedam, suppetere non levia rationum momenta, quae munus Supremi Comitis haereditarium integrae deinceps Familiae largiri minus persvadere potuissent.

*) Articulum istum contra, atque multi hactenus erronee interpretabantur, nullatenus de honore Comitum Provincialium, seu Supremorum Comitum alicui Familiae largiendo, verum de translatione Comitatus integri per modum Haeredii, dominiive in alterius proprietatem intelligendum esse, nemo qui vetustam novit historiam, dubitabit amplius, clareque id patet ex adductis per M. G. Kovachich monumentis, qui dignus est, ut in rem audiatur [b]).

§. 255.

Vel liberos, ac majores Bulla aurea aboleverit?

Idem de Dominiis non utique integris Regni Comitatibus cum proëdria liberi majoris, ac perpetui Comitis collatis sentiendum est. Quis enim credet, id Regni Ordinibus nuspiam reclamantibus, per secula intemerate consistere, aut novis semper exemplis confirmari potuisse, quod legibus fundamentalibus e diametro adversari credebatur. Quando nobis non desunt documenta sincera, quae comprobant, proëdriam liberi Comitis illustribus Viris, ad haeredes transituram, plane petentibus ipsis Comitiis per Reges fuisse tributam, quorum alterum in Gubernatore Hunyadio, alterum in Nicolao Pálffyo eluxit. De posteriori articulus, codici domestico insertus [c]) fidem solvit. Pro priori vero ad hanc gentilitiorum Magnatum classem evehendo exstat postulatum, paucis fortasse cognitum, universorum Regnicolarum*) A° 1453., Posonii congregatorum, ad Regem Ladislaum.

*) E prolixiori Instrumento [d]), quo petitio ista ad Regem dirigitur, sufficiet, quae sequuntur, excerpere: „Volentes „igitur eidem Domino Gubernatori, sicuti ipsi suae electionis „in Gubernatorem tempore sponte, unanimique voto pro-

a) 1687. 10.
b) Ejusd. Monum. vet. legislat. hung. Sect. 1. Mon. 1. p. 15. — item ejusd. notit. Comitat. p. 65. et seq.
c) 1599. 48. §. 4.
d) Quod exstat in Diplomat. Széchényiano.

„misimus, apud Majestatem dicti domini nostri Regis nostris „precibus, et laboribus aliquam gratitudinis vicem rependere, „in hac nostra Congregatione eidem Domino no- „stro Regi unanimiter supplicavimus, ut Sua Sere- „nitas tantis Viri hujus meritis, quo et sui proprii „sangvinis effusione, et plurimorum fratrum, amicorum, et „carorum Familiarium morte, et amissione conquisivit, grata „retributione rependeret. Quod et fecit sua Serenitas de „omnium nostrum consilio, praeficiendo scili- „cet ipsum, et filios, et haeredes suos in Co- „mites majores, liberos, et perpetuos super „districtu, et Comitatu Bisztricensi, universarum- „que pertinentiarum ejus, prout in litteris ipsius Domini „nostri Regis, superinde confectis, plenius, et clarius con- „tinetur. Quas quidem praefectionem, et Donationem, ac „omnia per dictum Dominum nostrum Regem secum acta „nos omnes, id est totum hoc Regnum, quoad „omnes clausulas, et articulos confitemur de „nostro consilio, et consensu, nostraque peti- „tione et collaudatione esse, et fuisse habitas, „digneque, et rationabiliter factas, et peractas „in hac nostra generali Congregatione censemus, „decernimus etc. etc.“

Caput V.

De Statu Nobilium.

§. 256.

Regni Nobiles.

Donec Status, et Ordines quaterni Corpus Comitiale constituebant, unusquisque, qui cunctis communi Praerogativa pollebat, quin tamen ad duos, ordine priores, pertineret, in illa stricte Nobilium classe censebatur, quae tertium Regni Statum constituit, et in sui distinctionem Equestris interdum vocatur.

§. 257.

Quorum classes olim variae.

Diximus Aborigines nostros — pro more Orientis — in tribus, ac generationes divisos, ejusdem omnino sangvinis Milites (Vitézek), ut re ipsa fuerant, principio adpellatos (153), tum Exercituantes (Vitézlö), et

subinde etiam Servientes [a]), quae nomenclatio seculo primum tertio decimo introducta videtur, sub cujus finem — Ladislao Cumano regnante — compellatio Nobilis communior evasit *). Prout autem variae Nobilium compellationes, ita variae olim eorundem classes pedetentim formatae viguerunt; harum aliquae cunctis iis, queis nunc Regni Nobiles fruuntur, praerogativis gaudebant, aliae non perinde omnibus. Verum de prisca illa varietate, ultra quam hactenus sparsim attigimus, isthic prolixius dicere vix attinet, quod jam Ludovici Magni aevo [b]) ad aequalitatem sint adductae **). Eo nihilominus ubi variorum temporum diplomata, quibus potissimum jura privatorum fundantur, se se offerunt explicanda, mentem advertere magni omnino interest.

*) Primo etenim, quod me reperisse recordor, Andreas II. in diplomate, cuipiam Uruz dato, ut ipse, et sui haeredes inter Servientes regios adnumerari possint perpetuo [c]), hac utitur nomenclatione, eandemque Stephanus V., quamvis in uno alterove privilegio vocabulum Nobilis adjungat, continenter adhibuit. Contra Ladislaus ejus Filius voce Nobilis jam frequentius utebatur, ut exempli causa in Privilegio Petro Filio Beten dato, quod in lucem Palma eduxit [d]). Caeterum non etiam quemvis militem continuo fuisse Nobilem, verum ista honorifica adpellatione illorum posteros, qui Regnum hoc non sine sangvine adepti sunt, excelluisse, idem iterum, quem mox nominaveram, praeclarus quondam rerum nostrarum Commentator prorsus apposite observavit [e]).

**) Ad aequationem illam libet ominari Ludovicum Regem id potissimum induxisse, ut cum — spectata praesertim tributorum ratione — Transilvaniam, et Slavoniam ab Hungaria discrepasse constet, has ille provincias ad idem cum metropoli territorio systema conformare decreverit; quod ipsum ex ejusdem Decreto haud obscure colligitur, scilicet ad animos novitati conciliandos, Nobilitatis favorem hoc genere exaequationis aucupari volebat. Vicissim Fiscii Regii ex defectu successionem per hoc Decretum ampliatam fuisse, alibi memini.

---

a) 1222. 2.
b) 1351. 11.
c) Exstat. Dipl. ips. in Collect. Hevenes.
d) In Spec. Herald. Hung. L. 3. C. 2.
e) Not. rer. Hung. P. I. Hung. nov. §. VI.

§. 258.

Per Regem triplici modo creantur.

Nostra jam aetate Nobiles seu origine, sive postea propagine — nam qui rite in eorum numerum receptus est, nobilitatem legitimis haeredibus cum sangvine transscribit [a]) — eam adipiscuntur per regiam primo Donationem, tum per litteras armales, demum Indigenatus patrii concessione. Et quoniam proles patris, quem justae nuptiae demonstrant, conditionem jure nostro perinde, ac aliarum Nationum adipiscuntur, in Nobilium numero sunt, qui patrem habent nobilem, non item illi, qui matre quidem nobili, ignobili tamen patre nascuntur [b]).

§. 259.

I. Donatione Regia.

Primum a seculis modum aquirendi nobilitatem, puta bonorum nobilitarium benemerito patriae filio per Privilegium jure perpetuo factam collationem, legitima statutione firmandam, regiam Donationem leges nominant. Haec itaque nobilitandi ratio absolute tria deposcit, ut scilicet per ejusmodi litteras legali forma expeditas [c]), ut Indigenis [d]), ut denique bona nobilitaria [e]) jure perpetuo donentur [f]). Horum si quid aliter se habeat, Donatio jure nostro modum aquirendae Nobilitatis nullo pacto constituere potest; nominatim ad legalem formam pertinebat, ut e Cancellaria Regia Hungarica subscriptione Cancellarii Hungarici munitae edantur.

§. 260.

Legitime facta.

Plura adhuc circa hujus generis Donationes observanda leges requirunt, nimirum ne conferantur hominibus nihil de Rege, et Patria meritis [g]), nec ex bonis aliis,

---

a) P. I. tt. 4. et 6.
b) P. I. tt. 7.
c) 1608. 9. a. c. Conf. 1848. 3.
d) 1630. 30. 1715. 23.
e) P. I. tt. 4. et 24.
f) P. I. tt. 13.
g) Eodem titulo.

quam quae ad Fiscum Regium legitime devoluta sunt [a]); nullae in illas clausulae irrepant insolitae [b]); denique ne juri alterius praejudicent [c]), et intra unius anni spatium statutione — promulgationis vicem subeunte — ceu legitima Impetrantis in bona obtenta Indroductione firmentur [d]).

§. 261.

Etsi collatae Nobilitatis mentio desit.

Frequentia docent exempla Litteras, quibus Donationes fiebant, aggregationem in coetum Nobilium antiquitus pene semper expressisse, quoties viros ignobiles respiciebant. Invaluit tardius iisdem nullam prorsus Nobilitatis attributae mentionem fieri, inde sane, quia Juris — ut recepta jam porro formula utamur — possessionarii, velut arcis, oppidi, villae, aliorumque hujus generis bonorum immobilium, firmo jure tenendorum e Regni systemate nonnisi Nobiles erant capaces; quamprimum igitur Rex quempiam horum istiusmodi possessione muneratur, eum hoc facto, ad possidendum reddebat habilem: ubi Princeps noster — innuit Tripartitum — quempiam jure possessionario condonaverit, mox ille, statutione legitima subsequente*), in verum Nobilem creatur [e]).

*) Si huic Contradictione obvietur, et causa contradicendi evicta sit, donationem effectu carere, indubium est; utrum vero haec contradictio una Nobilitationem reddat irritam? multum, ac saepe etiamnum in collegiis disputatur. Negant plerique, et jus conferendi Nobilitatem Principi reservatum esse, atque ex Ejusdem duntaxat voluntate provenire dicunt, quae vel per collationem similis Privilegii sufficienter exprimitur, itaque privatorum Contradictione — quoad eorundem Jura non laeduntur — impediri, minus everti poterit. At alii respondent: ipsam hanc Principis voluntatem simili collationi conditionis instar esse adstrictam, inque ejusdem pleno consistere arbitrio, Impetrantem in Donationalibus quoque, si istud praecise velit, in verum Regni Nobilem disertis verbis creare. Nos hanc hodie theoreticam magis, quam practicam thesim lubenter aliis disquirendam permittimus.

---

a) P. I. tt. 13. et seq. Confer. 1715. 7. et. 9. 1723. 9. et 13. 1791. 56.
b) 1647. 122. 1655. 78.
c) P. I. tt. 13.
d) P. I. tt. 32. P. II. tt. 11. et 12. adde 1563. 45. et 46. — 1647. 135.
e) Part. I. tt. 4.

§. 262.

Adoptio, et Praefectio.

Praefectionem, Adoptionemque Regiae Donationis speciem constituere, norunt Jurisconsulti [a]); quodve vim nobilitandi habeant, non quidem per se, sed ex Consensu regio, quem privilegium desuper concessum perinde, atque caeterae donationes innectit [b]). Non ergo necesse evadit, iis etiam litteris collatae Nobilitatis expressis verbis mentionem facere. Idem in translationibus bonorum obtinet, Consensu regio accedente „qui — ut nos reflectit Verböczius — pariter [c]) vim habet regiae donationis."

§. 263.

Species Donationis Regiae sunt.

Plura, quae de cunctis Regiarum Donationum speciebus dici possent, ex jure privato, quorsum magis pertinent, erunt petenda. Ut tamen quid nobis sit Praefectio, peregrinis juribus incognita, clare noscas, notandum est: quod Bona per Regiam Donationem quaesita, quando solos Donatarii haeredes masculos respiciunt, istis deficientibus, ad Fiscum reciderent, quem in casum campus apertus est liberalitati regiae, huic Nominis, haerediique jacturae subveniendi, per substitutionem filiae, aut sororis in verum haeredem, ac successorem masculinum jurium paternorum, aut fraternorum. Haec substitutio in Hungaria inde pene a Regni origine [d]) exercita Praefectio, et Litterae hunc in finem expeditae, Praefectionales dicuntur. Illius proprius effectus est: habilitas succedendi in Bonis caeteroquin sexum muliebrem non admittentibus, quae tamen indolem istam, praefectione nihil obstante, retinent [e]). Legitimam autem, validamque adoptionem juxta, ac praefectionem in bonis avitis tantum, nullis justis haeredibus praeexistentibus, locum sortiri, ut probem uberius, nemo a me postulabit.

---

[a]) Part. I. tt. 7. et 8.
[b]) Tit. nunc cit.
[c]) Eodem titulo.
[d]) Vide Joan. Lucii Memor. istoriche di Fragur L. 6. C. 3. p. 389.
[e]) P. I. tt. 17. §. 7.

§. 264.

II. Per Litteras Armales.

Cui Rex Nobilitatem absque Donatione decernit. ei speciale Diploma desuper, sive Litteras — ut vocamus — Armales impertit. Similis nobilitandi ratio, Germanis condam codicillaris dicta [a]), in Hungaria vix tempora Sigismundi superat, certe tunc nonnisi frequentior esse coepit [b]). Nomen illa apud nos mutuavit ab armis, sive insignibus, quae coloribus, arteque pictoria istismodi Litteris inseruntur, quod tamen necessarium nequaquam est *).

*) Admodum istud perspicue Verbőczius noster [c]) explicat „Arma — inquit is — a Principe cuipiam concessa, non „sunt de necessitate, sed solummodo de bene esse Nobilita- „tis;“ Postea vero subjungit „qui quidem Nobiles, si etiam „arma, seu insignia nobilitaria, aut Litteras super armorum „figuris, et collationibus editas non habeant, veri tamen „Nobiles semper censentur.“

§. 265.

Ad quarum valorem praeter Publicationem.

Oportet e converso sub poena nullitatis [d]) adhuc, ut — praeter reliqua ad valorem cujuslibet Privilegii necessaria, quorsum in speciem earundem publicatio in Comitatu, in quo Impetrator residet, refertur — Litterae armales expressam Nobilitatis collationem enuncient, atque benemerito [e]) erga sufficientem, quam leges diserte exigunt, commendationem resolvantur, integri videlicet Comitatus, vel trium ad minimum regiorum Consiliariorum [f]), si vero Civis sit, duorum Consiliariorum intercessioni proprii Magistratus Civici [g]), pro Colonis Domini Terrestris consensus, et patrocinium jam necessarium requisitum esse desiit.

§. 266.

Expressa Nobilitatis mentio requiritur.

Binos praemissos Nobilitatem consequendi modos, uti

---

a) Klübber de Nobil. Codicill. §. 3.
b) Confer. Katona Hist. crit. T. 11. p. 519. et seq. et Schwartner Introductio in Rem dipl. Edit. 2. p. 200.
c) P. I. tt. 6.
d) 1630. 30. 1655. 36.
e) P. I. tt. 6. — 1622. 17. — 1630. 30.
f) Cit. 1630. 30.
g) Eod. art.

per secula illaese perstiterant, consentire in eo, quod uterque Indigenas Regni attineat, uterque unam, et eandem personalem adferat praerogativam, elucet ex allatis; in eo tamen discrepant, quod hic Nobilitatem expressis verbis cum capacitate solum possidendorum Bonorum nobilitarium; ille vero eandem tacite etiam, ast jam simul cum fundo possidendo largiatur.

§. 267.

III. Indigenatus collatione.

Exteris leges neutram istarum, quas explicuimus, viam largiuntur [a]), verum sola alienigenae in numerum Hungarorum assumtio, sive juris nostri vocabulo Indigenatus. Hic si generatim spectetur, est momentaneus alter, alter successivus. Iste suapte quidem non nobilitat, Hungarum tamen efficit, adeoque idoneum, ut modis supra relatis vel ipse, vel certe posteri alterius ignobilis Hungari instar Nobilitatem valeat consequi. Pervenitur ad eum ex consvetudine magis, quam praescripto per decennalem commorationem, si permanendi voluntas manifesta sit. Cavit nihilominus articulus, per nos nunc provocatus [b]), extraneos, in Hungaros haud receptos, pro Regni Nobilibus haberi, neque eos — licet de facto in Regno resideant — per solas Armales Hungaros fieri, adeoque nec bona in praejudicium Indigenarum emere, vel possidere posse [c]).

§. 268.

Per quam Exteri in Regni Nobiles creantur.

Contra momentaneus Indigenatus, aliis etiam Nationibus usitatus, apud nos modum nobilitandi specialem constituit, eodemque ornatum illico Regni Nobilem reddit. Hujusce collationem domi nostrae absque restrictione potestatis regiae sub initium fuisse, demonstrant innumera, quae historia prodit, exempla *); ubi tamen favorem, cujus moderata largitio profecto cuivis Civitati sua commoda adfert, primae etiam Stirpis Principes nostri admodum liberaliter impertirentur, id popularium invidiam movere coepit,

---

a) Cital. 1630. 30.
b) Eodem art.
c) 1844.

et causa gravium dissensionum, fomesque interdum turbarum erat. Quare jam Colomanni, et Andreae II. Decretis, ille quidem exteros sine fidejussione recipere [a]), iste sine consilio Regni ad dignitates promovere, et extra Regnum possessiones conferre, totidem verbis interdixerunt [b]).

*) Deodatum e Comitibus Severini de Apulia, Volfgerum, et Henricum Comites de Homburg, Comites Hunt-Páznán, Venczelinum de Veiczenburg, et alios sub primis Regibus, imo quosdam sub Geysa Duce in Hungariam immigrantes, civitate, bonisque fuisse donatos, utique unius Principis ex arbitrio, consona Chronographorum turba fidem praestat [c]).

§. 269.

Idque ipsum hodie.

Non immorabor legibus numerosis, quae de exteris in Regnum haud recipiendis, neque ad officia non tantum publica, sed neque Praelatorum, aut Baronum privata applicandis, altera Regum Periodo, sub Alberto, Ladislao hujus filio, et reliquis in regimine Successoribus conditae fuere; observo tamen Venetos, ac Polonos ab omni bonorum in Regno possessione Mathia Corvino regnante, ex publica constitutione [d]), postea saepe iterata, in nostra usque tempora fuisse exclusos; donec istud nuper solum abolitum exstitisset. Praecautionem huic affinem leges Uladislaianae de extraneis Ecclesiasticis, ad beneficia non admovendis, majori adhuc cum severitate decernunt [e]). Errabant proinde, qui ad initium usque Periodi tertiae Indigenatum, isto sensu acceptum, promiscue cuivis ita dari potuisse asseverabant, ut nullis prorsus sanctionibus restringeretur [f]).

§. 270.

Diaetali articulo inseritur.

Haec ad Ferdinandi primi tempora, sub quo et primum Indigenae articulis diaetalibus inserti in Martino Musica

a) Dec. Lib. 1. C. 4.
b) 1222. 11. et 26.
c) Quos inter Kéza, Thuroczius oper. citat.
d) 1486. 32.
e) 1495. 30. et 31.
f) Vid. Szászky in Dissert. de Comitiis C. 4. §. 11. nota a) p. 120.

exemplum [a]), et norma certior largiendi, consequendique deinceps Indigenatus occurrit, in eum modum praescripta [b]), ut — salva caeterum Regis potestate eundem tempore Comitiorum cum scitu, et participatione Ordinum Regni, extra haec vero cum consilio Baronum, et Consiliariorum Hungaricorum conferendi — neo receptus utroque in casu de fide Regi debita, et Regni legibus observandis, nec non de defendenda libertate, ac reliquis obligationibus, Regnicolam manentibus, Juramentum praestare, ipsaque forma praestiti hujus Juramenti Libro Regio inseri de verbo ad verbum debeat. Taxarum pro hoc beneficio depensio serius nonnisi invaluit [c]), aucta subinde [d]), simulque beneficiis ecclesiasticis secundum classes accomodata [e]), juxta recentissimam legem [f]) inarticulationem ipsam praecedat, oportet.

§. 271.

De Legitimatione.

Parentis Nobilitas ad legitimos solum haeredes cum transeat (258), Prolibus illegitimo thoro natis, nisi subseque legitimentur, suffragari non potest. In Hungaria duo tantum modi liberos illegitimos legitimandi recepti sunt: per subsequens Matrimonium, ac per Privilegium Principis, qui potius Adoptionem sapit. Priori ratione legitimati quemadmodum in omnibus pro veris, justis, et legitimis haeredibus habentur [g]), ita hinc consequens est, quod in verbis „legitimi haeredes“ litteris privilegialibus inseri solitis, omnino comprehendantur perinde, ac si ex justis nuptiis nati fuissent. Idem sentio de plena legitimatione ex gratia Principis, quae Jura familiae tribuit, ast non adversus successionem haeredum legitimorum [h]), ex natura Privilegii, verum Fisco tantum decerpit, idque pro mensura regiae Liberalitatis, ibi definitae, cujus solius est, de jure suo, quantum velit, cedere.

---

a) 1542. 50. Diaet. Pos.
b) 1550. 77.
c) 1687. 26.
d) 1741. 41.
e) 1741. 17.
f) 1830. 17.
g) Huszti in Tyrocin. Jur. hung. L. 2. Tit. 49.
h) P. I. tt. 106. et 108.

§. 272.

Praemissorum Corollarium.

Fons itaque omnis Nobilitatis, quemadmodum alibi dictum erat (165), Rex manet [a]), ab Eodem duntaxat et gentilitia Nobilitas, quamvis jure sangvinis propagetur, ad originem revocata, proficiscitur [b]). Neminemque Donationibus Palatinalibus, aut quorundam Praelatorum collationibus Nobilem Regni Hungariae fieri, explorati apud nos juris est. Nec Bocskaii, Bethlenii, subsequorumque nonnullorum Transilvaniae Principum Donationes, vel Litterae Armales exclusivum istud Jus regium obnubilant; nisi enim iis Regis legitimi per Pacta solennia accessisset annutus [c]), aut si discrepantem ab hac formam praeseferrent, utique robore destituuntur. Ingressus etiam ad Statum Ecclesiasticum, esto ignobili, eum ingredienti, Jura quaedam Nobilibus communia, conciliaverat *), hoc tamen ex ratione Status est beneficium legis speciale, nequaquam vero modus nobilitatem adipiscendi.

*) Qualis immunitas est a tributis, teloniis, tricesimis, et militibus hospitandis, quorum intuitu Ecclesiastici in partem onerum insurrectionalium, subsidiorumque emergente occasione vocabantur [d]).

§. 273.

De Probatione Nobilitatis.

Aerumnosis Patriae nostrae, ac bellicosis temporibus multos usu suae Nobilitatis excidisse, ac deinceps etiam fortunae adversitate posse excidere, indeque hanc, quoniam facti res est, dubiam reddi, nemo non videt. Renovatio sic amissae Nobilitatis tametsi justitiae sit, erit tamen, quando illa in controversiam venit, loco suo, et idoneis argumentis comprobanda. Normam ex usu receptam pro hoc causarum genere Resolutiones Caroli III., atque aliae posteriores describunt.

---

a) P. I. tt. 4.
b) P. I. tt. 3.
c) Pacif Vienn. de anno 1606. ad 14. Conf. 1608. 17. 1622. 29. §. 7. — 1647. 20. §. 6.
d) Praeter multos vid. 1741. 63. aliosq. aevi veteris et nov.

§. 274.

Nobilitas quomodo intereat?

Familia nondum exstincta, utrum Nobilitas intereat renunciatione, vel ob crimen commissum? aliquando disceptatum fuisse recordor. Erant, qui liberam renunciationem Patris prolibus duntaxat antenatis nihil officere, nisi scientes ipsi, volentesque consensissent, idque magis e sententia exterorum Jurisconsultorum [a]) defenderant. Ast mihi praevalet domesticorum contraria opinio [b]). Nobilitas etenim jus personale attribuit non impetranti unice, verum ejus etiam haeredibus, quos Pater ne realibus quidem avitis juribus cum praejudicio in perpetuum privare potest. — Sed emigratione Jura Civitatis, adeoque Patriam deserendo, Patriae Nobilitatem amitti, verius est. De effectu paterni criminis ratione innocuorum liberorum, clara est legis dispositio [c]); quae amissionem bonorum ad ratam solum delinquentis restringit, unde liberos cum reliqua Bonorum avitorum parte Nobilitatis Privilegia retinere, sponte consequitur. Qui vero ipse crimen in perniciem Regis, aut Patriae moliendo committit *), vitae, bonorumque amissionem indigno hoc reatu pro poena incurrit [d]), nisi gratia Regis veniam largiatur.

*) Pro reis laesae Majestatis leges pronunciant, qui impias manus in Personam Principis injiciunt, vel capiti Ejus gladio, aut veneno insidiantur, — qui traditionem Regni faciunt — qui contra Regni salutem, aut dignitatem conspirant — aut saltem conspirare attentant — attentanti scienter consentiunt — vel si quis hujusmodi aliquem noverit, et probare valens, non indicaverit [e]).

Caput VI.

De Liberis Regiis Civitatibus.

§. 275.

Urbium Incunabula in Hungaria.

In Partibus Hungariae, quae Romanis quondam parue-

a) Vid. Eisenhardt de Renunt. Nobilit.
b) Bencsik in noviss. Diaet. p. 19. et seq.
c) 1790. 56.
d) P. II. tt. 12.
e) S. Steph. Dec. L. 2. C. 35. et 51. — P. I. tt. 14. et aliae leges.

runt, jam sub horum Dominatu florebant Urbes incolarum frequentia, atque amplitudine insignes; quarum quaedam retento, aut commutato prisco nomine, nunc etiam supersunt [a]), in caeteris etiam, quae raro Oppida, locaque munita habuere, temporis progressu Urbes condere visum fuit, finium scilicet muniendorum, et Commercii fovendi gratia. Earundem censum denique loca Episcopatuum, ac ipsorum quandoque Regum Sedibus delecta, atque inde frequentata magis auxerunt. Haec ad Urbes in Hungaria generatim sumtas: de Liberarum enim, Regiarumque apud nos origine, et quando in numerum Regni Statuum, partemque Comitiorum venerint, alibi disserui; (158) quo nomine illas in specie Urbes intelligimus, quarum quaelibet ex Privilegio Regis propria gaudet Jurisdictione, exemptionibusque, et cum a quibusvis colonorum servitutibus jam olim exemtae terrestralis cujusdam Dominii specie Regiae tantum potestati obnoxiarentur, Rex illarum Dominus Terrestris in legibus audit [b]).

§. 276.

Liberae Regiaeque Civitates.

Similes Communitates collective sumtae, communibus Regni Nobilium praerogativis jam remotis seculis gaudebant, proinde jure terrestrali in bonis immobilibus, sibi collatis iisdem, queis caeteri Regni Nobiles foris, ac remediis juridicis, ac legum favoribus utebantur [c]). Obligationes pariter Nobilitati propriae, Patriaeque defendendae officia illis cum reliquis Regni Ordinibus peraeque erant communia. Quare pro axiomate fuit, in negotio totam Civitatem respiciente hanc ut Regni Nobilem secundum leges communes considerari, et judicari; decretum est tamen [d]), — ne fundi copiosiores ad manus mortuas delabantur — nullo ut sub titulo Civitates bona amplius aquirere valeant.

---

a) Vid. post. mult. alios Cellarium in Geogr. antiqua T. 1. L. 2. C. 8. — Sallagi de Stat. Eccl. Pan. T. 1. — Schönvisner in Antiquit. Sabariae, et alii.

b) In specie 1715. 36.

c) 1618. 60. — 1649. 18. — 1655. 84.

d) 1542. 33.

§. 277.

Regum Privilegio tales.

Modus ipse, quo Civitates istas suas praerogativas obtinent, cum eo congruit, quo alii Nobilitatem singillative adipiscuntur. Perinde namque etiam illi bona, quae tenent, Regis unius gratiae, et Privilegio ferunt in acceptis (259).

§. 278.

Singularibus Juribus gaudent.

Reperiuntur aliae praeterea his ipsis Privilegiis obtentae libertates, quarum pars ad singulas illarum, ut corpus quoddam morale refertur. In specie quod ut quartus Regni Status, Regni Comitiis a seculis interfuerint, dein quod separatam Jurisdictionem constituant. Superest quod hic adjiciam, fuisse statutum [a]: „numerum Civitatum amplius non augere, neve „loca hactenus (verba legis sunt) in ordinem ipsarum minus recepta, deinceps recipiantur, contra vero praesentem articulum in futurum aliquo pacto ne fors recipienda, „pro non receptis habeantur. Nisi sua Caesareo Regia Majestas magnis meritis, publica utilitate mota, specialem „gratiam uni vel alteri loco articulariter faciendam esse „compererit.“ *) Addit lex rationem: „ut scilicet quartus „status multitudine, suffragiisque reliquos non superet.“ Atque ab hoc tempore Communitas quaedem in Liberam, et Regiam Civitatem evecta, Jus suffragii in Diaeta ante inarticulationem haud consequebatur.

*) Hujus in consequentiam aevo recentiori Szegedinum, Debreczinum, Szathmarinum sub Carolo III.; Jaurinum sub Maria Theresia; sub Leopoldo II. Maria Theresiopolis, Posega, Temesvarinum, Carolstadium aliae non item serius Principum favore Civitatibus adnumeratae, postea publicis Decretis in numerum reliquorum Statuum cum voto, et sessione fuerant receptae [b].

§. 279.

Legum Praesidio firmatis.

Accedit praeallatis Jus, quo Civibus haeredis expertibus, et intestatis succedit, non tamen in bonis, quae nota

---

a) 1687. 17.
b) 1715. 107. 108. et 109. — 1751. 27. — 1791. 30.

infidelitatis, vel laesae Majestatis crimine amittuntur [a]). Jus praeterea Beneficiorum curialium, regaliumve in territorio Civitatis; Vectigalium; Patronatus, Gladii; Nundinarum; singularia insuper varii generis, quibus Civitates beneficientia Regum nunc etiam, quod supra ajebam (158), passim fruuntur, saepe in Decretis Regni universe confirmata [b]), quorum fons ipsae Litterae Regiae sunt.

§. 280.

Nec Cives singillatim.

Hactenus de integro quolibet Civitatum corpore, nunc de membris eorum, puta Civibus; qui scilicet via, ac forma praescripta, sponsioneque fidelitatis legitimo Terrae Principi, legumque tam publicarum, quam municipalium observantiae, sunt ut membra in Civium communitatem recepti.

§. 281.

Suis Immunitatibus destituuntur.

Pollent Cives, idque a primis initiis, exemtione a jurisdictione extera, ad Diaetam nuncios litteris ipsis elibertationalibus addicta cum facultate eligendi, propriumque Magistratum, Jura, ac Munia Civitatis sustinentem, et administrantem, et quae ultra haec actu habent legibus patriis specialia, alia, Statum privatum attinentia, alia, uti in specie immunitas a telonio, et tricesimis, per legem sublata est, dum onera publica universis incolis sine discrimine imposuit [c]), quae cum caeteris nonnullis evanuerunt, postquam civitates jam non in illa, qua antea, Regni Statuum forma permanserant.

§. 282.

In numero Regiarum Civitatum.

Numerum Regiarum auxerunt Civitates, quae eo, quod montes metalli feraces incolant, excolantque, Montanae vocantur. Non item Oppida privilegiata, haec enim, tametsi alia pluribus, alia paucioribus privilegiis donata fuerint [d]), ad caetum Regni Statuum non pertinuerant.

---

a) 1647. 87. et alibi.
b) 1609. 34. — 1613. 31. — 1715. 36.
c) 1848. 8.
d) 1518. 11. — 1625. 43. — 1630. 21. — 1790. 25., et aliae.

§. 283.

Censentur etiam montanae.

Distant e converso Civitates montanae a caeteris situ, fodinarumque cultura magis, quam jure, nisi quod a receptione Militum immunes sint, insuper beneficio Stapulae, ac nonnullis aliis praerogativis, praesertim septem ex his antiquiores, gaudeant, legum quoque praesidio munitis [a]). Sit denique Judiciorum ratio eis prorsus singularis, orta ex confoederatione, cujus caput Cremnitzium est.

Caput VII.

De Communitatibus caeteris nobilitari praerogativa ornatis.

§. 284.

Jazygum, et Cumanorum.

Expediet jam de aliis quoque Communitatibus Privilegiorum favore a Divis Regibus ornatis disserere. In his primam mentionem facio Districtus Jazygum, et Cumanorum, quorum aborigines Pacinacitarum nomine cogniti, seculo undecimo Salamoni Regi adversus Patruelem suum Ladislaum auxiliaturi, Hungariam penetrarunt; ab isto vero iteratis cladibus affecti, sed postea in gratiam admissi, non temnendam Regionem inhabitandam consecuti sunt.

*) Jazyges, ejusdem sine dubio cum Cumanis originis, atque Tribu solum distincti, ab Hungarico Jáz, pharetram designante, suam propterea denominationem accepisse, quod in arte pharetras tractandi excellerent, atque his ad bellandum obstringerentur, Stephanus Kaprinay [b]), et post hunc Stephanus Horváth [c]) egregie comprobare sunt adnisi.

§. 285.

Primae in Regno Coloniae.

Haec prima in Hungaria eorundem colonia erat [d]); accessit altera Stephano II. Rege, cujus indultu Tribus in

---

a) 1553. 29. — 1635. 53. — 1723. 3. et proxime citatae.
b) Hist. Diplomat. P. II. p. 313. et seq.
c) Tudományos Gyüjt. A. 1829. Fasc. 7. 8. et 9.
d) Chron. P. II. C. 56. Kéza p. 98. ed. Horanyianae. Conf. Petr. Horváth. Comment. de initiis, ac moribus Jazyg. et Cuman. Pest. 1801. pag. 42. item Palma not. rer. hung. T. 1. p. 387. et seq.

Bulgaria per Comnenum Orientis Imperatorem devicta, ad Regnum perpetuo commigravit [a]). Postremam Praecopensem, et Thauricam Chersonesum antea incolentem, ac per Tartaros antiquis Sedibus depulsam, Bela IV. recepit [b]). Memoratorum trium itaque Regum liberalitate plagam, quam modo Jazygiam, Cumaniam item majorem, et minorem, ceu totidem Districtus, nuncupamus, Antenatis assignatam, Posteri in hodiernum retinuerunt.

§. 286.

Eorum Fata.

Florens isthaec, et bellicosa Communitas, suo pro Comite, ac Judice primum Regni Magistratum ab olim sortita, atque amplis Privilegiis, et libertatibus persaepe ad invidiam usque Coaccolarum condam ab Hungariae Regibus exculta fuisse legitur *), ast jam sub Uladislao II. districtus, quos inhabitat, in numerum Bonorum Coronalium relatos reperio [c]), gentemque subinde ipsam eo redactam, ut propemodum nihil pristinae libertatis retineret [d]), pignoris Jure Equitibus Theutonici Ordinis aliquamdiu [e]), postea Carolo III. regnante, Pestiensi Invalidorum Militum domui obnoxia, tandem, Maria Theresia favente, sic se iterum in libertatem vindicavit, ut in peculio Sacrae Regni Coronae constans permaneret [f]).

*) Inter Privilegia de libertatibus, et Praerogativis Cumanorum forma diplomatis edita, vetustissimum hactenus innotuit de A° 1272., per ipsosmet possessores Jurium, ac Praerogativarum suarum in fulcimen coram Comitiis Anni 1791. exhibitum, Diarioque insertum [g]), quo nimirum Ladislaus Cumanus eosdem non modo in possessionibus, a Bela IV. impetratis, sed et Palatinum in illorum Judicem ab aevo constitutum novitus confirmat. Quae inibi adhuc concessa lapsu temporis exoleverunt, ex ipso Diplomate videri possunt.

---

a) Nicet. Coinat. et Cinnamus. Conf. Timon Imago hung. nov. P. II. p. 83.
b) Item Timon Op. et loc. nunc. cit.
c) 1514. 3.
d) 1638. 67.
e) 1715. 34.
f) 1751. 25. Conf. act. Diaet. Anni 1790.—1791.
g) Vid. act. Diaet. ejusd. Anni.

§. 287.

Et post restitutam pristinam libertatem.

Confirmata tum illis sunt antiqua Privilegia, et publicae rei administrandae ratio ad pristinam, quantum licuit, exacta, partim certis, et definitis regulis descripta [a]); quae regulatio dein, monentibus Regni Statibus, nonnihil emendata [b]), una cum Diplomate regio, Ordinationibusque palatinalibus, alio et alio tempore editis, fundamentum est proprium tam libertatis, qua Districtus hi actu fruuntur, quam publicae Administrationis, uberius articulo 1848. vigesimo quinto designatae, ac confirmatae.

§. 288.

Recentior Conditio.

Ex hoc inde tempore Jazyges, et Cumani a Jurisdictione Comitatuum exemti, Comitem, Judicemque Supremum Regni Palatinum venerabantur iterum, cujus auctoritate Supremus Palatinalis Capitaneus, hujusque vices obiens (Districtualem Vice-Capitaneum dicunt) cum additis sibi Assessoribus quatuor, adscitisque in subsidium varii gradus Officialibus, a Congregatione generali delectis, politica, oeconomica, et juridica negotia procurantibus. Praeterea habent suum singuli Districtus Capitaneum, et Magistratus reliquos, qui sub Praesidio Supremi Capitanei in rem consultant, atque Jurisdictionem tam civilem, quam criminalem [c]).

§. 289.

Immunitates.

Exercent praeterea diversa Jura regalia, Religionisque Catholicae incolae patronatum quoque. Advenas in communionem suo arbitratu recipiunt. Adhaec commembra Districtuum ratione communium Privilegiorum ante, quam supra designata lex id sustulisset, paris conditionis singula, intra limites Regni a teloniis libera, neque decimas

---

a) Vid. Dip. M. Theres. 1745. ddto 22. Maji.
b) 1751. 25.
c) Vid. cit. Dipl. et Regul. art. 23. Ord. Palat. de Annis 1748. 1752. et 1753. Item Statut. et Regul. Jazyg. et Cuman. de anno 1800. et 1820.

neque censum regium solvere obligabantur, A° 1791. jure quoque suffragii in Comitiis Regni [a]) donati sunt.

§. 290.

Praestationesque.

Pro istis conspicuis sane favoribus praeter insurectionem Nobilium, deposcente Patriae securitate, cum Nobilitate communem, a contributione de fundis propriis nec antea eximebantur, quemadmodum honorarium Palatino in ter mille aureis, quae res aetate Mathiae Corvini [b]) primo occurrit, dependere obstricti fuerant. Quae juris sunt magis privati, desuper Commentatores hujus disciplinae utiliter consulentur [c]).

§. 291.

Oppida Hajdonicalia.

Sex Oppida Hajdonicalia in Comitatu Szabolcsensi sita quidem, hujus tam Jurisdictioni haud subjecta nobis hic proxime sunt commemoranda *). Eorum origo, prouti nunc subsistunt, e temporibus Stephani Bocskay Principis Transilvaniae repetenda venit [d]), huic enim Privilegia sua in acceptis ferunt, a Rudolpho mox [e]), et saepius postea iterata [f]), imo inauguralibus quoque Diplomatibus subsequentium quorundam Regum [g]), ac postremum per legem, A° 1791. latam [h]), corroborata, sic tamen hac posteriori: „ut jus Fisci Regii sua legali via determinandum, prout et „quaevis obligationes, iisdem legitime actu incumbentes, „servata recta proportione, in salvo maneant.“ Lege eadem Jus quoque Comitiis interveniendi cum Jazygibus consecuti sunt.

---

a) Conf. act. Comit. ejusd. anni et 1791. art. 29.
b) Ejusd. Reg. Decret. de Off. Palat. art. 11.
c) Kelemen Jus. priv. L. 1. p. 307. Szlemenics L. 1. p. 129. aliique hujus discip. Auct.
d) Istvánfy Hist. L. 33. ad annum 1604. et seq.
e) Pacif. Vienn. ad 14. §. 2.
f) Per. Car. VI., Mar. Theres., Leop. II. et Franc., Conf. act. Diaet. Anni 1791. p. 11. et seq.
g) 1622. 1638. 1659. Dec. insert. Cond. 16.
h) 1791. 29.

*) Böszörmény, Nánás, Szoboszló Dorog, Hatház, et Vámos Pérts, queis praedia ingremiata accedunt.

§. 292.

Status eorum hodiernus.

Hodiernum Statum eorum quod attinet, Hajdones omni erga Comitatum independentia — ut innuebam — soluti, Territoria sua antiqua pleno cum terrestrali Jure, ac beneficiis possident, qua tales nihilominus nova aquirere vetantur [a]): toti Districtui praeest Oppidorum Director, quem Regia Majestas denominat, et adusque nomen Supremi Capitanei gerebat, quo Praeside Congregationes, negotiaque politica, oeconomica, judicialia decurrunt, praesto praeterea existente Vice-Capitaneo, Assessoribus, Fiscalibus administris reliquis, quae omnia ipsis et per praeterita Regni Comitia interim relicta fuerunt. Anteriores leges, quae de illis sonant, qui volverit, Hajdones immunes a teloniis, naulisque, et tamquam ipsi quoque milites, a talibus hospicio excipiendis liberos; vicissim et ad statutionem tyronum concurrere, et cum reliqua Nobilitate insurrexisse deprehendet.

§. 293.

Sedes Lanceatorum.

Ad haec binae exsistunt Regiunculae dependentes quidem a Comitatibus, in quorum gremio reperiuntur, singularibus nihilominus praerogativis donatae: altera decem Sedium Lanceatorum Scepusiensium in homonymo Comitatu; altera Campus Turopolya ad Zagrabiensem spectans. Illis, quod lancea muniti, Regis sacram personam pace, belloque antiquitus custodiendam haberent, Lanceatorum nomen adhaesit [b]). Aliquando sub peculiari Magistratu separatim negotia sua gerebant [c]), perfecte postea Scepusiensi Comitatui uniti [d]).

§. 294.

Campus Nobilium Turopolya.

Campus quondam Zagrabiensis, nativa lingva Turo-

---

a) 1635. 68.
b) Vid. Bél in Prodr. Hist. Hung. et Vindisch in Geograph.
c) 1596. 10. §. 4.
d) 1802. 10.

polya, sive Turcicus (hungarice Turó mező) e viginti quatuor Communitatibus nobilibus, in unum corpus morale coadunatis, inhabitatur, quae Nobilium Campi Turopolya nomine veniunt. Antenati istorum olim Jobbagyiones Castri Zagrabiensis, ob fidelia non minus, quam strenua servitia, Corônae praestita, per Reges nostros plerosque, ac prae caeteris per Belam IV., ejusque Nepotem Ladislaum, Mathiam Corvinum, atque Caesares Rudolphum, et Carolum favoribus, quos leges postea corroborant [a]), aucti, proprio, ac per se delecto Magistratu gaudent. Praeerat huic inde ab antiquissimis temporibus Comes Terrestris. Praeter exemtiones a communibus juribus Nobilium personalibus, ac realibus, cum caeteroquin singuli eorum genere essent Nobiles, reliqua ad authenticum Sigillum communeque Archivum, ad propriam itim judiciorum formam potissimum redeunt, cujus summam Privilegium Rudolphinum recenset *) A° 82. seculi. 16. die 8. Martii impertitum [b]). Demum quod patriae defendendae causa sub proprio, non Comitatus vexillo, militaverint.

*) Utcunque verbis quae hic sequuntur: „Insuper universas „causas, lites, contentiones, et differentias inter ipsos emer- „gentes, et subortas, et ratione quorumcunque bonorum, et „jurium possessionariorum ipsos tangentium, et concernen- „tium ordine judiciario discutere, et definire, ac super ad- „judicatis, si quis eorum colonos habuerit, super colonos „alioquin, si colonis caruerit, etiam in propriis curiis eorum „nobilitaribus executionem, et satisfactionem impendere libere, „et secure possit, et valeat.“ Item alio loco „hoc tamen decla- „rato, quod nullus eorum causam suam, quae inter ipsos „emergeret, alicubi prius, quam coram ipso Comite eorum „terrestri movere possit.“

Caput VIII.

De Praedialibus et Libertinis.

§. 295.

Differentes a Nobilibus Incolarum classes.

Ut variae olim erant servientium Nobilium classes in Regno nostro, sic multiplicem apud Populares, hac prae-

a) 1723. 92. — 1741. 60.

b) Vid. de his cumprimis Engel in der Staatskunde und Gesch. von Dalmt. Croat. und Slav. p. 287. Adde recent. Synopt. deduc. Stat. horum. Nobil.

rogativa destitutos, in Patria varietatem aeque adfuisse animadvertimus. Dabantur aliquando in liberis praecipue Villis Hospites regii (158), Milites, Populique Castrenses, (hungarice Várnép) et Ecclesiarum cum obligatione castrum tutandi, belloque coorto, militandi, ab omni reliqua servitute exemti: deinde Servi, ac Coloni; plures insuper conditionis diversissimae, in locis communiter cuidam castro adjacentibus, vulgo, ut jam innuimus, Conditionarii (155). De quibus solo modo nomine cognitis amplius hic commentari non vacat.

§. 296.

Praedialium Origo.

At Populi Servientes Ecclesiarum, ut eos Bulla aurea compellat [a]), actu persistunt; eosdem recentior aetas Praediales Nobiles ideo vocasse videtur, quod a Praelatis, in exercitio largiendae hujusce liberalitatis persistentibus, Curias consequantur, queis praerogativae quaedam, nobilitaribus analogae, adhaerent. Coaevos in Hungaria Religioni Christianae, regiaeque dignitati docet prae caeteris manifestissime Stephaneum Privilegium *), in quo et Militum similium, et militaris hujusce obligationis expressa mentio reperitur.

*) Concessum quippe Monasterio S. Mariae, et Benedicti, ad radices Montis ferrei Anno 1015., cujus tenor, praesenti quaestioni subserviens, sic sonat: „dotavimus idem Monasterium — — — populis tam liberis, quam servis, liberis „scilicet ducentis Militibus, quos sub talem redegimus mili„tiam, ut si forte in Regno suboriatur seditio, ad Monasterii „armata manu concurrant custodiam“ etc. Edidit illud saepe a Nobis laudatus Transilvanorum Antistes Batthyanius [b]).

§. 297.

Causa hujus Instituti.

Causa quoque hujus Instituti in propatulo est. Divus enim Stephanus, atque alii ejusdem in regimine non minus, quam liberali Ecclesias suas dotandi studio, tutandique providentia successores creberrime Dioeceses, atque Coenobia per se fundata, castris cum adnexo territorio ea ratione

a) 1222. 3.
b) In legib. Eccles. Reg. Hung. Tom. I. p. 375.

dotabant, ut aliquam castri Jobbagionum. Armis duntaxat servientium, speciem adjicerent, qui Praelatos suos pacis tempore contra vim quamvis, aggressionemque custodirent, bello suborto, viritim in campum comitarentur. illiusque sub vexillo militarent. Cessavit pro temporum adjunctis necessitas Praelatos domi custodiendi, neque amplius, quod boni omnes optamus, quidquid moliatur impietas, redibunt, sed ad Regni Insurrectionem instar Regni Nobilium viritim concurrendi, militandique obligatio deinceps quoque ad nostra tempora permanserat [a]).

§. 298.

Quinam hodie supersint?

Igitur servientes ejusmodi populos habere Proceribus Ecclesiastici Ordinis, quin et nonnullis Secularibus in usu fuit. Aliquorum, qui praerogativam hanc iniquitate temporum amiserant, inter caeteros recte meminit Kelemen [b]). Retinuerant vero eandem praediorum collatores Archi-Episcopus Strigoniensis in sede Vajkensi, Érsekléliensi, et Verebélyiensi, cum S. Georgii conjuncto. Jaurinensis Episcopus suo cum Capitulo; ille in Vecse, istud in Bácsa Sedibus; tum Episcopus Zagrabiensis, et Archi-Abbas Montis Pannoniae.

§. 299.

Quibus gaudent exemtionibus?

Favores Praedialistarum privilegiales modo jam sublati, succincte huc fere redeunt: quod ratione fundorum suorum a tributis [c]), teloniorum, vectigalibus [d]), et usu perpetuo ab hospitio militi dando [e]) immunes serventur. Remansit abinde, quod peculiari Magistratu gubernentur, cujus Moderator, nominatim in Sedibus, ad Archi-Episcopatum Strigoniensem pertinentibus, splendido Palatini nomine glorietur. Demum sua negotia municipalia in publicis eorum Congregationibus perficiant; atque propriis ju-

---

[a]) 1567. 14.
[b]) Instit. Jur. priv. Hung. L. I. C. 5. §. 196.
[c]) 1741. 63. §. 9.
[d]) 1563. 59. §. 4. 1599. 41.
[e]) Sensu 1567. 14.

diciis subsint in iis, quae praedialia eorum jura, fundosque attinent.

§. 300.

Praediales improprie appellantur Nobiles.

Exploratum hinc fit, quod paulo ante memineram (296), Praedialibus Nobilium agnomen interdum etiam in Privilegiis ipsis tantum improprie attribui, qui Jurisdictioni Collatoris nunquam non suberant *), eapropter verissime alicubi me legisse reminiscor [a]), Nobiles Archi-Episcopales, Episcopales, Abbatiales non esse Regni Hungariae Nobiles. Advertendum praeterea in numerum Praedialium neminem, nisi per collationem hujusmodi curiae, cooptari, nec fundum alterum, ad Ecclesiam spectantem, praeter hujus generis, pro praediis similibus ab antiquo dicatos hoc titulo conferri posse, quae defectu emergente, aut notae crimine, non in Regni, sed Collatoris Fiscum recidunt.

*) Exprimit hanc differentiam egregie Mathiae Corvini Diploma de A° 1467. [b]) cujus ingressum repetere in rem praesentem sufficiet: „Pro parte fidelium Nostrorum Praedialium Episco-„patus Zagrabiensis Nostrae expositum est Majestati eo modo, „qualiter videlicet ipsi ex antiqua eorum consvetudine, ac „indultis, et concessionibus divorum Regum Hungariae, No-„strorum videlicet Antecessorum, semper in medio eorum „laudabiliter observatis omnibus illis libertatibus, et Nobilium „praerogativis, quibus caeteri Nobiles quomodolibet utuntur, „et gaudent, isto duntaxat excepto, in quantum „videlicet Jurisdictioni Ecclesiae Zagrabiensis, „et Episcopo in eadem Ecclesia, pro tempore „constituto, cum debitis, et consvetis servitiis, „et obedientia subjecti haberentur, usi fuerunt, „et gavisi etc.“

§. 301.

De sedecim Oppidis Scepusiensibus.

Restat sedecim Oppidorum Scepusiensium Districtus, de quo pauca loco hic non incommodo proferemus. Oppida scilicet ab Anno 1775. sedecim, antea vero tredecim numero Scepusiensia, Polonis per Sigismundum Regem tra-

---

a) In animadversionib. ad Jus. publ. Hung. p. 112.
b) Edid. Integ. Kerchelich in Histor. Eccles. Zagrab. P. I. C. 8. pag. 48.

dita condam, et ab iis possessa, A° 1772. ad Hungariae Coronam felicibus avibus rediverunt. Horum cives veterum illorum propago sunt, qui e Saxonia, et passim aliis Germaniae Provinciis prima Regum nostrorum Periodo Scepusii in Valles commigrantes, ab his non temnendos favores obtinuerant. Abinde etiam secundum Divae Recuperatricis Privilegium, quo vetera confirmabantur, Provinciolam separatam constituunt, in politicis et judicialibus Moderatorem, seu Provinciae Comitem, quem Graffium dicunt, antea ipsi sibi eligebant. Statuta municipalia, formam Judiciorum, atque alia huic districtui seu propria, praestat ex usu ipso cognoscere. **)

*) Bela, Leibitz, Menyhard, Durand, Ruszkinocz, Mathaevill, Felka, Poprád, Mons S. Georgii, Straza, Iglova, Várallya, Olaszi, Gnezda, Lublovia, et Podolinum.

**) Videri de his uberius possunt Vágner in Analectis Scepusii sacri, et prof. — Kelemen in Hist. Jur. fusiori ad Sigismundum. — Jony in Comment. Hist. Jur. Sec. 5. §. 23, 24, et 25. — Pray in Annalibus ad Annum 1412. — Gebhardi Geschichte von Ungarn, et alii rerum nostrarum scriptores complures. —

§. 302.

De Libertinis.

Antiquo Diplomatum stilo distinquebantur liberi homines a libertinis; liberi enim homines erant omnes hospites, e variis Provinciis acciti, prout servi plena libertate donati. Libertini contra vocabantur a servitute quidem manumissi, sed sub obsequa conditione Patronis suis semper obnoxii, quod accurate notavit Kollár [a]) quamdiu ergo coloni glebae adstricti, ac perpetui dabantur, nec species libertinorum ab istis distincta plene incognita fuit, imo lex ipsa [b]) Catholicorum Presbyterorum filios, qui graecum ritum sequuntur, pro libertinis declaravit.

§. 303.

Quinam Honoratiores, et Agiles?

Personae singulares, ob quemdam characterem a plebe distincti, Honoratiores ex usu fuerunt compellati, qua-

a) In amoen. Vol. 2. S. 4. C. 2. §. 2.
b) 1723.—69.

les in exemplo sunt Officiales publici, ac privati, diversarum Religionum Ministri, Institutores Juventutis, artium liberalium doctores, aut Sectatores, cum aliis variae Cathegoriae pluribus; vel patre ignobili geniti, et fundum nobilitarem a matre nobili haereditate possidentes, quos Curia, et Forum Agiles vocat; vel qui mercaturam, opificium, quaestumque exercent.

Caput IX.

De Civili Colonorum Conditione.

§. 304.

Colonorum.

Coloni ab ea ubivis servitute generatim orti sunt, quam, genti bellicosae, et armis validae resistendo impares, suscipere aut cogebantur, aut consultius fore judicarunt. Pronum hinc erat, cujus rei mentionem jam fecimus, ut victores partem occupatae Regionis, tamquam rei propriae, ipsi ultra retinerent, rura reliqua devictis erga servitiorum, laborumque varias species percolenda concederent. Fuerit itaque in Hungaria quoque dura sub initum, ac diu postea, ut retrusis iis seculis alibi, ruricolarum servitus, mox attamen, atque Majores nostri fidem Christi sectari coeperant, emancipatio per pietatem cumprimis divorum Regum, perque favorem legum consecuta fuit *), poena adversus illos sancita, qui manumissos in servitutem redigerent [a]).

*) Confestim sub primo Illorum decretum invenio „si quis, „misericordia ductus, proprios servos, et ancillas libertate „donaverit cum testimonio, ut post obitum ejus nemo, in„vidia tactus, in servitutem eos audeat inducere.“

§. 305.

Diversae olim Classes.

Recurrunt praeterea, et quidem jam ultima Ducum, atque hanc e vestigio subsequente Regum nostrorum aetate — ut innuebam — liberi hospites, qui in terris laborant aliorum. Multiplices item liberorum servo-

a) S. Steph. D. L. 2. C. 26.

rum classes, frequenti advenarum, in Regnum commigrantium, numero auctae, e quibus prae caeteris memorabilis fuerat illa Sculte torum *). Nondum etiam Stirps Arpadiana nobis regnare desierat penitus, quum evanescente sensim invidioso servorum nomine, inque Rusticorum, Jobbagionumque commutato, libera subditis migrandi facultas aperta fuit **); et haec ipsa, a legibus dein saepius corroborata [a]), vel ad certum tempus definita [b]), facultas usque initia seculi decimi sexti perduravit, donec nempe ob notissimam seditionem, Georgio Dosa auctore, excitatam, subditis pene universis adimeretur; voluerat quidem eandem alter a laudato Rege Successor Ferdinandus I. certis sub conditionibus restitutam, ac modum quoque non migrationi tantum, verum etiam, qui in tractandis subditis ab Heris suis observandus foret, sortique illorum consuleret, non una, sed compluribus omnino [c]) cum assensu Regnicolarum Sanctionibus praescripsit***). Eo non obstante permansit in non paucis Comitatibus ad aetatem usque Josephi II. magna pars subditorum glebae ita adstricta, ut ab ea servitute nullus, nisi volente, et manumittente Domino liberari valeret.

*) Erant isti origine exteri, peregrinam hancce compellationem a ductore, atque rectore suo sortiti, cui forte a germanico „Schulteiß" nomen Sculteti adhaesit. Assumserunt vero hi advenae terras erga conventiones, praevie cum Dominis terrestribus initas, titulo dominii utilis percolendas; gaudebant variis beneficiis, et Moderator eorundem civili in ipsos jurisdictione. Caeterum a stricte servilibus operis liberi, Regibus nihilominus, a quibus amplas persaepe largitiones nacti sunt, certo annuo tributo communiter obnoxiabantur [d]).

**) Clarum id redditur ex quodam Andreae III. decreto [e]), cujus art. 70. stabilit: „ut quilibet rusticus seu Jobbagio alicujus „nobilis, si voluerit, de possessione Domini sui, habita licen„tia, et justo ac consveto suo terragio persoluto, ad posses„sionem alterius Nobilis, vel alias, quo ei placuerit, cum „omnibus suis rebus libere se causa commorandi transferre „valeat."

a) 1405. D. 1. art. 6. et ejusd. dec. 21. art. 14. 15. 16. — 1435. 7. — 1458. 15 — 1471. 16. 1492. 93. et 94.

b) 1547. 33

c) 1548. ab art. 32. usq. 45. dein 1553. 10. 14. aliisque.

d) Lege Schwartnerii erud. Comment. de Scultetis per. Hung. quoad. obviis.

e) De anno 1298. edit. in Kovachichii suppl. ad. Vest. Com. T. I. p. 181.

***) Cavet in specie Decretum Anni 1548. [a]) „ne ullus Domino-„rum, et Regnicolarum, ac Possessionatorum taxas extraor-„dinarias exigat, aut res colonorum suorum violenter auferat. „Ut porro coloni pro delictis poenam, jure decretam, subeant, „nemo sine manifestis delictis, et excessibus colonum suum „in carceres, vel vincula conjicere, aut aliis, fortassis etiam „majoribus, cruciatibus afficere possit."

§. 306.

A tempore introductae regularis militiae.

Non evagabor jam ultra per singulas domesticorum annalium periodos ad uberius exquirendum, quando, et quales vicissitudines numerosissima haec incolarum classis subierit, quot re ipsa per vices in Hungaria Colonorum species, et quae alia pro more passim per universam Europam vigente illorum fuerit ad Dominum terrestrem relatio, partim anterioribus, quarum nonnullas in continenti adduxeram, legibus innixa, aut ex ratione defensionis Patriae adoptata; adverto solum insignem, magisque determinatam circa statum civilem Rusticorum intervenisse mutationem ab illa vel maxime epocha, qua miles stabilis colligi, et contributio perpetua exigi coeperat; abinde enim Reges, primum, et post brevi ipsa non minus Regni Comitia e rationibus politicis, et oeconomicis Jus quoddam quasi haereditarium plebi tributariae confirmarunt; addixerunt porro nec unius generis, nec vulgaris considerationis beneficia, operarumque, ac census domalis praestationem, utrinque observandam, ad certam, ac definitam regulam revocarunt, per normam, quam ab obsoleto latino Urbo, vel Urburo, indeque germano Urbar, multa verisimilitudine Urbarium dixere. Similem anno utpote 1737. Carolus Caesar, hoc nomine Sextus, in certum Systema redactam pro Sclavonia ediderat. —

§. 307.

Per Urbarium cumprimis.

Postmodum Augusta hujus Filia congregatis A° 1764 Regni Statibus provisionem hujus generis elaborandam, legeque muniendam proposuit [b]). Adhaesit cotum salutare

a) Art. 39. 40. 41

b) Vid. Acta Comit. 1764.

consilium nec una de causa, nec consulto satis; indeque provenit, ut Regina opus isthoc Dicasteriis perficiendum committeret; perfectum, et auctoritate regia donatum, Urbarii nomine per universum Regnum, Partesque adnexas post biennium a soluto Regni Conventu, annisque insequentibus effectui manciparetur; quod postea, in proximis, quae locum habuere, Comitiis, provisorie in legem receptum, ac dein singulis, quae succedebant, temporarie iterum ad futura usque protensum fuit [a]).

§. 308.

Addita ex lege recentissima.

Substiterat haec provisio, si demas quaedam intermedia in emolumentum colonorum additamenta, ex integro, donec eorum sorti, anno hujus seculi trigesimo sexto, conditis 12 articulis, Comitiale Decretum ingressis, stabili Constitutione prospectum fuit. Qua occasione, quae dubia videbantur, majorem claritatem obtinuerant, et accesserunt nonnulla, profecto haud levioris considerationis. Ut sunt: modus lenior, facilior, et accomodatior in desummendis praestationibus, arbitrium Dominorum, Officialiumque arctioribus adhuc limitibus circumscriptum; emolumenta vero pro subditis ex ratione commercii, industriae, commodorumque variorum, ampliora, demum, quae in his vel maxime commemoranda est, facultas multo plenior, liberiorque de rebus suis disponendi, atque in propriam utilitatem convertendi.

§. 309.

Libera Tenutorum emtione, ac venditione.

Quam in partem binae prae caeteris constitutiones deserviunt: una liberam emtionem, et venditionem Tenutorum colonicalium, quae antea tantum in nonnullis locis vigebat, ad omnes indiscriminatim incolas extendit [b]), salvo permanente tum adhuc dominio directo concernentis Domini terrestris, quin propterea vel ipse emtor esse queat, vel quemquam ab emenda sessione colonicali prohibere,

---

a) Cit. 1791. 35. et reliqui in subsequis ordine Decret. ad hunc provocantes.

b) 1836. 4.

nisi condominum, sive ut eum nostri forenses nominare solent, compossessorem; vel ob trinas illas rationes, quae valent etiam ad abigendum colonum, puta: si explendarum obligationum suarum manifeste sit impar, vel a gravibus, et publico perniciosis excessibus, vel ab iterata renitentia Domino suo damnosa notetur; aut si neo comparanda sessio numerum superet, ultra quem nemini, nisi ubi usus hactenus fuisset contrarius, in eadem communitate talem sibi comparare admissum est, idque illam praecise ob causam, ne nimia coacervatio tenutorum agricolarium in manibus paucorum noxia privatis, publicisque rationibus, atque inimica evadat.

§. 310.

Plenaque testandi facultate.

Aliud, quod accesserat, hujus generis beneficium in eo consistit, quod cum subditi, quia in Hungaria alteri, alibi usuato, mortuarii oneri non subjacebant, de avitis immobilibus fundis nulla sui parte, de aquisitis vero immediate duntaxat, defectu legitimorum haeredum emergente, mortis causa disponere valuissent, deinceps mobiles, atque immobiles facultates suas universas abalienare, suo ex arbitrio, et, cui volunt, testamento relinquere sinantur. Jus itaque succedendi, hucdum Domino attributum [a]), unice ad relictam substantiam ab intestato decedentium subditorum, necessariis, legitimisque successoribus destitutorum, per legem restrictum visitur [b]).

§. 311.

Beneficiis.

Istis omnibus rite inter se combinatis, status subditorum, antequam ii ab urbalialibus praestationibus, dominalique jurisdictione penitus solverentur, recidebat: I. Ad liberam migrandi facultatem, debitis quibusvis praevie compositis. II. Ad Fundum intravillanum unius jugeri, et extravillanos ratione glebae, situsque, et reliquorum adjunctorum, per Regnum variantium, hic majoris, illinc minoris extensionis, sed ubique sorti congruenter in agris, pratis,

a) P. III. 30. 1715. 62.
b) 1836. 9. §. 9.

vineis, pascuo, interdum separatis etiam silvis. III. Ad cousum fructuum silvestrium, et, ubi hactenus praevigueerat, ad lignorum focalium, et aedilium beneficium, tametsi silvae in possessione duntaxat Domini consisterent. IV. Tum educilli, glandinationisque, juxta praescriptam regulam; aliis quibusdam praeterea favoribus.

§. 312.

Praestationibusque stabili norma definitis.

Pro his vicissim obligabantur praestare Domino suo 1. Domiciliati censum annuum admodum exilem. 2. Nonam ex frugibus, et vino suis in fundis procreato, operasque determinatas, sed quae nequeunt augeri, vel cum Rustici gravamine alteri elocari, aut illo reluctante, in aliam praestationis speciem converti; verbo 3. Nullam praeter praemissa servitia seu personalia, sive realia, vel alibi locorum vigens laudemium exigere integrum fuit. Quamvis autem fundi, quem incolunt, excoluntque, proprietatem Domini terrestris leges, eotum perlatae, pronuntient, nihilominus hi ab iisdem nunquam, nisi ob causam unicam disertim expressam [a]), et tunc quoque nonnisi authore Praetore erga plenam indemnisationem adimi, vel citra aequivalens in alios permutari admittuntur, super quibus obligationibus mutuis liberum quidem relictum fuerat, contractus forma legali ad tempus, vel in perpetuum ineundi, semper tamen nonnisi legis provisione pro subditis faventiores, nunquam autem graviores [b]).

§. 313.

Multo ac antea.

Absit, ut contendam, nihil fuisse, quod colonus seu pro status sui conditione optare praeterea, vel de quo retroactis sub epochis non jure conqueri aliquando potuisset; hoc tamen veritate duce fidenter enuncio, illos qui sortem colonorum in Hungaria aterrimis depingunt coloribus, et ad nostram, Patrumque memoriam nos de inhumana duritie continuo accusare adhucdum non desinunt, nimium exstitisse, exstareque injuriosos *). Ignorabatur quippe

---

a) P. II. Titt. 40.
b) Vid. instar omnium 1836. 8.

apud nos, idque a remotissimis pene seculis, vile, atque indignum homine mancipii nomen; vidimus paulo ante et liberam colonis facultatem aliorsum commigrandi, ante annos propemodum sexcentos, ab Arpadianae stirpis Regum ultimo attributam, et postquam seditionis causa ademta fuerat, paulo post iterum restitutam; ac tandem sub Josepho II., quod insequens Regni Conventus probavit, subditelam glebae adstrictam in perpetuum abolitam, multiplices praeterea concessiones ad personalem, ac realem securitatem attinentes. Quam plurimis exemplis manifestum redditur, hanc incolarum Classem nec adipiscendae nobilitatis, nec complurium civilium munerum fuisse incapacem, de quo suo loco sermo redibit. Patebat injuriato aeque, ac in causam attracto via ad superiora Regni Tribunalia, ipsamque Regiam Majestatem, cui ex officio causidicus publicus adsistere obstringebatur. Ut non omnia singillatim enumerando prolixior fiam, diaetales sanctiones inferius enumero [a]), queis internae colonicalium communitatum coordinationi, antequam subditi esse cessassent, regulam posuerunt: puta locali magistratui, ordinate constituendo, non absimiliter communibus proventibus, loculisque, sorti demum pupillorum consulte prospectum fuit. Ad haec saevities adversus subditum exercita [b]) praeter indemnisationem, laeso ex integro procurandam, ut publicum delictum vindicandum statuitur **).

*) Huic themati praeter alios operam suam devoverunt Carolus Pauly in Constit. Urbarii Reg. Hung. — Joannes Csausánszky Extractu Synopt. Urbarii. Georgius Pfahler, et Gregorius Berzeviczy, quorum ille erudite omnino Jus Georgicum Regni Hungariae, et Partium adnexarum; iste dissertationem conscripsit, de conditione Rusticorum in Hungaria; at posterior partium studio magis multo, quam veritati deditus, exteris, rerum nostrarum parum gnaris, exagerando turpiter imposuit.

**) Salutares, quas recensui, dispositiones saepe numero violari potuisse, violatas etiam fuisse, facile largior, ast denegare querulantibus auxilium quasi in morem abiisse, quod in pagellis calumnariis adeo frequenter objicitur, istud profecto lites adversus Saevitiem, et cujusvis generis perpetratas

---

a) Cit. 1848. articulos 39. 40. 41. — 1791. 35. — 792. 12. 1836. 9. et 10.
b) 1723. — 18. et post mult. 1836. 4. 7. 10.

injurias omni tempore erectae, ac poenae eapropter delinquentibus irrogatae, verbo Archiviorum tabularia abunde refellunt, quin, si ratio praesentis lucubrationis, et brevitatis cura id admitterent, vix arduum mihi foret ad oculum evincere, Ruricolarum, Colonorumque sortem in Hungaria dudum multo prius, quam alibi, exstitisse tolerabiliorem.

§. 314.

Favorabilior evasit.

Alioquin spiritu sedato qui hanc colonorum nostrorum conditionem perpenderit, facile admittet, illos velut homines liberos, ac veri nominis Patriae filios fuisse legum praesidio, atque Imperii Majestate defensos. Et id justissime profecto, nam, ut alia modo non commemorem, quae ab utilissima hac incolarum classe in Rempublicam commoda redundant, illa ipsa erat, quae magna in parte Tyrones militiae regulatae, Tributa pro stipendiis, cassae domesticae nervum, structuris publicis manus, vecturasque, et saepe gratuitas subministrabat. Magna in parte dixi: enimvero ad publica haec onera non modo privilegiati etiam Districtus, Civitates, oppidaque, ne Nobilibus quidem in his communitatibus, realia beneficia tenentibus, exceptis, pari ratione, verum etiam mercatores, quaestores, opifices, ignobiles tandem nobilitarium Praediorum, Possessionum curialium, vel beneficiorum locatores, haud contemnenda quotta, et aequa in proportione concurrebant, mediate ipsi locorum populosorum terrestres Domini, ii etiam, quorum colonis vacua territoria, quae praedia vocamus, indeque citra ullam restrictionem suos in reditus usuata incolis saepe loginque, ac notabilibus beneficiis allectis ultro, volentesque percolenda tradiderunt, idque nonnisi erga obventiones lege limitatas, quas largienti Domino minuere, nequaquam autem augere liberum mansit, non aliam certe justam ob causam, quam quod hae publicorum onerum species colonis perferendae incumberent, quorum proinde onerum partem hac rei suae restrictione Dominus mediate indubie ferebat.

§. 315.

De oneribus Nobilitatem antea.

Vera cui magis, quam placentia amplecti, est animus,

si deflectendo parumper ab Urbarii institutione, ad publicos proventus, in communes Status publici necessitates destinatos, puta salium, vel tricesimarum, advertat; si perampla Jura Fisci in bona Nobilium, sine haeredibus decedentium, nec non viduatarum Ecclesiarum, quin a morte Praelatorum ad ipsas horum facultates protensa respiciat; si porro recordari voluerit, communiter cameralia bona privatis, praemissa aestimatione, conferri, et juxta hanc allodialium terrarum, caeterarumque dominalium immunitatum, ac beneficiorum eo pretio, cujus census annuus huicce immunitati correspondet, ab impetrante in antecessum exigi svevisse, adeoque eundem, pro redemto condigno pretio onere, huic iterum subjici jure vix posse, profecto confitebitur: Regni nobiles quidem, et imprimis terrestres Dominos symbolam suam ad Status indigentias hactenus — cedo — non eadem mensura contulisse, cuncta tamen onera, status publici erogationibus deservitura, ignobiles tantummodo ruricolas sic exclusive, ac unice tulisse, ut nobilitatem nulla prorsus in parte ferirent, pro commento reputabit, invidiosaque oggestione, ad nauseam usque tanta cum acerbitate nostris diebus ab illis potissimum decantata, qui rerum nostrarum ignaros fallere, Juventutem erroneis impraegnare opinionibus, vatinianum odium, quo quaevis privilegia cum privilegiatis prosequuntur, commune reddere, spargere diffidentiam, et quietum antea populum concitare non desinebant, atque obfirmato animo passim continuare pergunt. Insurrectionem, atque a quinquaginta, et quod excedit, annis compluribus vicibus per solam Nobilitatem oblata largissima omnino subsidia, velut quae extraordinariis sub adjunctis locum habuere, cum prioribus conjungere prudens abstineo.

§. 316.

Et deinceps ferientibus.

Supervenere hanc in rem praeteritorum Comitiorum Decreto, quod jam multoties provocavimus, sanctiones — a veteri Regni Constitutione, ac systemate ex integro divergentes, queis publica onera ita volente, proponenteque rem ipsa illa privilegiatorum classe, quae antea ab istis immunis persistebat, per Hungariam, et partes adne-

xas a quibusvis aequali proportione erunt supportanda; sufferuntur adhaec praestationes, ac servitutes subditorum, Domino, cui obligatio tributaria accrevit, erga indemnisationem, justa aestimatione eruendam, compensandae. Aboletur denique omnis nexus subditum inter, et terrestrem Dominum, cum dominali jurisdictione, judiciique potestate. Haec summarie exponere sat fuerit, cum uberior notitia ex ipso fonte [a]) hauriri commode possit.

---

[a]) Vide 1848. 8. 9. 10. 11. 12.

Conspectus

Juris Publici


Regni Hungariae

ad Annum 1848.

Historicis Animadversionibus Illustratus

per

Comitem Antonium Moysem Cziráky.



TOMUS II.

Opinionum commenta delet dies.

Cicero.

VIENNAE, 1851.

Typis Joannis B. Wallishausser.

Grave enim Tibi est hujus climatis tenere Regnum, nisi imitator consvetudinis ante regnantium exstiteris Regum. Quis Graecus regeret Latinos graecis moribus? Aut quis Latinus Graecos Latinis regeret moribus? Nullus.

S. Stephanus Decret. L. 1. C. 8.
in monitis ad Filium Emericum.

TOMUS II.

Liber IV.

De Juribus Majestaticis.

Caput I.

De Juribus Majestaticis generatim.

§. 317.

Jurium Majestaticorum.

Complexus Jurium, quae Imperio tamquam potentiales ejus partes insunt, Majestas [a]: ipsa vero haec Jura Majestatica audiunt *). Cumque Imperii Civilis idem sit finis, qui societatum civilium, securitas nimirum, ac felicitas Populi, quae sua iterum fundamenta in justitia reperiunt: profecto partes hae summi Imperii, et quibus in rebus, quibusve modis se vis illarum in Civitatibus exerat, non aliunde rectius, quam ex natura, atque fine ipso Imperii colligitur.

*) Regalia nonnulli condam adpellare maluerunt, sed legibus nostris Jura regalia potius ii proventus, et emolumenta audiunt, quae sua origine sacrae Coronae propria, ab eadem partim abalienari nequeunt, partim privatis conferri possunt [b]), et aliter curialia quoque vocantur.

§. 318.

Diversa Partitio.

In subdivisione Jurium Majestaticorum variabant vehementer Doctores Juris Publici, praesertim recentiores. Multi etiamnum Martinio duce [c]), politicam illam supre-

---

a) Martini Pos. Jur. Pub. Univers. C. 3. §. 55.]

b) 1723. 21.

c) Opere nunc cit.

mae potestatis triadem, legislatoriam, inspectoriam, et executivam retinendam putant [a]); dum contra numero, et auctoritate vix inferiores [b]), judiciariam inspectoriae substituunt, tamquam e binis prioribus, legislatoria videlicet, et executiva, velut medium ad finem suapte profluenti. Quidam [c]), duas tantum essentiales Imperii partes admittunt, legiferam, et executivam. Sunt tandem, qui nec tribus contenti, his plura adhuc ampliori partitione adjungunt [d]).

§. 319.

Quae nobis accomodatissima.

Non sum, qui seu variis his doctrinis ad incudem revocandis, immorari diutius, minus qualemcunque earum reprehendere velim, quarum quamlibet non absque fundamento propugnari posse intelligo; accomodatissimam tamen, relate ad instituta nostra, Jurium Majestaticorum divisionem invenio, in Jura stricte Personalia, ex ratione honoris, ac dignitatis Sacrae Regis Personae adhaerentia: atque Jura Regiminis, quae ad Supremae Gubernationis potestatem referuntur. Qua in partitione habeo complures Juris publici Commentatores mecum utcunque consentientes.

§ 320.

Continuatio Argumenti ejusdem.

Jurium porro Regiminis partitionem generatim in interna, et externa cum ipso operis limine designavi (II). — Ad illa refero Jus ferendarum legum, potestatem executivam, et judiciariam, quam posteriorem ideo praecise a priori subdistingvo, ut organicarum legum nostrarum tramiti insistam; fateor etenim me judiciariam reapse pro con-

---

a) Egger, das natürl. öffentl. Recht p. 65. — Klübber, im öffentl. Rechte des deutschen Bundes. §. 278. — 280.

b) Vid. Joann. Chrisost. Freiherrn von Arretin, Staats-Recht der constitutionellen Monarchie 1. Th. a p. 175. — 179.

c) In specie Pölicz, in Opere: Staats-Wissenschaften im Lichte unserer Zeit. 1. Th. p. 186.

d) Ancillon über die Staatswissenschaft. Schlötzers Staatsgelehrtheit S. 100. aliique complures. Conf. Klübber, im öffentl. Rechte des deutschen Bundes ad §. 98. et 99.

sectario executivae habere, multumque veri eorum inesse sententiae existimo, qui binas tantum essentiales Imperii partes relate ad Jura Regiminis stabiliunt, legislativam videlicet, et executivam.

§. 321.

Quid potestas Rectoria?

Admitto lubens a multis viris doctissimis [a]) non sine vera, et justa causa, potestatem Rectoriam compellari potius, quam ego executivam nomino *): at mihi terminus, Legislationi nostrae familiaris, retinendus videbatur, praesertim in Jure positivo versanti, ubi a terminologia legis recedere vix aliquando consultum esse puto. Et quid obstat servare hanc expressionem, si sub executivae potestatis nomenclatione nos eandem intelligere aperte profiteamur, quam alibi nunc rectoriam compellant?

*) In formeller Hinsicht — inquit Jordan — kann sich die Staats-Gewalt der Form nach äußern: 1. als Gesetzgebende Gewalt (potestas legislatoria), 2. als richterliche Gewalt (potestas judiciaria) und als befehlende, oder regierende Gewalt (potestas rectoria). Daher sich die Gesetzgebende Gewalt durch das Gesetz (Lex), die richterliche durch den Rechtsspruch (sententia), und die regierende durch den Befehl (Mandatum) äußerlich kund gibt.

§. 322.

Jura Regiminis externa.

Ad externa Jus Belli, et Pacis: Jus item Foederum, ac Legationis pertinet, quibus nonnulli adhuc supremum in Copias Imperium adjiciunt [b]). Horum itaque Jurium Majestaticorum tam internorum, quam externorum singula, et quae ab his, velut generalibus, in specifico deducuntur, dum suo nunc ordine assumentur, quanta sit in uniuscujusque exercitio secundum Regni nostri gubernationis Systema Regis potestas? Quid item circa haec Regni Statibus in — vel extra Comitia sive per diversas leges, seu usu, et consvetudine proprium fuerit? candide erit edicendum.

---

[a]) Conf. Arretin op. cit. P. I. p. 170. ad notam 4.

[b]) Inter hos Jordan oper. cit. p. 347.

§. 323.

Divisio alia.

Nostratibus Jurisconsultis hactenus Jura haec Imperii etiam in reservata, et communicata, vulgo comitialia dividere usitatissimum fuit. Neque huic ego discrimini in thesi habeo, quod opponam, quin integre illis Juris nostri publici Interpretibus assentior, qui summam Regis Hungariae potestatem non alios unquam agnovisse limites propugnant, quam qui disertis legum tenoribus, vel legi aequipara consvetudine nituntur. Observo tamen, quod ante me jam Schwartnerus [a]), tametsi eandem distributionem secutus, diffiteri non poterat; istam nempe theoriam ingredientibus multas occurere difficultates. Enimvero difficile, et anceps manet in ipso rerum usu de plerisque definire, quae ad unum, alterumve genus referenda sint. Nobis autem hoc sane difficilius, quoniam, de qua loquor, Regni nostri constitutio non unius Comitii partus, illaesis quantumvis fundamentis, octingentorum annorum intervallo varias subiit vices. Nuspiam Jura Coronae, Regisve, nuspiam Regnicolarum Jura specifice recensentur. Nituntur multa usu diuturno : alia ex natura, et regiae potestatis plenitudine suapte eliciuntur *). Circa quaedam controversa, vel ambigua per authenticam legislationis interpretationem Regem inter, ac Regnum nuspiam conventum fuit.

*) „Solche Verfassungen, die sich aus den Umständen, und den „Verhältnissen allmählig emporgearbeitet haben — scribit vir „profundi judicii [b]) — sind gewöhnlich nirgends in Worte, „und Formeln verwandelt niedergeschrieben. Um sie kennen zu „lernen, und sie gehörig zu würdigen, muß man sie im Gange „sehen, und nicht von den todten Buchstaben der Gesetze das „erlernen wollen, was nur die Betrachtung des Staats-Lebens „selbst geben kann. Solche Verfassungen sind mit der Vergangenheit verbunden, und treiben historische Wurzeln, alle setzen „mehr oder minder die Theilung, nicht der obersten Staats-„gewalt, aber der Verrichtungen derselben voraus."

§. 324.

In Jura reservata, et communicata.

Ad haec quoniam Juribus etiam iis, quae reservatis

---

a) Statist. des Königreiches Ungarn. P. II. §. 30. p. 93.

b) Fridrich Ancillon zur Vermittlung der Extreme in den Meinungen. 1. Th. p. 384.

indubie accensenda veniunt. Regi ex mente Legum utendum est: haud infrequenter responsa Principis reddita ad Regnicolarum petitionem, causa violatae legis, praetensaeque illegalitatis, vel aliam ob rationem interpositam, aut — si stilo forensi loqui mavis — ad postulata, et gravamina Regni ibi quoque legi ex mutuo consensu ferendae materiam subministrant, ubi secus integra, solutaque a Comitiali consensu Regis fuisset potestas. Magno itaque in errore versantur, qui objectum qualecunque ideo unice, quia aliquando ob specificam causam ad diaetalem tractatum venit. legisque sanctionem tulerat, eo ipso inter Jura communicata promiscue connumerant; prout pariter et illi, qui praecise a praecatoriis, ad Regiam Majestatem directis. legis cujusdam formulis. inde meritum, illic occurrens, pro reservato Jure, et mera Principis liberalitate pronunciant.

Caput II.

De Personalibus Regis Juribus. Ex ratione Dignitatis.

§. 325.

De Independentia Regis, et Regni.

Erant olim, cujus rei paucis meminisse a proposito nostro alienum non videtur, quos inter Henrici II. Imperatoris Biographus [a]), Goldastus [b]), Petrus Ludvig [c]), qui Hungariam Imperio Germanico: alii, qui Sedi Apostolicae fiduciariam fuisse assererent. At utramque harum opinionum docti, indoctique pro fabellis pridem exploserunt. Enimvero, quod prae multis aliis Josephus Benczur egregie condam illustravit [d]), nulli unquam extero Principi, vel Genti obnoxia, sed suo cum Rege libera semper, suique Juris fuit Hungaria; cujus scilicet autonomiam summi, qui eandem gubernabant, terrae Principes omni tempore illibatam servarunt. Vere profecto art. 10. 1791.

[a]) Apud Canisium T. 3. p. 390.

[b]) Op. et loc. cit.

[c]) In Germania principe L. 1. C. 2. p. 48.

[d]) Dissert. cui titul. „Hungaria semper libera suique Juris.“

Regnum hoc liberum, nullique alteri Regno aut Populo obnoxium clarissime profitetur.

§. 326.

Summa Majestatis Dignitas.

Jure hinc infertur, vel ob eam ipsam, lege enunciatam, rationem nomen Majestatis legitimo Hungariae Regi, qua supremo ejus capiti, irreflexe ad reliquas, queis imperat, Regiones proprie competere *); cui insuper propterea sacratissimae cognomentum adhaesit, quod Regis quidem Persona sancta omnino, et inviolabilis; hujus autem Sanctimoniae ea sit vis, ut nec verbis, nec factis inpune laedatur [a]). Atque istud justissime profecto: Patriam enim laedit universam, qui injurius evadit in Regem, et Dominum, cujus illa regitur spiritu, sollicitudine defenditur, auctoritate sustentatur. Nec habet Rex noster in terris quemquam se in Regno superiorem, aut cui fas foret, vi eidem resistere [b]).

*) Majestatis compellatio, qua accomodatior Imperantibus tribui nequit [c]), aliquando soli Romanorum Imperatori credebatur deberi [d]), ast pedetentim Regibus quoque communis evasit. Nostros inter Ludovicum Magnum, vulgaris fert traditio, hoc primum fuisse excultum. Recurrunt praeterea varia in antiquis monumentis, ac quaedam plena devotionis elogia. S. Ladislaus, et post hunc Colomannus christianissimi; Andreas serenissimus; nonnulli illustrissimi nominabantur. Maria I. excellentiae titulo usa est [e]).

§. 327.

Ejus attributa.

Eminens haec Regiae Majestatis dignitas (á Királyi Felség' Méltosága) externo quoque repraesentatur splen-

---

a) Dec. S. Steph. L. 2. C. 51. Colomanni L. 2. C. 6. P. I. tt. 14. et post leges multas, recentissimum 1848. art. 3.

b) Huc conspirat 1687. 4.

c) Bielfeld Staatskunst T. 2. C. 13.

d) Mabillon de Re Diplomat. L. 2. C. 7. §. 6. Item Real Staatskunst. 5. Th. 4. Cap. 1. Abschnitt. — Conferri meretur Car. Mozer in kleinen Schrift. T. 6. p. 30. et seq.

e) Inspice laudatorum Reg. Dec. praesertim Praefat. et Conclus.

dore, cujus praecipua attributa censentur, praeter Regalia Ornamenta, de quibus Libro II. Cap. III. actum est, I. Titulus. II. Regnorum Scuta. III. Sigilla Regia. IV. Residentia Regis. V. Aula. VI. Ordinis inter caeteros Regnantes Praerogativa. VII. Alia denique publicae Venerationis Symbola; quae cuncta totidem Jura sunt Regis personalia, a summa Ejusdem dignitate derivanda.

§. 328.

I. Titulus Regis Hungariae.

Titulus Regum Hungariae initio simplex fuit, nam divus Stephanus se duntaxat Regem Ungarorum, vel totius Hungariae, quandoque Pannoniae dicebat [a]). Auctior sensim factus pro ratione Provinciarum, quae diverso licet Jure, et alio, atque alio tempore sic accrevisse vidimus, ut jam cum exitu primae Periodi, Reges Hungariae illos passim, quibus qua tales in hodiernum diem utuntur, Regnorum titulos praeseferrent [b]). Demta tamen Sclavonia (8), et Transilvania, quarum nomina verosimiliter ideo, quod a Stephani I. aetate, velut partes Territorii Metropolitani, sub una Regni Hungariae compellatione venirent, multo his serius accesserunt.

§. 329.

Cum Agnomine Apostolici.

Ad haec ut Galliae Reges christianissimi, Hispaniae Catholici, Lusitaniae fidelissimi ornantur encomiis; ita nostris, propter insignia S. Stephani in rem Christianam merita, proprium illud Regis Apostolici accessit, licet in vetustis diversarum epocharum paginis nuspiam exprimatur. Ne proinde quid officiat incerta origo, nomen istud Clemens XIII. Pontifex Maximus Mariae Theresiae, legitimisque in solio hungarico Successoribus sem-

---

[a]) Conf. Pray Syntagma de Sigill. Reg. et Regin. Hung. p. 52. et seq.

[b]) Palma Dissert. de peculiarib. Titul. et Insig. Magnae Mariae Theresiae §. 1. ad [a]).

piternum asserere optavit [a]). Atque ab eo tempore Reges nostri illud passim et ipsi in publicis Rescriptis, aliisque solennibus Litteris, imprimis Hungariam tangentibus, adhibent; et ab exteris hoc cognomento salutantur. Illorum porro exordia communi summis Principibus jure, et exemplo, solitas illas initiales formulas „Nos Dei Gratia, „vel Divina favente Clementia" inde a Regiae Dignitatis initiis constanter praeseferunt.

§. 330.

Hodiernus.

Scribit itaque Austriae Imperator in praesentiarum se relate ad Monarchiam Hungaricam: Divina favente Clementia Hungariae, Croatiae, Dalmatiae, Sclavoniae, Galiciae, et Lodomeriae, Ramae, Serviae, Cumaniae, Bulgariae Regem Apostolicum, Magnumque Transilvaniae Principem [b]).

§. 331.

Ad Jura Coronae enuncianda.

Est etenim, fuitque a longe remoto jam tempore solenne Principibus nostris, vetustissima sacrae Coronae Jura in illas etiam Provincias, quas iniquitate fatorum amisissent, per id palam asserere, atque propugnare, quod earundem nomina constanter retinuerint. — Istud si alibi Rectores Provinciarum plurimos ea de causa egisse novimus, ne suis in ditiones, antea possessas, praetensionibus taciturnitate renunciasse existimentur [c]): quanto id magis legibus nostris, Pactisque fundamentalibus (47) plene consentit [d]).

---

a) Hanc Pontif. Bull. per extens. edid. Fr. Ad. Kollár in Hist. Diplom. Juris Patron. Ap. Reg. Hung. p. 65. Et Palma in Specim. Herald. Reg. Hung. p. 21. et seq. Conf. P. Cs. Unvorgreifliche Gedanken von Ursprung des Tittels Apostolisch ꝛc.

b) Vide. Dec. Divi Francisci, nec non Ordinat. Consil. Locum. Reg. dd. 17. Augusti 1804. post. assumt. dignitat. haered. Imper. Aust.

c) Achenvall Europäische Staatverfassung in der Vorber. §. 30. Bosius in Introd. gen. Rerumpubl. C. 3. §. 72.

d) Speciatim Diplom. Inaugur. Puncto 3.

§. 332.

II. Scuta Regnorum.

Quod de Titulis Imperantium ad indicandam Majestatem, et Jus in Regiones actu, vel aliquando possessas, paulo ante notavimus: idem de Scutis tenendum est, quae velut Insignia Regni sensu strictiori accepta, tot itidem constituunt authentica documenta, ad supremam auctoritatem, et virtuale simul dominium, ut cum nostris Jureconsultis loquar, in avulsas quoque Provincias retinendum. Scutorum originem, nec non mutationem, quam postea forte subierunt, prolixius discutere, indeque varias utriusque figere Periodos, artem heraldicam ex professo respicit; nec tamen supervacaneum existimo, propria uniuscujuslibet Provinciae, ad Coronam hungaricam pertinentis, Insignia brevissime isthic describere.

§. 333.

Hungariae, Croatiae, Dalmatiae, Sclavoniae.

Hungaria exhibet Scutum perpendiculare, in duas rubras divisum areas, in quarum sinistra sunt fasciae argenteae quatuor, in dextra vero tres montes virides, quibus ex aurea Corona vulgari emergens argentea Crux duplicata insistit *). Croatia Tessellas argento, et minio tinctas; Dalmatia in Clypeo caeruleo coronata tria Leopardi capita aurea. In Sclavoniae Scuto, quod gemini fluvii, horizontaliter ducti, in tres areas dividunt, summa area in qua stella fulget, ac infima caerulea est; mediam autem coloris viridis, fluminibus interceptam, martes currenti similis, vetus gentis insigne, occupavit, reliqua Wladislaus II. adjecit [a]).

*) Per fascias quatuor praecipuos Hungariae fluvios Danubium, Tibiscum, Savum, et Dravum; per montes totidem carpaticas Alpes, quae vetustissima compellatione Tatra, Fatra, Matra dicuntur; per crucem demum duplicatam, quam alias patriarchalem vocant, potestatem circa Sacra Regibus nostris, accedente pontificia largitione, ampliora subintelligi, verosi-

[a]) Per Diploma in Fr. Car. Palma Specim. Herald. Reg. Hung. p. 59. vulgatum.

milius esse reputo, quam quod alii statuunt, expeditionem Andreae II. in Palaestinam susceptam [a]).

§. 334.

Et reliquarum Provinciarum.

Galicia praesefert tres coronas aureas, veteri more cuspidatas, in campo caeruleo. Lodomeriae, sive Vlodomiriae, Scutum aeque caeruleum binae fasciae, tesseris rubeis, candidisque distinctae, transversim permeant. Rama pro insigni brachium argento cataphractum, strictam dextrorsum vibrans frameam, in campo coccinio habet; Servia caput apri silvestris, sagittam rubeam, ori impositam gerens, in campo argenteo; Cumania porro in campo aureo Leonem nigrum erectum dextrorsum, anterioribus pedibus, ad raptum protensis, lingva rubicunda exerta, cauda post tergum projecta, et radicantibus pone caput ipsius, — hinc decrescente luna corniculata, illinc stella sexangula utraque rubea. Pro Bulgaria denique in scuto rubeo tres vertagi, sibi superpositi, visuntur *). Subjicimus demum Transilvaniae Scutum, quod per medium ducta fascia divisum conspicitur, cujus campum superiorem caeruleum aquila crescens in comitatu solis, et lunae; inferiorem autem argenteum, castella septem, quatuor super tribus occupant.

*) Auctoribus hic multum saepe variantibus, depromsimus ista Regnorum Symbola, quibus, demto Transilvanico, ornata vexilla neo coronato Regi per Magnates praeferri solent, eisdemque in memoriam dono cedunt, ex fonte quam maxime authentico: Diplomate videlicet Regiae Scientiarum Universitatis Hungaricae fundationali, quod cuncta ad ammussim depicta continet; et cujus originale in Archivo Regni repositum ipsi inspeximus.

§. 335.

III. Sigilla Regum.

Sigilla leges nostrae Regibus Hungariae propria quin-

---

a) Georg. Pray Syntag. Hist. de Sigill. Reg. et. Regin. Hung. L. 2. C. 2. §. 36. et seq. De his Scutis conferri potest Car. Palma op. nunc cit. Ejusdemque Dissert. de pecul. Tit. et Insig. M. M. Theresiae Aug. Item P. Honor. Novotny Sciagr. P. I. p. 260. et seq. A. R. Namestnik Darstellung des Wappen und Adelsbeweises. Wien 1824.

que numerant [a]). Bullam auream, Sigillum duplex, Secretum, Judiciale, et Annulare. Quando vero, aut quibus in negotiis singula obtinuerint? ex usu sui temporis Nicolaus Istvánfyus, vir in Republica exercitatissimus, epistola ad Archi-Episcopum Pázmannum scripta, prae aliis explicatius docuit [b]).

§. 336.

Sub Bullae Aureae nomine.

Aurea Bulla, cujus antiquissimum indicium in Litteris Geisae II. hactenus deprehendimus [c]), ex auro solido, quandoque e lamellis cavo introrsum spatio confecta, quovis tempore gravioribus tantum magni momenti paginis appendebatur; quales in exemplo praeter vetus illud libertatum Palladium (XVII) fuere, quibus Bela IV. homonymum Gnatum totius Sclavoniae; Ludovicus I. Stephanum germanum suum Transilvaniae Duces; Mathias Corvinus Nicolaum ab Ujlak Bosniae Regem creavit [d]). Hodie, imo utcunque a tempore Regiminis Domus Austriacae, Bulla aurea Principes nostri stricte Hungariae propria *) non amplius utuntur.

*) Alterius enim generis illa fuit, qua Leopoldus I. Confirmatorias super Fundatione Benedicti Kisdy Episcopi Agriensis pro erigendo Collegio Societatis Jesu Cassoviensi cum 60,000 florenis, titulo perpetuae dotis facta, A° 1660. die 7. Augusti ornavit [e]); prouti e sequenti conclusione colligitur: „Harum Nostrarum manus Nostrae subscriptione, Sigil- „lisque tam Bullae Aureae, quo ut Romanorum Im- „perator, secretique, quo ut Rex Hungariae utimur, „appensione munitum vigore, et testimonio Litterarum" etc. Alia etiam Bulla Aurea insignitur Diploma Caesareo Regium [f]), quod Transilvaniam in Magnum Principatum evexit, atque in haec verba desinit „Ad cujus rei testimonium, et „perpetuam memoriam praesens Diploma dedimus Aurea Bulla „Majestatis Typario insignitum, propriaeque manus nostrae

a) 1471. 8.

b) Ex ista locum huc pertinentem inseruit Pray Op. cit. de Sigill. Reg. Hung. L. 2. C. 3. p. 73.

c) De Anno 1156. cujus Pray eod. in opere meminit p. 31.

d) Consule Pray opere tot. cit. p. 76.

e) Orig. exstat inter Acta ejusdem Collegii aboliti.

f) Conservatur Claudiopoli in Archivo Gubernii Transilvan.

„subscriptione firmatum Viennae 2. Novembris A° 1765. M. „Theresia. Princeps Kaunitz Ritberg. Fr. L. B. „de Binder.“ Monumentum istud nequaquam ex hungarica, verum e Cancellaria Status — ut vocant — intima emanasse, subscribentium nomina ad oculum propalant.

§. 337.

Sigillum Duplex.

Duplex Sigillum inde cognomentum accepisse novimus, quia reales, prout has Artis Sphragisticae gnari appellant, Sigillorum Inscriptiones utrinque insculptas habet: parte quippe adversa imaginem Regis, regali habitu, clenodiisque condecorati; aversa vero Hungariae, eoque spectantium Regnorum insignia. De hoc Duplici Sigillo, quod passim antea, quam Ferdinandus I. Sceptro potiretur, Regiis Donationibus signandis deserviebat, diserte statuitur [a]): ut antiquo pro more apud Regni Primatem custodiatur, qui eodem e manibus Regiis, praesente Aulae Cancellario Hungarico, recepto, juxta instructionem, sibi una fidelia tradi solitam, signare consvevit, quoties summi. et Secretarii Cancellarii munere Litteras Armales, aut alterius ordinis Privilegia *) ad ejusdem etiam commendationem expedita, sua munit subscriptione.

*) Produxit eruditus Prayus in opere modo admodum laudato [b]) Litteras Ferdinandi I., Datum Viennae die 26. Decembris Anno Domini 1542. praeseferentes, in quibus sequentia leguntur: „Volentes igitur praefatum Do- „minum Paulum Archi-Episcopum in antiquis Juribus, et „Privilegiis suis conservari, decrevimus et constituimus, ut „idem tamquam summus Secretarius, et Cancel- „larius noster Litteras omnes praedictas Confirmationis „Armorum, et Creationis Comitum perpetuorum, et nemo „alter conficere, et expedire debeat“ etc. Verum usus in praesentiarum contrarius pridem invaluit.

§. 338.

Secretum, Judiciale, Annulare.

Secretum, Judiciale, Annulare, simplicia

a) 1741. 10. 1751. 3.

b) De Sigillis Regum p. 116.

semper fuerunt. Primum genuina sub forma, Majus scilicet, Minusque Cancellaria Regia Hungarica conservavit, et ad quasvis Dicasterii expeditiones adhibuit. Alterum, Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenenti concreditum, pro Instrumentis, atque Mandatis Judiciariis nomine regio roborandis *). Annulare demum privatis, vel subitis Principis negotiis diu destinatum erat.

*) Judiciale Sigillum in principio haud fuisse ab regio diversum, ex S. Ladislai decreto [a]) colligi potest, quo jubetur „ut si aliquando Palatinus Comes domum iverit; Regis, et „Curiae Sigillum, qui in vice ejus remanserit, illi dimittat, „ut sicut Regis una est Curia, et ita unum Sigillum persistat."

§. 339.

Materia Regiorum Sigillorum.

Materia regiorum Sigillorum diu, si Bullam Auream demas, in Hungaria cera alba fuerat; successit a temporibus Sigismundi, atque Alberti rubrae usus, Imperatoribus potissimum illa aetate reservatus, quorum imitatione eam Reges nostri sibi propriam reddiderunt adeo, ut aliquando illa nemini signare licitum foret, nisi veniam, aut privilegium desuper consecuto [b]).

§. 340.

IV. Residentia.

Sicut olim universi fere per Europam Regnantes, ita nostrates quoque nullum quodammodo fixum domicilium primis Monarchiae initiis sibi delegerant. Interdum Strigonii *); Andegavensium prosapia sati Visegradi communiter residebant. Habebant praeterea sparsa per Regnum palatia, ubi per vices commorabantur; hic tuendorum finium gratia, illic publicae rei procurandae, Jurique supremo dicendo intenti; quem in finem, ut quotannis festo divi Stephani Albae Regiae solenniter praesentes agerent,

---

[a]) L. 3. C. 3.

[b]) Conf. Schwartner Intr. in art. diplom. ed. 2. P. II. C. 4. §. 110. et seq. et Dipl. Lad. V. Reg. ap. Pray Analect. P. III. p. 125. et seq.

non una lege sancitum reperio. Budae, quam Sigismundus prae caeteris selegerat, subinde Mathias Corvinus Aedes regias augusto molimine ad eam, quam Italia miraretur, operis magnificentiam eduxit, sub Turcarum dominatu in rudera, bustumque redactam.

*) Strigonium pro Metropoli Hungariae et Arnoldus [a]), et Biographus Conradi Archiep. Salisburgensis [b]) nominant, dubio nihilominus uterque locum reliquit, utrum sedem duntaxat Archiepiscopalem, quae tempore, de quo loquuntur, unica Metropolitana per Regnum Ecclesia exstiterat, an simul pro Aula Regia defixam designare intenderint, Rogerius [c]) illam in Hungaria omnes praecellere Civitates ait.

§. 341.

Quae modo Viennae est.

Postquam Austriae Archi-Duces Nobis praeesse coeperant, Vienna Principum nostrorum continua evasit sedes; abinde itaque Regnicolae saepissime Regis sui praesentiam petitione urgebant [d]); temperate nihilominus jam id unum postulantes, ut in medio eorundem, et intra Regnum residere velint, quando graviores Europae curae commode admiserint [e]). Ad secundanda vero ardentia haec Gentis vota Magna Maria Theresia in ipsa Regni Metropoli anno prioris seculi nono supra quadragesimum peramplum habitaculum regium jussit resuscitari, eo loco positum, ubi vetus Regia exstabat.

§. 342.

V. Aula.

Coaevam, et parem cum Residentia sortem Aula Regia subiit, nam ex quo, qui Hungariam regunt, Romanorum antea, nuper Austriae Imperatores evaserunt, imperatoria Aula circumdati conspiciuntur; nisi quod Nobilis Turma

---

a) Chron. Slav. L. 3. C. 29.

b) In Codice Petzii C. 14.

c) Carm. miserab. Cladis Tartar. C. 38.

d) Legum huc facient. praecipuae sunt. 1439. 22. — 1536. 57. — 1546. 18. — 1548. 22. — 1550. 4. — 1608. 18. a. c.

e) 1723. 8. — 1741. 7. — 1751. 1. — 1790. 9. — 1792. 5.

praetoriana, auctore iterum Maria Theresia Anno 1760. e juventute Hungariae, Partiumque adnexarum composita, Regi, Regiaeque Familiae custodiendis constanter Viennae moraretur, quod item, qui ex Aulae Familiarium coetu, tredecim annis serius, per eam Ipsam Augustam Principem resuscitato *) coram adsunt, festis diebus splendorem augeant, quandoque Aulica obeant Dapiferorum ministeria.

*) Non erat quippe haec Jnstitutio antea etiam domi incognita, sane complura, quorum Schwartner meminit [a]), diplomatica vestigia ostendunt, quoddam aulici servitii genus, singularibus praerogativis dotatum, sub hac aulae Familiarium, aut synonima nomenclatione Regnantibus Bela IV., Sigismundo, Ferdinando I., Rudolpho, et Ferdinando III., adeoque quadringentis, et amplius annis omnino praeviguisse.

§. 343.

VI. Ordinis Praerogativa.

Liberarum Nationum praecedentia tametsi non tam certis principiis, quam consvetudine, mutuisque conventionibus nitatur; hoc tamen citra haesitationem — omni teste historia — fidenter licet asseverare, Regem Hungariae cuiquam Europae Regi in solenni congressu potiorem ordine locum concessisse. Aeneas Silvius, Pontificia fulgens tiara, quartum [b]); Julius II. decimum [c]); Aula Constantinopolitana tertium Regi Hungariae locum condam assignavit [d]); nunc, quoniam Imperatoria, et ista quidem haereditaria simul fulget Majestate, hoc nomine praecellentem inter caeteros Regnantes ordinis Praerogativam occupat.

§. 344.

VI. Quaedam adhuc publicae venerationis symbola.

Reliquis, quae ex veneratione, Regiae Majestati debita, profluunt, adnumerantur adhuc solium regale; homagii, ac subjectionis varii generis professio; in exemplo: dum Urbem, aut Praesidium ingredienti claves resignantur.

a) Statistik. P. II. p. 83. et seq. Not. sub h).
b) In Epist. quarta ad Cardinalem S. Angeli.
c) Günther Europ. Völkerrecht. 1. Th. p. 219.
d) Istvánffy Hist. L. 25.

Dein preces pro incolumitate, atque felici Regimine Terrae Principis, jam ex antiquissima Colomanni lege in omnibus Regni Ecclesiis recitandae [a]). Luctus publicus: annuus campanarum pulsus; designatus locus sepulturae, qui usque exitialem Ecclesiae Albensi annum 1543. ordinarie Albae Regiae fuit [b]), aliaque hujus generis.

Caput III.

De Juribus Regiminis in genere, et nonnullis separate.

§. 345.

Quae hoc titulo Regi Hungariae asseruntur.

Jura Regiminis, summae potestati conjuncta, ad ipsam jam gubernationem stricte referuntur, complectendo cuncta, quae integram Majestatem summae agendi auctoritati indissolubili nexu colligatam efficiunt. In istis singula dum mente attentiori revolvo, et ad res nostras propius exigo, explicite quaedam commemorare oportet, sic propria Regibus nostris, et fere singularia, ut magna sui se parte distingvant ab aliarum Gentium homonymis institutis. Ejus generis Privilegia sunt indole, forma effectu ab aliis alibi Privilegiis non parum divergentia, quorum concessione caetera inter regiarum donationum largitio fit, dein perampla Fisci Regii Jura, quae regiis illis collationibus uberem fontem propinant. Nihil autem impedit, quominus succinctam utriusque horumce Jurium explicationem extemplo ingrediamur.

§. 346.

Jus concedendi Privilegium est Regi proprium.

Potestatem Privilegia largiendi Jurium Interpretes nonnulli a potestate executiva, quod praemium, aut incitamentum meritorum sint; alii a supremo leges condendi Jure repetere solent, cui scilicet Jus etiam justa de causa cum eadem dispensandi connexum dicunt; quorum utrumvis an

a) L. 2. C. 6.

b) Szvorényi Hist. Eccl. Amoenit. Fas. 5. §. 6. p. 20. et seq.

alibi, et qua plenitudine obtineat, meum non est disquirere. Apud nos Jus istud esto ex indole Regiminis procedat, Regiae Majestatis personale omnino constituit, et quidem effato legum legitime coronatae exclusive proprium [a]). Nil autem de hac solis Regibus adserta potestate decerpit quidquam, quod Praelati aliqui, Regnique Palatinus Litteris, Privilegii formam praeferentibus, praedia, et bona tribuant immobilia: nam ista ab Regum ipsorum originetenus promanans activitas, — admodum caeteroquin restricta — exceptionem magis a regula communi redolet, nec pariles, quod jam vidimus producit, effectus.

§. 347.

Requisita.

Plura interim circa concessionem Privilegiorum observanda praescribuntur, nimirum ne Juri divino, seu naturali, seu positivo, neve communi Regni Constitutioni, et fini, vel avitae libertati adversentur [b]); quae cuncta suapte intelliguntur. Ne praeterea Juri cujuspiam ratione etiam loci, vel temporis, vel utriusque simul praejudicent [c]), quam ob causam clausula: „salvo Jure alieno" religiose adjici consvevit *), et vel propterea Privilegia rite promulgari oportet; **) quaedam plane, veluti antea Nauli, vel Telonii, atque etiamnum Nundinarum iis, quorum interest, non auditis, expediri non solent. Facile hinc intelligitur, dolum quoque omnem longissime abesse debere. Unde Privilegium vitio sive obreptionis, quo falsum obtruditur, sive subreptionis, quo veritas celatur, laborans, si impugnetur, in irritum abit.

*) Formula haec, quam Patrii Jurisconsulti vulgo salvificatoriam praedicant, idgenus Litteris inseritur ex usu perquam vetusto: quodsi tamen praetermissa fuerit, Privilegium non illico nullum est; verum ad ejus, quem damno adficit, querimoniam pro invalido pronunciatur: ea namque adjecta sit, vel secus, nihilominus inesse censetur, quia neminem con-

---

a) Part. II. tt. 7. et seq. 1791. art. 3. et 32.

b) Prolog. Tit. 9. et Part. II. tt. 10.

c) Cit. P. II. tt. 9. et 10.

venit detrimento alterius fieri locupletem, multo minus autem dari beneficium per Reges, quod alteri noxam inferat [a]).

**) Promulgari vero jubentur intra annum, a die, quo prodierunt, computandum [b]). Limes hic ex usu observatus, vel ideo necessarius evadit, cum obsoleta Privilegia leges, et ratio ipsa valore destituant, tum ut definitum intra tempus, quiqui novo Privilegio se, suaque laedi sentiunt, legitimis remediis intercedant, atque uti tempore opportuno possint; existit nihilominus ab hac regula pro Litteris Armalibus vetustioribus regia dispensatio. Ubi vero bona conferuntur, promulgationis vicem Statutio subit [c]).

§. 348.

Ad Privilegiorum valorem.

Secundi generis requisita, quibus Privilegia extrinsecus etiam solennia evadunt, praeter conditiones Litteris omnibus, fide publica designandis, communes, puta: ut stilo recepto [d]), anno, die, loco, adcurate indicato, omni, praesertim in vocibus, ad substantiam rei pertinentibus, rasura, litura, cancellatione, omnino vitatis [e]), compareant. Requirebatur insuper, ut expediantur e Cancellaria Majore [f]), Regis, Cancellarii Hungarico Aulici subscriptione provisa, appressoque majori secreto sigillo. Nonnullis e vetussima consvetudine Praelatorum, ac Regni Baronum nomina subnexa visuntur.

§. 349.

Eorundem vis, et efficacia.

Legitimo autem modo impetrata, et publicata Privilegia beneficium consecuto jus tribuunt, favore sibi dato libere fruendi. Consequitur hinc, solo dantis arbitrio idmodi beneficium recipi nequaquam posse; jure enim nequit suo Princeps pro mero arbitrio quemquam exuere. Fit id tamen

---

a) P. II. tt. 9. 10. et 11.

b) Ex mente 1630. 30. et P. II. tt. 12. et usus continuus

c) P. I. tt. 32. aliaeque leges.

d) 1608. 9. a. c. 1741. 19.

e) P. II. tt. 17. — 1723. 39.

f) 1563. 35. — 1608. 9. a. c.

vel legis imperio ita praecipua Nobilium Jura, privilegiis aquisita, nuper exstincta sunt aut justitia exigente, ob vitium nempe aliquod, indoli Privilegiorum repugnans *). Qui vero valide concessa renuit agnoscere, aut temere violat, certe in ipsam peccat regiam auctoritatem. Obligant itaque omnem sine discrimine Regni subditum, ut nulli liceat turbare impetrantem in ejus usu, in quo illum tueri Regii muneris est.

*) In exemplo illud a Mathia Corvino, alias a justitiae laude tantopere celebrato, Civitati Visegradiensi datum, ne videlicet quispiam Civium seu ob delictum, seu ob quoscunque excessus juri stare debeat, abolitum est [a]); abolitum item quorundam Procerum utriusque ordinis Privilegium, ne ab Officialibus Comitatuum in jus vocari queant [b]); recentissime demum Nobilium privilegia pene universa consepulta intuemur.

§. 350.

Quibus de causis cessent?

Quandoque Privilegia, caeteroquin optime instructa, natura sua, vel facto possessoris intereunt. Sic Privilegia realia, tamquam quae rei ipsi inhaerent, in possessorem devolvuntur; mere personalia ad haeredes non transeunt; ipse vero possidens abusu [c]), vel non usu [d]); tum si notam infidelitatis, vel crimen laesae Majestatis incurrat [e]). Quandoque expresse verbis, seu tacite factis ultro renunciando, Privilegii vigorem perimit, quin tamen istud semper successoribus fraudi sit.

§. 351.

De Privilegiorum Confirmatione.

Conficitur ex his non temere, nihil quidem obstare, quominus Reges nostri Antecessorum Privilegia, legibus haud adversa, confirmare queant — quod antecedanea copiosa exempla docent — id tamen in regula minime requiri, at in-

a) 1492. 102.

b) 1495. 15. Conf. Szegedy Tirocin. Jur. hung. item P. II. tt. 7. et 8.

c) P. II. tt. 12. §. 1.

d) Eod. tt. §. 2.

e) P. II. tt. 12. §. 6.

terdum tutius fieri, imo subsequam confirmationem necessariam evadere posse, pronum est; quum Privilegia, etiam rite comparata, perinde vicissitudinibus sint obnoxia, vimque non raro, quantumvis in usum deducta, vetustate, variisque impedimentis emergentibus amittant.

§. 352.

Monitum.

Generatim haec de Jure Regum nostrorum circa Privilegia, horumque efficaciam, et legitima consectaria; de quo themate mihi solum hoc loco dicere propositum erat. Varias namque eorundem species, ac disparem rationem, universamque doctrinam e jure privato, quorsum reapse pertinet, petendam, nemo isthic — spero — a me desideraturus est.

§. 353.

De Jure Regio circa Honores conferendos.

Similitudinem aliquam habet cum collatione Privilegiorum potestas ornamentis publicis, puta: honoribus, titulis ecclesiasticis, civilibus, militaribus, nominumque additamentis, vel armis specialibus, aut equestris ordinis hunc in finem erectis Insigniis benemeritos augendi. Quae itidem omnia Regi propria sunt; nam praeter Illum, aut ex Illius concessione hac potestate nemo gaudet.

§. 354.

Liberrimo, non tamen prorsus arbitrario.

Collatio tamen haec liberrima licet e Principis voluntate procedat, non tamen prorsus arbitraria dici potest; quis etenim negaverit, has remunerationis species scopo suo minime responsuras, imo evilescere oportere, si viris, quos nulla prorsus nec propria, nec Antenatorum merita ornant, praecise ad lubitum conferantur. Cavendum venit insuper, ne quid tertii in praejudicium vergat. Quamobrem pro vetito haberi necesse est quibusvis, nomen, titulos, arma gentilitia pro arbitratu suo assumere; distinctiva honorum signa, ordinumque symbola usurpare, gerereque citra

Principis nominationem, vel diplomate, ac venia nondum impetrata.

§. 355.

Equestris Ordo Draconis.

Floruisse aliquando in Hungaria honorarium, seu Equestrem Draconis Ordinem, copiosa varii generis monumenta loquuntur; omnium apertissime Diploma ipsum Fundationis, cujus αὐτόγραφον Regni tabularium conservat. Indicat istud nobis non modo initialem Ordinis annum 1408. tum auctores Sigismundum, cum Barbara Conjuge, Ciliae Comitis Filia, verum peculiarem etiam tesseram *), atque obligationes Equitum, quibus Proceres Regni praecipuos accenset, quin tamen propterea existimes, exteros hoc sodalitii honore fuisse exclusos, ut patet e Diplomate, quo Dux Lythvaniae in eum Ordinem cooptatur [a]). Ad perpetuum Institutioni vigorem conciliandum suos quoque Successores Sigismundus obstringere cogitabat, ut eandem occassione Coronationis una cum reliquis Regni Immunitatibus jurati confirment [b]); eo tamen non obstante, Conditoris interitum rapide secuta est [c]).

*) Sequentibus adumbratam; „Signum seu effigiem Draconis „incurvati per modum circuli, cauda sua collum circumgyrantis, divisi per medium dorsi ad longitudinem a summitate „capitis, et nasi, usque ad extremum caudae; effluente sangvine in interiore rima scissurae alba, et sangvine intacta. „Per longitudinem rubeam crucem, sicuti, et quemadmodum „sub ipsius gloriosi Martyris Georgii Vexillo militantes cru„cem rubeam in albo campo ferre solent, gestantes, et haben„tes; Nos, ac Fideles Regni Nostri Barones, et Proceres appa„rentem, et publice portandam, et ferendam eligimus". Addit Vindek Sigismundi Aulae Familiaris [d]), Equites duplicis generis fuisse, domesticos numero 24, eosdemque primi Ordinis, qui Draconem e cruce pendentem gestabant, cum Inscriptione in longum „O quam misericors est Deus" in transversum „pius, et justus" reliquos Draconem, e collo

---

a) Quod simul cum laudatis Fundat. evulgat. reper. in Actis litt. Musaei Nation. hung. T. 1. p. 167. et 184.

b) Modo nomin. Fundat. in fine.

c) Conf. Com. Ant. Cziráky Exercitat. de Ordin. Equit. Aurat. Hung. §. 5. in nota subject.

d) In Vita Ejusdem C. 81.

suspensum, deportantes, indefinito numero, ac exteros quoque esse potuisse. Ornatum, sive habitum coetui proprium, quo socii statis diebus vestiti comparebant, Bonani designat [a]).

§. 356.

Equites S. Georgii.

Domesticum alium incertae originis Ordinem Beatae Mariae Virginis de Stella Viridi, Megisserus memorat [b]); Düfresne alium Nodi, sive amicitiae ab Ludovico M. creatum [c]), uterque nullis in rem fontibus indicatis. Certius longe, quoniam Statuta supersunt [d]), de militari quapiam religione constat, aetate Caroli I. coadunata, sub nomine Societatis fraternalis Militiae S. Georgii; cujus sodales, quod Sigismundi testimonio paulo ante comperimus, crucem rubeam in campo albo deferebant. Sub hac interim non Ordinem egregiis facinoribus praemiandis ab Rege excitatum, verum occultam potius consociationem, defendendae Regis saluti, ac Juribus intentam, subintelligi, regulas illas relegenti protinus adparebit, quae si antea fuissent in lucem productae, vix qui hanc in rem commentabantur [e]), pro veteris hujusce Instituti reliquiis Auratos Equites, sub Inauguratione regia creari solitos, vel conjecturando habuissent.

§. 357.

Equites Aurati.

Nam Equites postremo commemoratos, qui nec signo, neque peculiaribus praerogativis distinquuntur, vix aliquod dubium remanet, jam vetustissimis temporibus, imprimis in ipso solenni Regiminis aditu Ense percussos exstitisse*), ad Jus Equites faciendi Regibus commune, ac proprium confestim exercendum, tempore, moreque consimili, sicuti

---

a) Verzeichniß der geistl. und weltlichen Ritter-Orden. p. 41. et seq.

b) In Annal. Carinth. P. II. C. 19.

c) Hist. Bizant. L. 8. §. 13. p. 271.

d) In Act. Musaei Nat. Hung. ex orig. desum. p. 155.

e) Pray in Hist. Reg. Hung. P. II. 199. et Cziráky opuscul. paulo ante cit.

Francofurti, vel apud Polonos [a]) aliquando usuveniebat, et in Regno Bohemiae hodiedum persistit **).

*) Ferdinandum I., cum Albae coronaretur, Equites auratos creasse, Ursinus ad morem praevigentem provocando, fidem facit [b]). Sigismundus A° 1387. die Coronationis suae Pantaleonem Barbo Venetum Legatum Equitem fecisse legitur [c]).

**) Quod vero honorem hunc etiam diverso a Coronatione tempore Reges benemeritis tribuerint, complura omnino existunt vestigia, in specie in quodam sat vetusto manuscripto Adami condam Rajcsányi, postea Aloysii Lib. Baronis Mednyászky, quod titulum „Liber Stilorum Cancellariae" in fronte gerit, et formulam inter plures hujus generis exhibet, per quam idem, quem supra nominaveram, Ferdinandus titulum Aurati Equitis, ut Rex Hungariae, supremo Musico, atque organistae, excellentissimi cujusdam Principis, reticito utriusque nomine, largitus est. Simile, ut dici amat, Stilarium, inter acta Cancellariae Regiae conservatum, honorem hunc porro etiam anno adhuc 1590. extra coronationem conferri consvevisse testatur. Prioribus his exemplum Stephanus Bardius victoriae de Turcis reportatae nuncius praebet, A° 1522. a Ludovico II. gladio, calcaribusque, et torque aureo donatus, solennique ritu, assistentibus e Procerum ordine quam plurimis, in Equitum Auratorum numerum relatus, ut testis rei gestae Istvánffyus enarrat [d]). Utrum autem haec ornamenta caeteris etiam Equitibus obvenerint? quis auctor in Patria fuerit? etiamnum in obscuro est.

§. 358.

Ordo S. Stephani.

Eodem, quo Sigismundus Jure utebatur, eademque potestate Maria Theresia Anno 1764. die 6. Mai, editis solennibus Litteris [e]), proprie Hungaricum Sancti Stephani Regis Apostolici Ordinem erexit, cujus Magnus Magister in perpetua tempora ipse Rex Hungariae foret, Cancellarius idem, qui illius pro tempore Aulae Cancellarius. Quemadmodum vero summa in hac Institutione

---

a) Lengnich Jus Publ. Poloniae T. I. L. 2. C. 5. p. 154.

b) De bello Pannonico L. 2. p. 38.

c) Bern. Giustiniani Storia di tuttigli. Ord. milit.

d) Histor. L. 7. edit. meae p. 66.

e) Quarum Autograph. in Archiv. Reg. videre poteris sub Titul. Constitut. Insig. Ordin. S. Stephani.

fuere omnia: Occasio — Consilium — Finis [a]): ita haec postmodum eximiam prorsus per universam Europam existimationem Ordini huic conciliarunt.

§. 359.

Sodalium numerus.

Ordinarius Sodalium numerus, non computatis Viris Ecclesiasticis, velut hujus Sodalitii aeque capacibus, in centum defixus, tribus distinguitur Classibus: Prima viginti de Magna Cruce nuncupatos; altera triginta Commendatores censet; quinquaginta reliqui ad minores Crucis Equites referuntur. Tesseram in ligamine rubeo, oris viridi colore variantibus, gestari solitam, coronata aurea crux colore viridi coelata, scutulo purpureo constituit, quod, impressis utrinque ad latus Litteris M. T., Crux itidem triplici colli insistens argentea duplex ornat, ambitque lemma: Publicum meritorum praemium. Partis aversae niveam parmam, serto quercino cinctam, contracta Inscriptio occupat: Sancto Stephano Regi Apostolico.

§. 360.

Ornamenta.

Signum proinde istud Equites Classis tertiae minori forma vesti innexum: majori Commendatores, latiusque de collo pendens: Magnae autem Crucis e fascia iterum latiori, ab latere dextro ad sinistrum defluente, ferunt. Insuper his posterius memoratis propria est stella argentea, iisdem ceris decora, et quum sodalitii nomine comparent, torques aureus (Colanam vocant) e Litteris SS. et MT., atque sacrae Coronae effigie repetitis compositus, media aquila caesarea cum inscriptione; „stringit amore." Universi denique, quoties ordinis festivitas obtinet, peculiari amictu condecorantur.

§. 361.

Officia.

Sunt praeterea sua huic ordini officia, et quidem prae-

a) Perspicies ista e cit. erectionis Diplom.

ter jam nominatum Cancellarium, Praelatus, Secretarius, Thesaurarius, Heroldus, et Scriba, seu Cancellista, quorum munera, prout et varias huc pertinentes cerimonias, Sodaliumque praerogativas, alioquin alibi ex professo deductas [a]), transcribere compendii causa praetermittimus.

§. 362.

Quid nomine Fisci Regii veniat?

Thesaurus, Bona, Juraque regia, sub directione, ac vigilantia Camerae Regiae Hungarico Aulicae posita, una persaepe Fisci Regii compellatione promiscue enunciantur; ordinarie tamen hoc nomine horum omnium coram judicio defensor, et vindex designari solet, quem alias Causarum Regalium Directorem, et Sacrae Regni Coronae Fiscalem nominamus. Sunt quidem et huic tam relate ad Jura Coronae tuenda, quam in vindicandis, quod eidem pariter incumbit, gravioribus reatibus singularia legis beneficia; sed ista Officium respiciunt, Jura vero, quae sub Fisci Regii nomine Regem directe concernunt, Eidem vel e successione, vel e certo delictorum publicorum genere enascuntur.

§. 363.

Jura Fisci ex Successione.

Circa Successionem Fisci regula generalis in Hungaria obtinet: deficiente haerede, quem lex, vel validum testamentum demonstrent, Fiscum pro Rege succedere. Id etiam totidem verbis Tripartitum testatur *). In bonis nominatim, per regiam donationem collatis, quisquis liberorum solamine caret, et nullos etiam agnatos, et cognatos habet, qui — pro indole bonorum masculos solum, vel utrumque sexum concernentium — necessarii haeredes forent, Regem successorem nanciscitur. Latius adhuc Jus istud succendendi Principi exsurgit, quoad substantiam proprio marte acquisitam sine ultimis voluntatis tabulis decedentium, illum enim in eventum nec germanorum quidem, aut co-

---

a) In citat. Constitutionib. Ordinis etiam typis Vindob. evulgatis. A° 1764. in folio.

gnatorum ratio habetur semper, verum ab intestato decedenti, nisi Conjux, vel proles, vel fratres indivisi adfuerint, Rex itidem succedit. Interim haec Fisci successio Juri Caducitatis Civitatum non officit, quibus illud concessum fuit.

*) Quod Princeps ipse noster — ait Verbőczy — universorum Dominorum, Baronum, et Magnatum, ac aliorum Regni Nobilium possessionatorumque hominum in casu, quo quis eorum sine haeredibus, et posteris decesserit, verus, et legitimus successor sit [a]).

Caput IV.

De Legislativa Potestate.

§. 364.

Potestatem legislatoriam.

Primum inter partes Regiminis, locum tenet potestas legislatoria, sive Jus praescribendi agendorum, et omittendorum normam, totam Civitatem, velut corpus morale, atque omnes in eadem degentes singillative obligantem. Hanc apud nos Regiae Majestati essentialiter, atque illa ratione competere, ut Jus condendarum legum a Principe legitimo, quem eminenter respicit, salva Regni Constitutione, nequeat avelli, tam certum est, quam quod certissimum. Docet id quippe continuum exercitium, jubent leges organicae [b]), hoc denique stilus ipse Decretorum, a primis regiae Dignitatis cunabulis constanter observatus, manifestat.

§. 365.

Reges Hungariae omni tempore exercuerunt.

Exercuerunt itaque inde ab origine Monarchiae hanc potestatem summi Hungarorum Principes jure Majestati proprio; verum vix aliter, quam in publicis Regni Conventibus, accedente Populi — aut potius, qui istum ad nostra usque tempora repraesentabant, Regni Ordinum assensu, activaque horum cooperatione; sic nempe, ut vel Rex leges iisdem rogandas proponat, vel isti nonnullas a

a) P. I. tt. 10. Conf. 1715. 25. 26.

b) P. II. tt. 3. — 1791. 12.

Rege ratihaberi, constituique efflagitent; necessarius proinde quavis aetate fuerit non Principis tantum, sed etiam, et quidem — ut juridice loquar — conditionis instar sine qua non Statuum, et Ordinum, in Comitiis legitime congregatorum, assensus; quod numerosae leges, praesertim de Comitiis celebrandis sancitae, et eas inter post Verbőczium *) Articulus 12. 1791. clarius multo expressit **).

*) „Verum — sunt verba ex Tripartito transscripta [a]) — po„steaquam Regem sponte sibi ipsis elegerunt, tam conden„dae legis, quam etiam cujuslibet possessionariae collatio„nis, atque omnis judiciariae potestatis facul„tas in jurisdictionem sacrae Regni hujus Coro„nae, qua cuncti Reges Hungariae coronari „solent, et subsequenter Principem, et Regem „nostrum legitime constitutum simul cum Im„perio, et Regimine translata est. Et sic postea „Reges ipsi convocato, interrogatoque Populo, consultationes „facere coeperunt, prout et temporibus nostris fieri consvevit. „Attamen Principes proprio motu, et absolute, „potissimum super rebus Juri divino, et na„turali praejudicantibus, atque etiam vetustae „libertati totius hungaricae Gentis deroganti„bus, Constitutiones facere non possunt, sed „accersito, interrogatoque populo, si eis tales „leges placeant, an ne? qui cum responderint, quod „sic; tales postea sanctiones (salvo semper divino, naturali„que jure) pro legibus observantur.“

**) In hunc modum „Leges ferendi, abrogandi, interpretandi „potestatem in Regno hoc Hungariae, Partibusque adnexis, „salva Art. 8. 1741. dispositione, legitime coronato Prin„cipi, et Statibus, ac Ordinibus Regni, ad Comitia legitime „confluentibus, communem esse, nec extra illa exerceri posse, „Sua Majestas Sacratissima ultro, ac sponte agnoscit, ac se „Jus hoc Statuum illibatum conservaturam, atque prout illud „a divis suis Majoribus acceperat, ita etiam ad Augustos suos „Successores inviolatum transmissuram benigne declaravit.“

§. 366.

Accedente Regni Statuum Consensu.

Sunt, qui Principes nostros leges sat diu, non quidem

[a]) P. II. tt. 3. §. 2. et 3.

inconsultis Viris Regni primoribus, ex suo nihilominus praecise arbitrio rogasse contendunt [a]). Ast Historiarum, Jurisque domestici fontes perpetuam Regnicolarum in his ferendis participationem cum fundamento, ac citra partium studium in dubium revocare non sinunt. Deprehendimus illam, si Anonymum audimus *), Monarchiae initiis contemporaneam; idem Stephano regnante obtinuisse, ex Hartvico (98) intelligimus. Leges autem vetustissimae, quae, ordiendo a temporibus Stephaneis, ad nostram usque aeram pervenere, hoc ipsum confirmant.

*) Praeter locum huc facientem, quem fere ad ingressum operis adscripseram [b]), addo in probam uberiorem assertionis meae Auctoris ejusdem alterum in verbis subsequentibus: Dux Zulta cum esset tredecim annorum, omnes Primates Regni sui communi consilio, et pari voluntate quosdam Rectores Regni sub Duce praefecerunt, qui moderamine Juris consvetudinis dissidentium lites, contentionesque sopirent [c]). etc.

§. 367.

Et cooperativo influxu.

Num enim ad ea, quae divus Stephanus secundum Decretum Regalis Senatus — secundum Regalis Decretum Concilii — Suorum Primatum conventu — in Regio Concilio — communis Concilii definitione sancita identidem innuit [d]), vel quae sub S. Ladislao omnes Regni Pannoniae Optimates se constituisse, se decrevisse asseverant [e]), aut quae sub Colomanno Rege pro Senatoriis totius Regni Decretis evulgabantur, quaeve Regi, et communi Concilio placuere [f]), ad haec — inquam — omnia Populi Primores consultando solum, non etiam decidendo intervenisse, qui Patriae, imo totius Europae Annalium, veritatisque studium colunt, propugnare

---

a) Hos inter Kollár in L. 6. de orig. et usu perp. potestat. legisl. C. 3. p. 32. Gusztermann Ausbildung der Verfassung des Königr. Ung. P. I. p. 157.

b) Ex Hist. Sept. Duc. C. 40.

c) C. 53.

d) Dec. L. 2. C. 14. 19. 23. 27. 29. 32.

e) Dec. L. 2. C. 1. et L. 3. C. 1.

f) Dec. L. 1. C. 1.

valebunt? An luculenta adeo testimonia una illa expressione: Decrevimus regali nostra potentia [a]), difflari posse existimaturi sunt? Quae profecto non aliud pandit, quam Regem Hungariae veri nominis esse Legislatorem, quin Populi Primores adversus supra attactorum evidentiam ab influxu in legislationem reddat extorres.

§. 368.

De Legum Mutatione, et Interpretatione.

Quod de ferendis legibus dictum est, valet etiam de iis mutandis, abrogandis, et authentice interpretandis. Id quod tamen de legibus proprie est accipiendum; nam etsi praecautum habeatur [b]), Regnum, et Partes adnexas nunquam per edicta gubernandas fore; Ordinationes interim de objectis ad propriam Eidem executivam potestatem — quam inferius dispiciemus — attinentibus edere, vel cum in his quaedam vel ambigua, et obscura; vel superflua, et nulli usui futura jam censentur, tollere, emendare, interpretarique Regem pro sua auctoritate posse, vix quispiam controvertet.

§. 369.

De Legis revocatione ad usum pristinum.

Idem sentio de legibus ad usum revocandis, quatenus ab eodem illas nec posterior lex ulla, neque paris auctoritatis consvetudo submovit. Hoc enim dum Principes faciunt, utique haud novam condunt legem, sed pro supremo suo munere id agunt unice, ne praeexistens ad commune bonum comparata eorum, ad quos pertinet, desidia, aut transgressione cum Reipublicae jactura violetur, vel in desvetudinem abeat.

§. 370.

Jus suspendendi legis effectum.

Disceptatum fuit, an Regi seorsim Jus competat ef-

---

a) S. Steph. Dec. L. 2. C. 5.

b) Cit. art. 12. 1791.

fectum legis suspendendi ad tempus? Quod ego quidem in regula negandum omnino arbitror, cum alioquin exceptionem similem, cujus non obscura nobis Codex domesticus praebet vestigia, Legislatio sibi propriam vindicet.

§. 371.

Regi Salutis publicae causa denegari non potest.

Nolim tamen inficiari legis usum pro extraordinariis, ac saepe inpraevisis, et praegnantibus rerum, ac temporum adjunctis, uti in exemplo ob internam seditionem, metum repentinae hostilis irruptionis, vel occasione pestiferae contagionis, alterius denique calamitatis publicae posse cum securitate, ac bono communi adeo repente in collisionem venire, ut energica dispositione confestim opus sit, omnisque mora evadat periculosa; tum equidem in Regis est, esseque debet, potestate, legem tantisper suspendere, idque ordinare, quod salus suprema omnium Rerumpublicarum lex exigit, cum sane nulla, quae non tacitam habeat exceptionem salutis communis, constitutio civilis positiva existere queat, hanc temporaria suspensio violare minime videtur, modo causae urgentissimae reapse etiam ejusmodi sint indolis, ut aliter malo subveniri nequeat, quibus cessantibus, legis vigor, quod justitia exigit, reviviscat oportet.

Caput V.

De Regni Comitiis.

§. 372.

Notio Comitiorum Regni.

Innuebamus vim, et auctoritatem legis in Hungaria Regis, et Regni mutuo consensu firmari, (367) ad exercendam vero hanc legum ferendarum potestatem Comitia esse celebranda [a]); itaque de Comitiis acturi, ut — quod in proposito habemus — hiatum non ferat, historicam de eorundem origine, nomenclatione, varia forma item, ac membris, verbo: quali ratione locum habuerint, notitiam

a) 12. 1791.

succincte praemittemus, et haec pro Conventu Regni ad leges mutuo consensu conclusas, Regia Sanctione firmandas, legitime indicta rectissime definiemus.

§. 373.

Eorum varia Denominatio.

Hungarica Comitia (nativo sermone Ország Gyülései) in vetustioribus Documentis, atque Decretis nostris aliquando Regalia Consilia, aut Consilium Regni [a]). Concilium, vel Conventus, aut Conventio; interdum, ut sub S. Ladislao, et Colomanno, Synodus sancta; frequenter: Congregatio generalis dicebantur. Diaetae titulus vulgaris est. Recentioribus temporibus mos invaluerat Comitia solenniori compellatione vocare: Conventum Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatum, et Nobilium, caeterorumque Statuum, et Ordinum Regni Hungariae, Partiumque ei adnexarum generalem [b]).

§. 374.

Origo.

Eadem esse apud nos Comitiorum cum legibus initia, Viri fama eruditionis celebratissimi [c]) fide historica, cui vix aliquid opponi queat, plene evictum dederunt. Sed quae retrusis Seculis forma, et qualia objecta illis fuerint propria, qui item sub Ducibus, vel primis etiam Regibus jus ibidem suffragii habuerint? ad plenam usque claritatem eruere arduum foret et viam hic complanatam deprehendere.

§. 375.

Interventus Praelatorum, et Magnatum.

Praelatorum quidem, Regnique Baronum, quorum utri-

a) Albricus in Praefat. ad Libr. Dec. Colom.

b) De his divers. nomenclat. vid. Szászky Coment. hist. et polit. de Comitiis Incl. Reg. Hung. et Dissert. de Comit. Reg. Hung. anno 1791. edit.

c) Lege instar omnium doctiss. Batthyán. de leg. Eccl. Reg. Hung. T. 1. dissert. de Synod. Reg. item Kovachich vest. Com. T. 1. p. 30. et seq. pag. item 211. — 216.

usque ordinis nomina Comitiorum Decretis jam prima periodo subnexa visuntur, Supremorum item Comitum illa fuit apud Majores nostros, atque constans in rebus. universum populum attinentibus, auctoritas, ut quoties de roganda lege provideri oportebat, praecipuum eisdem influxum proprium esse voluerint; cujus rei evidentiam omnia omnis aetatis documenta loquuntur. Nec minus Seculorum usui innititur, ut quemadmodum veteres illi Dynastae vel Statum Baroniae ultra caeteros Nobiles jam olim habentes, vel in ordinem Baronum adscripti, indeque titulum Magnificentiae adepti: ita deinceps omnes, qui horum coetum augendo, vel subingrediendo Comitum, ac liberorum Baronum nomine veniunt, distincte evocati, legitimam illius Conventus partem effecerint; usu — inquam — non tantum nuspiam controverso. ast indubitato assensu congregatorum reliquorum Ordinum, legibusque ipsis cumulate suffulto.

§. 367.

Ad Comitia continuus.

Missis pluribus, quae se in probam hujusce Consensus offerunt, argumentis, jam anno 1619. [a]) Regni Status palam questi sunt „quod non omnes Magnates, et re-„lictae Viduae ad Diaetam vocari solent, sed „plurimi tam ex Supremis Comitibus, *quam* „*aliis* negligantur" subnectendo preces „ut dein-„ceps omnes Magnates singillatim ad Diae-„tam vocentur." Nec desunt recentiores sanctiones, exteris plane, pro Indigenis receptis, votum sessionemque largientes [b]).

§. 377.

Nobilitatis item jam Periodo I.

Nobilitatis reliquae prima pariter Regum Periodo ad Conventus publicos accersitae, praeter temporum historiam,

---

a) Vid. Gravamina in Actis Comit. anni ejusd.

b) 1715. 130. — 1723. 123. et 124. caet.

vestigia certa suppeditat repositum in Archivo Regni Belae IV. Decretum anni 1267. praecipiens: „ut ad Judicia, quotannis Albae celebranda, de quolibet Comitatu duo, vel tres Nobiles debeant convenire." Praeterea publici juris fecit Kovachich Decreta Andreae III. bina [a]) de annis 1291. et 1298. quorum anterius venerabilium Patrum Archi- et Episcoporum, Baronum, Procerum, et omnium Regni Nobilium apud Albam congregatorum; alterum similiter Praelatorum, et Baronum, tum omnium Nobilium Hungariae, quin Saxonum quoque, ac Cumanorum, velut Comitiis his intervenientium, disertam faciunt mentionem.

§. 378.

Ac subsequis.

Periodo Regum nostrorum secunda, qua decurrente, regias Civitates in consortium Comitialis Corporis venisse, jam superius obiter notaveram (160), Proceres quidem sacri, ac profani ordinis in persona, Status reliqui potissimum medio Repraesentantium ad rogandas leges fuere coadunati. Indicant id aperte Decretorum complurium Articuli a Maria I. ad Ludovicum II. [b]); confirmant totius illius aevi monumenta; idemque deinceps sub Austriacis quoque Principibus obtinuit. Contigerat, non inficior, a Regibus mixtae Stirpis universam quandoque Nobilitatem speciali mandato convocari [c]); sed istud rarius omnino, atque multi hodiedum autument, evenisse, vel subnexa docent *). Certe ex Uladislai II. Constitutione [d]) „ut deinceps quandocunque Majestas Regia Diaetam indicere „voluerit, non electos de Comitatibus, sed „singulos Nobiles Regni convocare dignetur" caeteroquin inclinante Republica lata, atque paulo post [e])

---

[a]) In Syllog. Decret. Comit. p. 15. et 28.

[b]) Praef. Decret. de Anno 1435. — 1439. 1464. — 1474. — 1478. 1481. 1486. 1495. 1498.

[c]) 1495. 26.

[d]) Eod. Art.

[e]) 1498. 1.

iterum restricta, minime elicies in Legislationem cunctos Regni Nobiles viritim duntaxat, et non aliter olim influxisse.

*) „Quod cum Nos — ait Maria I. a) — sana, et matura „una cum Praelatis, et Baronibus deliberatione praehabita „— — — Congregationem Generalem Budae octavo „die Festi omnium Sanctorum jam praeteriti celebrasse- „mus, sic videlicet, ut de singulis ipsius Regni „Nostri Comitatibus quatuor potiores Nobiles „ad diem, et locum praedictos convenire debuissent" etc. etc. Eundem hunc morem Sigismundus sequutus, luculentissime testatur b) ad consulendum circa ardua Regni negotia se universos Praelatos, Abbates Praepositos, et Barones Regni, nec non *de quolibet Comitatu singulos quatuor probos, et Nobiles Viros* plena potestate caeterorum consociorum ipsorum *ad omnia ordinanda fungentes* pro Congregatione, et Consilio generali fecisse accersiri. Non repeto reliquas ejusmodi formulas, in subsequentibus Regum Decretis, ad quae praecedenti paragrapho provocavimus, patulas; quia ulteriora exempla congerere supervacaneum foret; nonnulla insuper infra haud defutura praevideo.

§. 379.

Partim in persona, partim medio repraesentantium.

Jus itaque Comitiorum praerogativam Statibus, atque Ordinibus Regni propriam evasisse, liquet ex hactenus dictis. Horum nempe classes quatuor, Praelatorum nimirum, Magnatum, Nobilitatis item Equestris, et Civitatum Liberarum Regiarum, nonnullarumque Communitatum, partim in persona, partim qua suorum committentium Repraesentantes, diaetaliter congregati, voto ibidem, ac Sessione pollebant. Praeter hos ne Sua Majestas Regia demtis illis, qui publicis Regni Officiis funguntur, utpote: „Consiliarii Nobiles, „Judices Regni Ordinarii, eorum Vices ge- „rentes Protonotarii, et Jurati Assessores „Tabulae Regiae ad Comitia generalia adhi- „beat, eorumque vota juxta antiquum usum „et Sessionem admittantur" decretum est Articulo 1: 1608. qui dum Hungariae Status, et Ordines e supra de-

a) Conf. Kovachich in Praef. ad Vest. Comit. p. 51.

b) Vid. Supl. ad Vest. Comit. p. 294.

signatis quatuor conditionis Regnicolis constare clare edixit, simul, qui ex illis ad Regni Procerum, qui item ad caeterorumRegnicolarum coetum referendi sint, specifice determinat.

§. 380.

Jus Comitia indicendi, et solvendi.

Potestas generales ejusmodi Conventus indicendi, eosdem solvendi, vel gravibus de causis, impraevisisque impedimentis, ita poscentibus, prorogandi, propria semper fuit Regi, vi, ac ratione Majestatis. Equidem exempla etiam haud absunt Conventuum generalium, a Reginis, Regumque Viduabus, a Vicariis Regiis, et Gubernatoribus, Regnique Palatino indictorum [a]); at hoc fieri nunc duntaxat potest Rege mandante, et Illius nomine: nam quae contemta Regis auctoritate, celebrata Conventicula fuere aliquando [b]), vel eo invito promulgabantur [c]), haec aut diserte a Regibus irrita declarata sunt, aut suapte effectu destituuntur. Quod demum alicubi cautum erat de Judice Curiae Regiae, et Tavernicorum Regalium Magistro [d]), hactenus in usum non venisse constat.

§. 381.

Tum locum terminumque iisdem defigendi.

Ita etiam habendarum, atque inchoandarum Diaetarum terminum, locum etiam defigere semper Juris Regii esse permanserat, nihil officientibus quibusdam articulis, Posonium [e]), aut Budam [f]) designantibus, illius utique temperamenti, ut delectus pro adjunctorum ratione potestati regiae salvus permaneat. Fuerant nihilominus bina Comitiorum tempora, legibus circumscripta; Indictionis primum;

---

a) 1548. 18 — 1635. 49. Conf. Car. Vágner Dip. Comit. Sáross. p. 133. Steph. Kaprinay Hist. Dipl. P. I. p. 274. et 275.

b) Istvánffy Hist. L. 8. et 9.

c) Vid. Petri de Reva Comment. de Sac. Reg. Coron. Nec non Litteras Procerum Hungariae Part. I. numeris 65. 105. et 106. Part. II. num. 2. Part. III. n. 94.

d) 1608. 3. a. c.

e) 1635. 79. §. 2.

f) 1764. 2.

alterum durationis. Illud prima omnium vice sub Mathia Corvino ad singulos annos [a]), postea sub Uladislao II. [b]) ad triennium defixum est. Restituerat quidem annuam celebrationem Ferdinandus I. [c]), ast sub Leopoldo I. [d]) ad triennium rediit, quod postea hujus filius Carolus [e]), Proneposque Leopoldus II. [f]) ex Ordinum votis ratum habuere. Id ipsum strictius adhuc lex recentior constabilivit [g]); postrema annuam iterum celebrationem praescribit [h]). Cautum est porro sub Ferdinando III. [i]), ne ultra bimestre spatium producantur, nisi ex ratione temporis, ac necessitatis a Sacratissima Majestate prorogentur [k]).

§. 382.

Atque Commembra ad Diaetam evocandi, Regis est.

Evocantur, quibus Jus est interveniendi, per Litteras, quas Regales vocamus *), Regis, Cancellarii, et Consiliarii aulici subcriptione munitas; post munus Cancellarii exstinctum, abolitamque Cancellariam vero Ministri hungarici subscriptio substituta erat. Dein lex diserte jubet [l]), Diaetam sex septimanis ante inchoationem in Comitatibus publicari. Exprimitur porro in iisdem dies, ac locus Comitiorum, non infrequenter causa quoque, quam in Regalibus exponi debere, in specie, quando de eligendo Palatino agitur, iterum lege positiva constitutum invenio [m]).

*) Vetustissimum hactenus similium Litterarum exemplum sub Gubernio immortalis Hunyadii ad Saxones Transylvanos quoque, Anno 1447. dimissum, Ederus [n]); Kovachich alterum octennio serius sub Ladislao Posthumo ad Civitatem Bart-

---

a) 1471. 1.
b) 1498. 1.
c) 1563. 3.
d) 1659. 1.
e) 1715. 14.
f) 1791. 13.
g) 1827. 5.
h) Art. cit. 1848.
i) 1649. 44.
k) 1723. 7.
l) 1635. 79.
m) 1485. in Praef. et clarius adhuc in cit. 1548. 18. — 1608. 3.
n) In Christ. Schesaei Ruin. Pannon. L. 3. p. 165. et seq.

phensem expeditum exhibet [a]), qui abinde ad nostram usque aetatem exstantia solerter collegit, suisque Comitiorum vestigiis inseruit. — Fertur longe antiquius Caroli I. ad cives Posonienses in Archivo Civitatis latere, ad cujus rei veritatem hactenus incassum devenire conabar.

§. 383.

Evocati comparare tenentur.

Per Regales sic evocati ad praestitutum tempus, vel per se, vel per suos ablegatos comparent; nec licet cuipiam sine indultu inde discedere, secus, nisi justa, probataque causa id excuset, poenam, in Regni Decreto expressam, incurrit [b]). Provisum insuper, ut quo tempore aguntur Comitia, Statutiones, atque Introductiones in Bona eorum, qui Nuncii officio defunguntur, impetratae irritae sint, ac prorsus invalidae [c]). Silebant praeterea olim per illorum durationem judicia omnia [d]), sed istud legibus recentioribus exceptiones subiit.

§. 384.

De cursu Juris durante Diaeta.

Ad accelerandam quippe Justitiae administrationem A. 1792. Art. 16. provide fuerat determinatum, ut nonnullae causae ibidem expressae, in Comitatibus, Liberisque, ac Regiis Civitatibus sub Diaeta inchoari valeant, atque decurrere. Serius [e]) autem pari decretum solicitudine, posse per decursum Comitiorum, revidendis systematicis elucubrationibus destinatorum, quasvis litium species. coram foris primae instantiae non minus, ac appellatoriis (Tabula Regia ac Banali exceptis) promoveri, ac decidi; imo divortiales, criminales, et quae praeterea Auctore Fisco Magistratuali suscitantur, in superioribus quoque, ac Supremo Justitiae

---

a) In suppl. ad Vest. Comit. e M. S. S. Kaprinayanis T. 2. p. 123.

b) 1498. 1. — 1635. 79. — 1664. 53. 1723. 7.

c) 1647. 135.

d) 1507. 12.

e) 1830. 6.

Tribunali revideri, quam dispositionem mox insequentia Comitia ad Fora quaevis extenderant [a]).

§. 385.

Nunciorum Comitialium delectum.

Tempus ab indictis Comitiis ad illorum inchoationem intermedium, gravaminibus, ac postulatis colligendis impenditur, tum eligendis Nunciis Communitatum. Mittebant *) hos antea, Ablegatorum nomine ab olim compellatos, Comitatus, Capitula, Civitates Regiae **), aliae item Communitates, atque Districtus, queis haec praerogativa competebat, quin Magnates quoque, sui loco conventui interfuturos. Instructionum denique elucubratio peculiaribus curis perficiebatur.

*) Quot numero Nuncios, Capitula, Comitatus, vel Civitates mittendos habeant? nulla lege positiva definitum hactenus reperi. Fuisse tempus, dum e pluribus Comitatibus quatuor, tres ex aliquibus, e nonnullis unicum ad Comitia comparuisse, vetusta monumenta perhibent: usu itaque sensim invaluit, ut bini sint moralium corporum, quibus jus Comitiorum proprium est, et non plures Repraesentantes; Capitula nonnulla tamen, nec non quaedam Civitates regiae minores, praesertim nostris temporibus, haud raro unicum tantum mittere erant soliti.

**) Ablegatos Magnatum absentium, imo viduarum plane annis 1557. item 1561. Ferdinando I. regnante, adeoque seculo, et amplius, antequam lex eatenus condita fidem faciat, Diaetae interfuisse, diplomatica ejus aevi fragmenta prodiderunt.

§. 386.

Antea observari solitum.

Deputandorum electio libera quidem et retroacta aetate, non tamen prorsus arbitraria fuit. Nuncium enim Comitatuum agere nemo poterat, nisi nobili prosapia ortus, ac possessionatus [b]); imo nec Magnatum absentium alter, neque plurium, quam duorum vices in hoc munere explere [c]). Arcebantur aliquando ab eodem sustinendo Ad-

a) 1836. 45.

b) 1625. 62. — 1655. 61. — 1723. 7.

c) 1681. 51.

vocati, vulgo Procuratores [a]), nec non vectigalium, ac Tricesimarum Exactores [b]), utrisque tamen recentioribus Decretis id cum quodam temperamento concessum est [c]). Capitaneis praeterea, ac Praefectis Confiniorum legatione simili defungi pariter interdictum habebatur [d]); omnes autem Ablegatos viros idoneos, pacis, ac boni publici amantes salus ipsa Reipublicae nunquam non deposcit; quare ut tales deligantur, Regia Majestas Litteris Convocatoriis explicite semper inde ab antiquissimis temporibus monere, atque jubere solebat.

§. 387.

Lex provisoria.

Ordinum Regni praerogativa Populum universum in generali Conventu repraesentandi [e]), cum tot aliis uno quasi funere consepulta [f]), qualem veteri normam Lex provisorie, ut ipsa ait, circa Comitialium Nunciorum electionem, jam effectui datam, suffecerit, loco vix inopportuno adjicere expediet. Ut igitur determinata exequar, dicendum primo, quinam eligere, eligique possint, postea qua modalitate ista electio peragenda sit.

§. 388.

Ad universos Regni incolas extendit.

Per indicatam inferius Legem Jure eligendi donantur nunc cuncti regni incolae viginti annos nati, et paternae, tutoriae, aut herili potestati haud obnoxii, nec criminali actione conventi. Arcentur insuper ab electionis exercitio in Civitatibus, oppidisque coordinatis ii, quorum facultates trecentorum florenorum valorem non adaequant; ruri terram quadrantis sessionis minorem possidentes, praete-

---

a) 1649. 44.
b) Eod. Art.
c) 1655. 61. — 1715. 50.
d) 1647. 62.
e) 1435. — et 1474. utrinque in Praefat.
f) 1848. 5.

rea opifices sodale laboris socio destituti, atque ab his reliqui, queis sors annuos centum rhenensium reditus denegavit. Hac tamen exceptiones nullatenus feriunt illos, quos lex in praehabito eligendi jure, aut jam antecedenter in Civium classem relatos deprehenderat. Eligi vero indiscriminatim potest, quisquis in sequelam priorum eligendi facultate pollet, dummodo quatuor supra viginti aetatis annos numeret, ac lingvam hungaricam calleat.

§. 389.

Modumque eligendi.

Relate ad modalitatem peragendae electionis, jubentur Comitatus, privilegiati Districtus, et Civitates voto donati, in tot circulos subdividi, quot numero Nuncios singulis deligere conceditur: partitionem hanc in Comitatibus centralis, quam vocant, Deputatio, eum in finem conflanda; in Districtibus privilegiatis Congregatio generalis; in Civitatibus cum interiori exterior Magistratus, simul designando loca, huicce actui inservitura, instituunt. Eorum postea singulis, seorsive coadunatis, unum ablegatum deligere datum est, idque pluralitate votorum.

§. 390.

Praescripsit.

Complura adhuc ad actum hunc pro objecti gravitate, atque ex obtutu tranquillitatis, salutisque communis ergo observanda praescribuntur; scilicet Juramenti formula, qua membra deputationis centralis in posterum obstringenda sunt; atque tempus, intra quod terminus electionis post indicta Comitia publicus reddatur; decernitur accurata incolarum unius cujusvis loci conscriptio, quam e centrali nominata subdeputatio, quolibet in circulo speciatim perficit, tribus tabellis inserit, et centrali collegio superrevidendam substernit. Jubetur votorum connumeratio publice peragi, ad manutenendum rectum ordinem, praecavendosve, ac refraenandos excessus Praesidem cum Notario, a centrali Deputatione nominatos, interesse, quos una Protocolli conficiendi cura respicit; sed qui agit Praesidem, eligi in eodem

circulo nequit. Denique dubia, vel disceptationes, si emergere contingat, de validitate peractae electionis judicare Tabulae Repraesentantium in Comitiis reservatum habetur. Sufficerit ista solum per apices retulisse, quae enim sunt reliqua, passim ex isthic praemissis consequuntur, quod legem ipsam relegenti, suapte patebit.

§. 391.

Regni Comitiis Rex praeest.

Regem praeesse Comitiis, alioquin Decreta ipsa enunciant, et nemo est, qui ignoret; egerat id hucdum vel in persona, vel medio delegatorum, quos leges regios Commisarios vocant, uti continua docuit observantia *), nulla regnicolarum contradictione affecta; sed Regis haec interventio, quamcunque eminens sit, nequaquam simul comitiale praesidium secum fert.

*) Jam Mathias I. Litteris Regalibus ad Comitatum de Kraszna, Anno 1485. datis, innuit, se ad Diaetam, Vacii celebrandam, suos missise oratores, quod postea a Ferdinando I. ad Carolum VI. sat frequenter usitatum vidimus. Invaluerat istud ea imprimis de causa, quia Reges de stirpe Austriaca saepe curis Romani Imperii, et quandoque peregre detenti, ad Status, et Ordines, comitialiter congregatos, vices suas acturos, dimittebant, qui nomine, quondam in Germania recepto, Comissarii hodiedum audiunt. Vicissim accidit ex parte quoque Regnicolarum, ut dum res in loco Comitiorum superari non possent, Deputatos ad Principem absentem expedirent, potestate utrinque datis instructionibus circumscripta, neque id sine magna — si verum fatendum est — et temporis, et mutuae fiduciae, adeoque eo ipso non sine gravi etiam boni publici jactura.

§. 392.

De Praesidio Comitiorum.

Praesidium itaque usu constanti, memoriam excedente, ad quam leges identidem respexerunt [a]), apud universos Status generatim, et seorsim in Tabula Magnatum Regni Palatinus, eo absente Judex Curiae Regiae, tandem

---

[a]) In exemplo 1662. 53. et 1687. 10.

— praeterito Bano — Tavernicorum Regalium Magister sustinuerat. Reliquis, in quantum scilicet Proceribus contra distingvuntur, proprio in Palatio Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenens [a]); quem si impediri contigisset, Vice-Palatinus, tum Vice-Judex Curiae Regiae exemplis, hic pariter observantiam praemonstrantibus [b]), supplebant. Facta immutatione, Tabulae Procerum Praesidem, nec non hujus vices gerentem nominare Regis est; ad alteram ordinarius, ac Vice-Praesides bini secreto scrutinio, utrobique illico, dum Senatus primum considet, pro triennali Comitiorum tempore constitui jubentur, durante exigua intercapedine, senior collegii sedem Praesidii accepit.

§. 393.

Inchoatio Diaetae.

Moris erat, ut adventante habendis Comitiis die, Membra Diaetalia mox causa honoris Regni Primores reverenter adirent, exacto postea triduo, vel quatriduo, praestolandis absentibus dari solito, ductoque ab invocatione Divini Numinis solenni initio, post consvetas Sessiones praeparatorias *), ipsae tandem consultationes diaetales occiperent.

*) His adnumero Salutationes Statuum mutuas; electionem Deputatorum ad salutandum, et invitandum Regem, hujus adventum cum solenni — nisi aliter jubeat — ingressu, et exceptione conjunctum, quaeve sunt istius generis reliqua, in actis diaetalibus fuse adnotata.

§. 394.

Tabula Statuum superior, et inferior.

Liceat antiquatam Comitiorum formam ultro historice prosequi. Senatus, uti diximus, Procerum unus, et alter Statuum, dudum in separatis conclavibus ordinarie conveniebant. Quod adversus leges clarissimas, aliaque lucu-

---

a) Collig. istud ex 1662. 53. et usu cont.

b) Vid. act. Diaet. compl. Regni Convent.

lenta testimonia [a]), quidam ad recentiorem morem primum in Conventu Soproniensi, ob nescio, quam loci angustiam adoptatum, perperam referre voluerunt. Ordinarie ajo tamen: siquidem Decreta, vel Rescripta Principis, Statuum item Repraesentationes in mixtis sessionibus cunctorum Statuum, in unum congregatorum, vulgari, relegique consveverint. Eadem porro ratione Palatini, Conservatorumque Coronae electionem communiter peragi, referri Acta Deputationum, per Comitia exmissarum, frequenter alia etiam, dum urget tempus, negotia absoluta fuisse experientia docuit.

§. 395.

Quinam Tabulae Procerum.

In superiori Tabula proximus a dextro latere Palatino Praesidi, eodemque, quum alter a Regio Principe hanc dignitatem sustinuit, superno loco adsederat Regni Primas; istum sequuntur Archi-Episcopi Colocensis, Agriensis, Dioecesani Antistites utriusque ritus Catholici caeteri, juxta seriem susceptae consecrationis; post hos hungarici Episcopi electi, Archi-Abbas Montis Pannoniae, Praepositus Major Zagrabiensis [b]), qua prior Auranae (197), et alter Canonicorum Praemostratensium S. Stephani Martyris in Promontario Varadiensi Praelatus [c]). Sinistrum latus ordine, quem lex [d]) designat, Barones Regni, atque Proceres tenent. Nempe Judex Curiae, Banus Croatiae, Tavernicus, postea juxta seriem collationis reliqui, agmen claudente Comite Posoniensi. Vicini huic assident Custodes Coronae, his supremi Comites, haereditarii primo, deinde reliqui secundum installationis suae aetatem. — Accedunt Littoralis Hungarici Gubernator [e]), Ablegatorum Regni Croatiae unus, olim lex Sclavoniae Ablegatum compellat, deinceps duo ad hanc Tabulam delegandi, nec non ab

---

[a]) Vid. 1608. 1. p. c. Conf. Acta Coron. Maximiliani Auct. Kovachich in Solen. Inaug. edit. et post haec 1687. 10.

[b]) 1625. 61.

[c]) 1715. 73.

[d]) 1687. 10.

[e]) 1807. 4.

A° 1792. [a]) Graeci Ritus non uniti Episcopi, qui omnes immixti nativis Magnatibus circum mensam subsellia occupant, ista, licet mensae, sedesque nonnihil aliter, atque prius positae fuerint, utcunque etiam hactenus obtinebant. Consiliariis nobilibus, quibus lex ordinem sessionis in Tabula Procerum designavit, brevi post Consilium Locumtenentiale Regium successit, quod quamdiu perstitit, non intermiserat quavis ingruente Diaeta, praerogativam istam ex analogia veterum illorum Consiliariorum, suis pro commembris a Regia Majestate jure quasi postliminii expetere.

§. 396.

Qui Tabulae Statuum intersint?

Altera, quae aliquando Statuum fuerat, et nunc Repraesentantium Tabula audit, longe aliam faciem induit. ibidem antecedenter loco, tribus gradibus edito, et per Cancellos separato, caput mensae Praesidem illorum Personalem Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenentem latera utrinque Vice-Palatinum, et Vice-Judicem Curiae, Magistros Protonotarios Regni Hungariae quatuor, et unum Croatiae, praeterea Tabulae Regiae Assessores [b]) occupasse conspeximus, ac denique binos Ablegatos Regnorum Croatiae, Dalmatiae, et Sclavoniae [c]) e generali eorundem Congregatione exmissos; quem numerum, nulla lege definitum, Partes adnexae ex usu observarunt vetustiorum temporum. Sclavoniam, quam strictiori nomine Croatiam modo vocamus (9), sex etiam Nuncios aliquando delegasse, notum est [d]). Verum Sclavoniae, quae jam modo sola hoc nomen distincte retinuit, Comitatus tres separatos insuper eodem cum caeteris Hungariae Comitatibus more, et numero ad Regni Diaetam Nuncios expediebant.

§. 397.

Et quo ordine antea interfuerint?

Mensas extra Cancellos triplici serie collocatas — si

---

a) Ejusd. anni art. 10.

b) Vid. 1608. 1. p. c. 1647. 104. et 1662. 52.

c) Sic eos compellat 1723. 7.

d) Kovachich in Vest. Comit. Decreto de Anno 1447. p. 265. et seq.

temporaneam loci permutationem, quae postremis praesertim Comitiis intervenerat, excipias — communiter sic implebant; ut dextrum latus obtinuerint Capitula, Praepositi, et Abbates Ecclesiastici, quantum vel separatis a Capitulo bonis, vel si sine Capitulo sunt, Collationis Regiae beneficiis fruuntur. Abbates item Ordinis Benedictinorum, Cisterciensium, ac Praemonstratensium; secundum hos Comes Nobilium Campi Turopolya, atque Magnatum absentium Legati; in Intermediam mensam Danubiani, huic a sinistris contiguam Tibiscani Deputati Comitatuum primo, dein Civitatum, postea Districtuum Repraesentantes. Omnis autem hic ordo pariter consvetudini tantum, cujus originem nobis nec leges, neque acta Comitiorum produnt, innitebatur.

§. 398.

Qui modo intersint?

Populari electione juxta normam, et ordinem, quem paulo ante retulimus (§. 388. et 89.) introducta. Tabula Regia suo cum Praeside pars integrans Comitiorum esse desiit [a]). Designantur ad comparendum e qualibet Regni Jurisdictione tot, quot eis legetenus delegare admittitur [b]), qui coadunati Collegium Repraesentantium efficiunt: quantum ad ipsam Hungariam cum partibus adnexis, tercenti et septuaginta septem, additis vero sexaginta novem Transilvanis, universim quadringenti quadraginta sex, qui suum sibi Praesidem, et hujus Vicestenentes, ut praemiseram, sibimet ipsis suo de gremio eligunt (392). Addit lex Commembra neo constituti Ministerii utrique Tabulae, quorum suffragia in neutra numerantur; nisi vel apud Proceres suo secus Jure, apud Repraesentantes per electionem eo pertineant. Verum si quae proferre, et informare velint audiendi sunt, et vicissim, quando id ab ipsis postulatur, requisitas suppeditare clarificationes, nec non scripta, ad munus suum attinentia, pandere obstringuntur [c]).

---

a) 1848 — 4. §. 8.

b) Ejusd. A. 5. §. 5.

c) 1848. art. 3. a. §. 28. usq. 32.

§. 399.

Negotia Comitialia quae?

Pro Comitialibus objectis leges expressis verbis designant: I. Electionem Regis, Regia nempe Prosapia penitus intercidente [a]); ejusdemque Coronationem, quamvis modo haereditarius sit [b]). II. Electionem Palatini (214) et III. Regni Coronae Conservatorum [c]). IV. Exterorum in Hungaros receptionem, vulgo Indigenatum, si ea nempe fiat durante Regni Conventu, semper vero horum in articulos diaetales relationem [d]). V. Admissionem neo constitutarum liberarum, regiarumque Civitatum cum Jure suffragii [e]). VI. Nominationem Commissariorum ad Metarum, Regnum Hungariae, vel partes adnexas ferientium rectificationem [f]). VII. Normam Urbarii Domino in usu rei suae limites praestituentem, de quibus ferme omnibus suo loco jam actum fuit. Tum sequentia adhuc, de quibus deinceps agetur, utpote VIII. Formam Judiciorum, normam item, ac methodum administrandae justitiae tam in criminalibus, quam civilibus causis, siquidem Judicia secundum conditas hucusque, aut in futurum condendas leges, et receptam Regni consvetudinem celebrari necesse sit [g]). IX. Rem Tributariam, quam Forenses, materiam Contributionis appellant [h]), demtis extraordinariis eventibus, lege expressis [i]), prout X. Portarum hic clavis instar deservientium redactionem, cujus nominis origo alibi per nos indicabitur. [k]) XI. Animarum, seu personalem conscriptionem [l]).

---

a) Cond. Dip. Regii A. 1715. 1741. et subsequorum.

b) Modo cit. Condit. Diplom.

c) 1550. 77. — 1791. 69.

d) 1608. 6. a. c. 1687. 17.

e) 1439. 17. 1557. 18. aliaeque leg. plur. ad ipsum facto confirm.

f) 1791. 12.

g) 1715. 8. 1791. 19. — 1827. 4.

h) Cit. 8. 1715. — conf. 1641. 22.

i) 1723. 67.

k) Exempl. Artic. 1791. 33. et 1802. 2.

l) Post. compl. art. palmares 1791. 19. 1827. 4.

XII. Subsidia cujusvis nominis, in terrae productis aut tironibus militaribus [a]). XIII. Negotium generalis Regni Insurrectionis [b]).

§. 400.

Materiam legi condendae.

Generatim autem cum leges condere, abrogare, interpretari Regni Diaetis reservatum sit, suapte sequitur, Legislationem huc praecipua quadam ratione referri. Quaeque proinde eo titulo seu Regia Majestate proponente, sive e Comitiali concluso, diaetales Tractatus ingrediuntur, objecta Comitialis pertractationis evadunt equidem, ast mutua duntaxat coalitione, post subsecutam Sanctionem regiam, in legem abitura. Istud, atque caetera, quae de Juribus Majestaticis Capite praecedenti disseruimus, si modo quis attenta memoria voluerit repetere, noveritque Comitia pro salutari relevandorum gravaminum remedio esse praescripta [c]), illi jam minime mirum apparebit, de objectorum comitialum, ad legislationem stricte pertinentium, numero, doctos etiam Patriae viros tantopere variare *), inque ipsis adeo Conventibus publicis disceptationes haud infrequentes oriri, et longarum interdum morarum causas esse.

*) Es war eine Zeit — observat rectissime Schwartner [d]) — als man die gesetzgebende Gewalt, von der vollziehenden nicht scharf genug trennte, und Gegenstände aller Art vor den Reichstag brachte, und sich darüber, wie es die Diaetal-Acten, und auch die Cynosur in Corpus Juris bezeugen, in weitläufige Discussionen, und endliche Entscheidung einließ. Dieß geschah besonders, als noch die politischen, und richterlichen Dicasterien nicht gehörig organisirt waren, an welchen gegenwärtig sehr viele einzelne Gravamina, die an den Reichstag gelangen, hinverwiesen werden.

§. 401.

Propositiones Regiae, ac Regni Desideria suppeditant.

Materiam igitur legi condendae subministrant Regiae

a) 1635. 88.

b) Leges passim de Insurrect. agentes.

c) 1723. 7.

d) Statistik des Königr. Ungarn. P. II. in not. edit. II. p. II. 148.

Propositiones, et Postulata Regnicolarum (§. praec.), quae si ex ratione vulneris legi, aut privatis etiam Juribus illati proferantur, in specie gravamina audiunt. Cum propositionibus Regiis, a Rege ipso, solio circumfusis, consignari solitis, diaetalium deliberationum initium fieri opportere, lege antiqua [a]), et recentiori [b]) sancitum reperio, simul occasione hac circa Regnicolarum desideria praecautum habetur, ut debite pertractatis Propositionibus Regiis, cuncta justa Gravamina in qualibet Diaeta inomisse, et effective tollantur.

§. 402.

Ratio consultandi in Comitiis.

Inchoatione negotiorum, vulgo initiativa diaetalibus nunciis etiamnum relicta, invaluerat aliquando, objecta momenti gravioris, antequam pertractationem in pleno congressu subirent, in sic dictis circulis praevie librare, atque ad invicem expendere; Praeside nempe cum Tabula Regia absente, Ablegati Partium danubianarum a Tibiscanis sat diu, plerumque, et separatim, ast ad conferendum duntaxat, nullatenus vero ad concludendum coveniebant. Quam consvetudinem, a seculis usuvenientem, adolescens, imo primis adhuc meis virilibus annis vigere ipse adverti; placuit postea inde fere a decurrentis seculi primordiis omnes quatuor Regni circulos in unum coire, reliquo usu priori utcunque retento. Verum paulo post limitibus, intra quos providum majorum institutum persistebat, longe lateque perruptis, huc quaevis maxima minima, sine discrimine relegare visum fuit; omni nisu, datis mutuo verbis, eo directo, ut occupata isthic decisione, pertractatio negotiorum Comitiali in sessione ad speciem solum relicta maneat, indeque simul, quantummodo possibile fuerit, evitetur, ne majoris indolis, prouti antea fiebat, Deputationi, e membris utriusque Tabulae compositae, elaboranda concredantur *). In praesentiarum circulos extra usum positos, atque eorum loco, suffragiis occulte datis, Deputationem substituere visum fuit.

---

a) 1495. 25. conf. 1563. 33.

b) 1791. 13.

*) Utrum haec tardius adoptata negotiorum in circulis pertractatio celeriori Diaetae decursui convenerit, singulorum Regni Ordinum Jura non minuerit, — ut caetera, morali votorum libertati adversa, non adferam, — praeteritorum recordatio abunde ostendit, et animus, a partium studio remotus, facile dijudicabit.

§. 403.

Cum plena votorum libertate.

In his omnibus discutiendis unicuique membro comitiali integrum est, suam libere, decenter tamen, et sine cujusquam contumelia sententiam depromere. In utraque Tabula majora concludunt, ad vota singulorum non semper, et olim rarius adhuc procedebatur, quo enim potior praesentium pars propendere videtur, caeteri etiam suo silentio creduntur comprobasse; nisi forte ita disparata sint suffragia, ut non facile in concordiam revocari possint; quo in casu ad Tabulam quidem Magnatum Janitorum Regalium Magister vota colligit *). Apud Tabulam Statuum Praeses haec notare, abindeque pluralitatem pronunciare solet.

*) Si vero, — monet Articulus 25. 1495. — inter ipsos (puta Praelatos, ac Barones) aliqua discrepantia oriretur, Magister Janitorum votum cujuslibet singillatim exquirat, ut saltem sic per sententiam sanioris partis ad unionem, et concordiam reducantur. Quae pòsteriora verba, quid aliud sibi volunt? quam ut, auditis validioribus argumentis, sanior triumphet sententia apud eos etiam, qui antea aliter sensissent, salva votorum pluralitate. Neque enim ulla expeditior ratio Consultationes plurium ad effectum deducendi supermanet.

§. 404.

De mutua Statuum correlatione.

Ultra illa, quae memineram de Janitorum Regalium Magistro, nulla positiva norma colligendi, numerandique suffragia legibus praescribitur, ea observantia tamen harum spiritui prorsus consentanea, ut cum nihil in conclusum possit abire, sine utriusque Tabulae concordia, binae Tabulae, in quae votorum majoritate seorsim coalitum est, sibi mutuo communicent, utriusque coalitio, si aliter non sequa-

tur, in mixta sessione obtineri hactenus intendebatur, ast neque tunc vota curiata locum habent*), quemadmodum nec unanimia unquam requiruntur; mutua Comitialis corporis consensio, ac quacunque tandem ratione praehabita omnium nomine Repraesentatio — uti nostri eam litterati vocant — desuper adornata per Praesidem, et Regni Primatem, qua summum, et Secretarium Regni Cancellarium subscribitur, et Regiae Majestati submittitur.

*) Erravit oppido vehementer Szászky [a]), qui in iis, quae singulos tangunt, uti sunt Collecta, et Tributa, pluralitatem votorum non habere locum: quin porro in negotiis Religionis etiam, aliisque, in quibus omnes non tamquam unum corpus, sed tamquam partes invicem dissidentes considerantur, solam amicam transactionem, haud servato suffragiorum numero, litem dirimere somniat; quo nihil magis foret a rectae legislåtionis principiis alienum.

§. 405.

Utrum unius Status Contradictio Concluso reliquorum offecerit aliquando?

Consentientibus reliquis tribus Statibus, contradictionem Cleri, vel liberarum, regiarumque Civitatum post subsecutum assensum regium, vigori Legis nil offecisse, docent repetitarum Conclusionum, quae non desunt, tenores. Intercesserat universus Clerus haud semel articulis, in Protestantium favorem conditis, sed toties palam subnexum exstitit, hanc refragationem nullius unquam fore firmitatis [b]). Idem liberis, regiisque Civitatibus evenit, dum aliquando contra proxime antea praeteritae Diaetae articulos suam interposuissent contradictionem [c]).

§. 406.

Decretum Comitiale quid?

Responsa Regia, ut de antecedanea Decretorum for-

---

a) Op. cit. C. 5. §. 10. not. 6.

b) 1647. 5. 1681. 26. — 1687. 21. et 1791. 26.

c) 1649. 14. item hujus A. acta Comit.

mula loquar, plerumque per Cancellariam Hungaricam nomine regio, nonnunquam etiam per Rescriptum reddebantur. In primo casu ad mandatum Regiae Majestatis Consiliarius ad Cancellariam Regio Hungaricam Aulicus subscripsit solus, posterius Rex etiam ipse cum Cancellario, atque uno Consiliario. Nunc ista in vicem consubscribentium post Regem unus Ministrorum suo nomine signare ordinatur [a]). Res sic mutuo consensu conclusae, in certos articulos rediguntur, Regique praesentantur, addendo preces, ut hos adsensu suo, et auctoritate ratos, gratosque habeat, et tam ipse benigne observare, quam per alios observari facere dignetur.

§. 407.

De Jure Leges promulgandi.

Negotiis compositis, quousque non fuisset stabilitum, Leges durantibus Comitiis latas intermedio ante conclusionem termino singillative Sanctione Regia posse donari [b]), universi articuli nonnisi cum ipsa Diaetae conclusione vim legis in complexu consequebantur, qui in formam Decreti redacti, Regiaque subscriptione, sigillo, ac subnexis Praelatorum, ac Regni Baronum nominibus muniti, per Regiam Majestatem cum iisdem pene cerimoniis, quae ad inchoationem (401) obtinent, Comitiali Corpori traduntur, sicque vim legum adepti, postea ad universas Regni Jurisdictiones pro ulteriori promulgatione, et observatione per Regiam Majestatem dimittuntur *); mos diu retentus hos insuper ad eos expedire omnes, qui in persona ad Diaetam evocati fuere, recentissime praetermissus est. Leges autem, rite promulgatas, Cives Regni non singulos modo, sed ipsam adeo quamcunque Civium universitatem obligare, omnibus constat.

*) Decreta, et quidquid promulgandum erat, temporibus dudum retroactis, viva voce medio Archi-Praeconum, non scripto publica reddi consvevisse, novimus [c]), verum jam Ludovici I.

---

[a]) 1848. 4.
[b]) Eodem Art.
[c]) Kovachich Vest. Com. et Cziráky ord. Hist. Jur. Civ. Hung. p. 69. Conf. Pray Hist. Reg. Hung. in not. praev. P. II. §. LXI. in notis.

quod hactenus unicum Codici domestico insertum exstat, in authenticis paribus ad se dimissum, aliquot Comitatuum, Regnique Croatiae Archiva conservant. Exstat praeterea simile in privato familiae Görgeyanae tabulario, indubie antea Comitatus Scepusiensis [a]). Dispositio igitur tardior [b]), ut singulis Comitatibus singula Decreta submittantur, credi par est, ad morem, qui forte tantisper interciderat, renovandum intercessisse. Nam et Mariae Reginae confirmatorium, et Sigismundi Decretum, quod minus dicitur, Civitatis Barthphensis scrinio illatum, Pray alicubi innuit, se manibus suis tractasse; et majus ejusdem Regis, prout etiam Alberti, Statibus Regni Sclavoniae missum, ibidem actu prostat.

§. 408.

An quaedam Leges in Hungaria?

An leges in Patria nostra dentur, nec quidem mutuo Regis, et Populi universi assensu alterationi obnoxiae? genuinis Jurisprudentiae principiis solide imbutus vix amplius nostra aetate interrogabit. Quis enim Jurisconsultorum ignorat, leges positivas (de istis enim, non de pactis utique, foederibusve, vel de Regni successionem attinentibus, ac subinde legibus illatis quaeritur) auctoritate, qua conduntur, eadem etiam rite, ac legitime mutari, aut sufferri; nec posse cujuscujus tandem aevi legislationem futurae normam sic immutabilem, atque aeternam praescribere, ut haec ligata duntaxat potestate procedat in iis nempe, quae ad communem salutem referuntur.

§. 409.

Inalterabiles existant?

Sustinere nonnulli volebant, Majores nostros contrarium statuisse, idque e pervetusti cujusdam Decreti verbis [c]): „ut nullo unquam tempore, neque scilicet in no„vorum Regum electione, vel Coronatione, sed neque in „Diaetis, seu Congregationibus generalibus quidquam ex „illis (articulis) variare, vel immutare liceat.“ Verum

---

a) Vide animadv. in Jus publ. Grossingeri p. 211.

b) 1471. 31.

c) 1486. confirm. Art. 78.

istis ego facta oppono insequentium Comitiorum, ubi eorundem articulorum complures, et nominatim octavus, proximis illico mutationem subiit [a]), quod — opinor — satis demonstrat, quid de hac immutabilitate Rex, Regnumque senserint, quantumve valeat, valere.

§. 410.

In specie 8. 1741.

Palmaris autem ille Art. 8. 1741., de quo semel, atque iterum sermo recurrerat, praecavendo: ne sub sensum illius clausulae: „Prout super eorum usu, et „intellectu, Regis, ac communi Statuum „consensu diaetaliter conventum fuerit“ inaugurali Diplomati insertae, recidant fundamentalia Jura, Libertates, Immunitates, Praerogativae in legibus, ibidem designatis specifice contentae non aliud statuere videtur, quam illas omnes claras caeteroquin, haud ulla interpretatione, quae semper ab utriusque partis consensione dependet, indigere, nec opus esse, ut de eo, quomodo intelligendae veniant, in qualemcunque partem quaestiones agitentur. Interim quae anno 1848. conclusa sunt, hujus etiam legis mutabilitatem, icto laethali vulnere, sat superque effectui dederunt.

§. 411.

Jura Regis circa Comitia in complexu.

Regis Hungariae Majestatem Jura ejusdem in Comitiis, Populum universum repraesentantibus, quam maxime reddunt conspicuam, Regis nempe (ut quae sparsim hoc capite commemorantur, sub uno sistantur complexu) praeter eminentem — limitatam licet — in condendis legibus auctoritatem, solius est Jus convocandorum, prorogandorum, aut dissolvendorum Regni conventuum, cum designatione loci, ac temporis. Ad regia Jura pertinet objecta diaetalia proponere, horumque pertractationem exigere. Ab eo etiam dependet ratihabitio, vel recusatio

---

a) 1492. 43.

eorum, quae per alteram partem desiderantur; suprema denique sanctio, atque dein promulgandarum legum auctoritas; omnium certe comitiorum leges testantur, eas semper Regis nomine et promulgatas, et imperatas fuisse, quamquam promulgatio ad Regis etiam executivam potestatem referri posse videatur. Antea Rex Praesidem quoque, quem Personalem praesentiae regiae in judiciis Locumtenentem fuisse diximus, ad Tabulam inferiorem ex suo nominabat delectu, postrema Comitia Jus Praesidem sibi e membris sui Collegii eligendi addixerunt.

§. 412.

Jura item Comitialis Collegii.

E converso cooperativus in Legislationem influxus, quodve ex indole hujus provenit, facultas Regias Propositiones, salvis alioquin obligationibus e systemate Regni, legumque auctoritate profluentibus, amplectendi, aut declinandi, Gravamina, et Postulata proponendi, atque eatenus cum Regia Majestate tractandi, sunt totidem Jura Statibus, et Ordinibus diaetaliter congregatis olim, nunc pariter comitiali corpori neo ordinato, in. et citra comitia propria, ac prorsus eximia. Ad haec Ablegati Comitatuum, nisi gremialis Nobilitas hanc expensarum speciem (quod ultra dimidium seculum continuo fiebat) in se assumsisset, prout et Civitatum e respectivis Cassis domesticis: Capitulorum vero, atque absentium e privata suorum Committentium penu stipendiis, vulgo diurnis inde ab anno nonagesimo primo seculi prioris constanter providebantur. Universa autem membra comitialia sub salvo constituuntur conductu, quorum scilicet securitati Instituta nostra, poenas in illos peculiares statuendo *), qui individua, ad Comitia pertinentia, verbis, factisque injuriosis lacesserent, prospectum voluerunt. Obiter adnoto, salvum conductum ad conscriptores locorum, prout et ad membra Deputationis, quae occasione electionis munere suo defungitur, protendi, qui proinde ex his quemquam laedit, illum actioni criminali subjacere.

*) Criminis, quod nota Infidelitatis nobis dicitur, rei habebantur, mulctabanturque antea, qui libertatem Diaetae turbare,

in specie, qui Jus Comitiorum habentem, aut ejus familiarem verberare, vulnerare, vel occidere permisisset [a]), juxta tardiorem regulam Tabula Regia Judice, et Actionem Causarum Regalium Directore erigente, calumniatores mulctam florenorum ducentorum; verberatores, aut vulneratores poenam actus majoris potentiae; occisores capitalem sententiam incurrunt [b]).

§. 413.

Regnique Jurisdictionum.

Moralibus tandem corporibus, promiscue Regni Jurisdictionum nomine venientibus, relate ad Comitia suae itidem — ut vidimus — partes non defuerant, usui ex ipso Regni systemate, quamdiu hoc incolume stabat, derivato innixae. Illorum potestati accensebatur praenotare Gravamina, ac Postulata, non proprias tantum rationes, verum Patriam quoque in complexu attinentia; haec Regni Conventui medio Ablegatorum proponenda curare, atque istos eligere, Instructionibus, quae ad invicem collatae, perque universum corpus Comitiale omni sui parte rite perpensae, accomodam sollicitandorum communium Gentis desideriorum viam commonstrarent, Ablegatos ab immemoriali tempore provisos fuisse, cuique notum est.

§. 414.

Comittentium Instructiones.

Pro consultativis instructiones istae, an pro obligativis considerandae sint, esto nuspiam positive decernatur, easdem robur omne amisisse docent acta postremorum Comitiorum [c]); tamen ad hanc magna sui parte historicam lucubrationem sic pertinere intelligo, ut quaestionem certe magni olim nobis momenti hic non simpliciter praeterundam, verum ex legum, veterisque systematis spiritu paulo operosius enucleandam existimem. Posterius quamdiu Institutiones vigebant veteres, in respectu legum fundamentalium, et analogarum constitutionum substitisse, nec secus quoad negotia Comittentium specialia, cum in his Ablegati

---

a) 1507. 12.
b) 1723. 7. vide etiam 1625. 62.
c) 1848.

simul Mandatarii essent, res ipsa trium seculorum exemplo illustrata ostendit. Strictum praetera Nuncios in reliquis mansisse officium, eorum, a quibus mittuntur, mentem explicare, appositisque fulcire argumentis, plene consentio. Qui tamen adhuc ulterius progrediendo, instructionum imperium ad quaevis objecta, sine discrimine, tanto cum rigore extendere noviori tantummodo usu contendebant, ut abire in aliam sententiam — tametsi convicto — absolute non liceat, thesim avitae Constitutioni e diametro contrariam adoptarunt, utpote cujus cardinalibus accensetur principiis, quod de publica Regni necessitate cognoscere, et cum Rege decidere, comitiali corpori reservatum habeatur.

§. 415.

Nuncios.

Non observant cognitionem istam nequaquam apud singulares Jurisdictiones, sed tantummodo in generali Regni Conventu, perque diaetalem duntaxat concertationem legitime evolvi; atque resultatum omne e mutuis tractatibus, inter Principem, et Status diaetaliter congregatos intercedentibus, quibus scilicet legiferae potestatis communionem exclusive leges asseruerant, nunquam certe aliter, nec aliunde obtineri quivisse.

§. 416.

In Tractatibus Diaetalibus.

Non observant — repeto — vel ideam tractatus similis vim adeo imperativam, quae totum corpus Regni cum plena facultate absentium repraesentantes[a]) absolute ligaret, omnino excludere. Profecto contraria doctrina huic theoriae, qualem isthic non nostris solum, ast sanis omnium populorum, jure repraesentativo in legislationem influentium, principiis *), continuataeque apud eosdem observantiae innixam candide exponimus; nihil facile reperietur dignitati legislativi corporis, deliberationum li-

---

[a]) 1435. in Praefat. jam supra citata.

bertati assequendaeque mutuae coalitioni magis inimicum: nihil proinde fallaci hoc toxico aptius ad factiones ciendas, quod lugubris experientia docuit, nihil etiam ad ipsum systema constitutionis pedetentim suffodiendum.

*) Apposite in nostram sententiam post multos Pölicz auctor certe admodum liberalis [a]): „Die Stellvertreter des Volkes sind für die Dauer ihres Beisammenseyns die unabhängigen, selbstständigen, unverlezlichen, und für ihre amtsmäßig geäußerten Meinungen, und rechtlich abgegebenen Stimmen unverantwortlichen Vertreter des gesammten Volkes, denn als solche sollen sie blos, und einzig die Begründung, Erhaltung und Sicherstellung der Rechte, und der möglichen Wohlfahrt des ganzen Volkes beabsichtigen, in dessen Nahmen und durch dessen Wohl sie sprechen und handeln.

§. 417.

Indiscriminatim ligare nequeunt.

Opere pretium erit, postquam academicam hanc exercitationem ipsi provocavimus, aurem instructionibus sine discrimine vim obligativam asserere sollicitis tantisper praebere, quam nuper adhuc adeo perfracte tuebantur. Praecipuum argumentum a concursu, et influxu universae Nobilitatis olim ad Regni conventus deducunt; alterum in verbis nonnullarum legum, quae mox inferius adferam, se deprehendisse existimant. Ast etsi obliti eorum, quae supra (378) animadvertimus, daremus remotis seculis quemvis Nobilem ad singula semper comitia, et quidem cum jure suffragii intervenisse; num quaeso, quod singularia individua aliquando coram exercuisse praetenditur, idem mutata ex integro facie generalibus Comitatuum Congregationibus, votorumque ibidem praesentium potiori parti, aevo seculis tardiore, competere consequetur? Aut quia Nobilibus cognoscendo, deliberando, tractando, denique conventui intervenire universis quandoque licuit, hoc ipsum peregre absentibus, neque partem in ipsa discussione capientibus, pari extensione relictum fuisse, et citra enorme temporis dispendium, sine aperto persaepe reipublicae discrimine (neque enim negotia diversa, quae subinde ex improviso incidunt, mo-

---

[a]) Vid. Ejusd. Staats-Wissenschaften im Lichte unserer Zeit. P. I. p. 214.

ram patiuntur) attribui posse, animo a praeventione libero consultum videri, imo vel possibile fore statuemus?

§. 418.

Contrarium nec leges.

Scio leges, nominatim articulum 7. 1553., qui erga propositionem divi Ferdinandi VI., et VII. *) de veteri Patrum religione retinenda, statuendisque in violentos ecclesiasticorum proventuum occupatores, praetermisso juris ordine, poenis perlati fuerant; 17. vero 1556., qui de praestandis munitionibus per Comitatus Tibisco adsitis agit, diserte defectum instructionis causare, quominus quidpiam ordinetur; quid autem praesidii inde adversarii suae sententiae vindicare queant, fateor me nescire. Nullus enim, qui meritum horumce articulorum subacto perpenderit judicio, non illico animadvertet, primo, atque secundo loco adductos circa objecta versari, individualem uniuscujusque libertatem, praerogativasque cardinales ferientia, insequentem de localibus adjunctis Comitatuum disserere, in quorum utroque genere obligare instructiones inter nos convenit. Imo dum articulus posterior sponsionem exprimit: „mittentes partibus suis non defuturos“ certe si quid, id omnium minime probat, quod Ablegati suorum Committentium instructionibus absolute constringantur.

*) Sexta hortatur Sua Majestas fidelis Ordines, et Status Regni, „ut relictis novis opinionibus, et erroribus pravis, „per sectatores quospiam invectis, ad veterem, Parentumque „suorum veram religionem, et ab Apostolorum usque tem„pore in Ecclesia Catholica hucusque observatam revertan„tur“ Septima vero monet: „ut eum modum, et rationem „studeant inire, qua violenti ecclesiasticorum proventuum „ablatores non Jurium processibus, sed aliter „puniri, et ad restituenda ablata cogi possint.“ Haec sunt verba utriusque propositionis.

§. 419.

Nec facta evincunt.

Dicunt tamen exempla aevi non recentissimi solum, sed anterioris quoque, prostare instructionum stricte im-

perativarum, quas suis dabant Jurisdictiones Committentibus, ac vel quod lex adsit [a]), quae istos jubeat in reditu suae legationis relationem facere, eos simul ad hanc sequendam obligasse. — Ergo — amabo — illa omnia, quaequae egerunt Jurisdictiones, vim confestim obligativam hoc ipso inducunt? et qui de missione sua referre tenetur, facultate libere agendi simpliciter carere debet? quanta, si ista subsisterent, inde absurda sequerentur? atque utinam secuta non fuissent.

§. 420.

Qua lingva leges condantur.

Finem de Comitiis disserendi antequam facio, quaenam de lingva hungarica in texendis decretis, actisque publicis, antea latine decurrentibus, vario tempore legetenus fuerint constituta, tametsi vel per usum communem in propatulo sint, non penitus praeteribo. Ut hungarico simul, ac latino idiomate scribantur, anno hujus seculi supra tricesimum sexto [b]), constitutum erat, quodsi tamen de significatu alicubi dubium emergeret, istud hungaricus textus dirimat; quadriennio nondum evoluto, Litterae ad Regem, ceu Repraesentationes e Comitiis, labio latio excluso, vernaculo duntaxat dimitti jubentur [c]); post similem tandem intercapedinem [d]), id quod anhelis petebatur votis, ad Regias Propositiones, Rescripta, et quidquid Regio nomine dandum, vel reddendum foret, aeque extensum fuit, qua occasione profligato penitus e Comitiis, e Dicasteriis, e Tribunalibus — verbo — undique latino labio, unice Nunciis Partium adnexarum sexennii respirium ad sermonem latine proferendum permittere visum fuit *).

*) Qualem ista, tanta cum acerbitate propugnata, tam vehementi praedominii nisu, Sociis Regnis palam reclamantibus, conclusa, nec sine gravi, ac violenta pro numerosis alterius labii coincolis coactione imposita effectum produxerint, quam

a) 1655. 49.
b) Art. 3.
c) 1840. 6.
d) 1848. 2.

amaros fructus tulerint, quis nostrum est, qui non senserit? Sed desino cognitae, expertaeque communi calamitati immorari, unum illud in salutare posterorum monitum Virgilii adscribo „En quo discordia Cives perduxit miseros.“

§. 421.

Conventus particulares Regni.

Inducor loci oportunitate, ut de particularibus Comitiis, olim Hungariae haud prorsus incognitis, mentionem faciam; quae tunc communiter locum sortiebantur, quando non omnes jure suffragii pollentes, sed ii tantum qui celeriter haberi poterant, convocabantur, tardius Concursus Regni nomine veniunt, fueruntque subinde sic claris Legum recentiorum limitibus definiti [a]), ut nonnisi locum haberent, dum inopinae irruptionis hostilis, vel improvisi flagrantis belli ratio diaetam celebrare impedit; absque vero mora consilia circa objectum Contributionis ineunda forent. Tum enimvero praeter Palatinum, Regni Primatem; et Barones, Tabula quoque Regia Judiciaria, Comitatus, et Civitates regiae, quo frequentiores intra Regni limites coadunati, praecise de hoc objecto cognita, agnitaque sufficienti similis necessitatis causa deliberare, et concludere poterant. Quae aliquando provida legum dispositione, si comitia quotannis convocanda erunt, vix, ac ne vix quidem locum capient.

§. 422.

Partiumque adnexarum.

Affines his sunt Conventus Partium adnexarum, alias generales Regnorum Congregationes appellati, celebrantur Praeside Bano ad elaborandam pro Regnorum illorum Ablegatis Instructionem, hosque ipsos deligendos, nec non ad excipiendam — terminata missione — relationem, atque articulorum recenter conditorum promulgationem. Praeterea ad eligendum Regni Protonotarium; repartiendam contributionem; ad insurrectionem, si decreta habetur,

---

a) 1715. 8. 1741. 22.

sua ex parte effectui mancipandam; denique ad municipalia Statuta condenda (XXXI).

Caput VI.

De Potestate Executiva in genere.

§. 423.

Necessitas Potestatis Executivae.

Potestas cunctis iis utendi adminiculis, quae ad effectum legis procurandum, publicamque gubernationem ex ordine prosequendam necessaria sunt, ac congrua, rectoria nonnullis: nobis executiva dicitur. Imperio adeo inevitabiliter propria, ut qui hanc tollunt, vel justo arctioribus constringunt limitibus, vim ipsam tollant, aut labefactent Imperii; tutissimum illud omnis civilis libertatis, et securitatis praesidium. Quid enim leges, atque intentiones aequissimae, ac saluberrimae licet, et ad beatam civium vitam optime comparatae prodessent sine viribus debitum eis obsequium procurandi, et quae in salutem populi provide sanciuntur, in effectum deducendo, vita quasi animandi?

§. 424.

In Hungaria Regi competit.

In Hungaria autem secundum omnis civilis prudentiae regulas *) soli Regi competit, independenter quidem, in sensu tamen legum exercenda; quod et leges ipsae [a]), et formula in conclusionibus Decretorum obvia „observabimus, et observari faciemus" luculenter evincunt. Quare non est, cur moneam, mandatis regiis ab his, ad quos pertinent, diligenter esse obtemperandum. Quorsum Deum bonum! delaberemur, si liceret vel singulis obvie subditis, vel Magistratibus, aut moralibus quibuscunque corporibus suo pro arbitrio obsequim regiis Ordinationibus detrectare?

---

[a]) Vid. Resp. Ferd. I. a. 1545. ad 3. 33. 1550. 7. et vel maxime 1791. 12.

*) Digna est Hufelandio [a]) summi Judicii sententia „Daß die „Gegenstände der Staatsverwaltung, welche Schnelligkeit, augen„blickliche Entschlossenheit, Thätigkeit, und ganz gleichförmige „Behandlung erfordern, wohin die Vollstreckung und Aufrecht„haltung der Gesetze, das Detail einzelner Anstalten, die Leitung „des Krieges, die Verhandlungen mit auswärtigen Staaten „und so weiter gehören: am vortheilhaftesten einem einzigen „Manne, dem Fürsten belassen werden. Weil bei dieser Art die „Regierungs-Geschäfte die Berathschlagung mehrerer alles ver„derben, und die Zeit mit Berathschlagungen hingebracht wer„den würde, wo man handeln soll."

§. 425.

Quod ultra probatur.

Cui perspecta est Regni hujus constitutio, neminem puto futurum, qui a me dissentiat; quamquam et leges habeam in promtu, quibus sententiam meam amplius firmare queam. Noti sunt omnibus Decretorum comitialium, sub Ferdinando I. et alias editorum, articuli complures [b]), et prae caeteris A. 1548. 14. ita vero ille: „Quod ad obedi„entiam attinet, quam Regia Majestas sibi per suos subdi„tos praestari cupit, agnoscunt Status, et Ordines Regni, „Domino eorum clementissimo debitam ab omnibus obedi„entiam praestari debere; quod si qui inobedientes fuerint, „Majestas Regia, tamquam verus Rex Hungariae, ordinaria „auctoritate sua, potest in eos animadvertere pro merito „cujusque." Certe Majores nostri quam maxime ad profligandum perniciosissimum anarchiae malum *), ne ulli inde amplius praetextui locus remaneat, sublationi famigeratae clausulae, in decreto Andreae Regis contentae, accesserunt.

*) Grave quidem dictu est, sed profitendum tamen, sparsim in Patria nostra aliquot lustrorum decursu invalescere coepisse exitiosam eam perniciem, altasque adeo pedetentim dilatasse radices, ut acerbas sequelas, quae Hungariam dire conquassarunt, inde adventantes proborum plurimi quasi e specula quadam prospicerent, atque praesagirent.

---

a) Vid. ejusd. Einleitung zu Mounirs Betrachtungen über die Staatsverf. S. 50.

b) 1550. 7. — 1556. 23. — 1625. 4. etc.

§. 426.

Ab Ordinum Regni Consensu.

Adversus exclusivam Regis potestatem exsequendi quidam duo obvertebant: I. Jus Regni Jurisdictionibus indubie competens repraesentandi adversus ordinationes altiorum Regni Dicasteriorum, imo contra ipsa regia Mandata, quae legi derogare videntur. II. Praerogativam eorundem in deligendis Magistratibus, tametsi illi etiam supremae potestatis executivae administri sint.

§. 427.

Minime suspensa.

Mihi tamen ex his influxum, qui Regem in illius juris exercitio regulet, aut cuidam dependentiae involvat, nullatenus deduci posse, est quam evidentissimum. Facultas etenim preces, motiva, argumenta proponendi quae in absoluto quoque imperio minime exulat, nec Jus Imperantis urgendi obsequium, neque obligationem obsequendi subditos manentem, ulla ratione evertit. Electio vero Magistratuum caeteroquin ad eorum praecise numerum restricta habetur, qui interveniente — uti postea videbimus — adeoque delegata summi Principis auctoritate delectui submittuntur.

§. 428.

Ambitus hujus potestatis.

Ingens sane est objectorum varietas, et copia, quae jus istud Majestaticum sibi subordinata habet *), commode tamen apud nos, quemadmodum in praesentiarum etiamnum, ut antea exercetur, ad sequentia reduci possunt. Utpote ad potestatem judiciariam, Jus supremae Inspectionis, ex quo etiam Jus Principis circa negotia Religionis, et educationem, institutionemque Juventutis haud perperam derivant. Jus porro conferendi munia, ac dignitates; Jus armorum; Jus redituum publicorum, ac tandem Dominium eminens.

*) Quantum enim esse putabimus — quaero cum Seneca — omnium somnos sua vigilantia, omnium otium suo labore; omnium delicias sua industria; omnium vacationem sua occupatione defendere, ut vere dixerit Salustius: maximo Imperio maximam curam inesse.

Caput VII.

De potestate judiciaria.

§. 429.

Cura administrandae Justitiae.

Judiciariam potestatem, cujus sub aegide lites singulares, in societate civili occurentes, dirimuntur, atque definiuntur, pro executivae potestatis parte dum plurium in consortio [a]) me statuisse recordor (320) eandemque hoc ipso Regi Hungariae propriam esse, aliis verbis e spiritu constitutionis nostrae pronunciavi. Nam si summum Principem executivae potestatis, omnisque Jurisdictionis fontem ac supremum rectorem correspondens obligatio manet, ut leges Regni tum ipse observet, tum per alios observari faciat; Ei absolute etiam incumbit, publicae, privataeque, cujus causa illae conduntur, securitati invigilare, atque praecavere, ne sive Civitas in concreto, seu singillatim ullus e legum transgressione in rebus suis, vel persona, detrimentum quodpiam experiri cogatur. Hac de causa omnibus, et singulis, casu emergente, via, modoque legali jus reddit, justitiamque; sine qua magna Imperia, magna evadunt latrocinia.

§. 430.

Judiciaria cum Potestate Regem respicit.

Supremus igitur causarum tam civilium, quam criminalium Judex, in quem scilicet — monente Verböczio [b]) — omnis potestatis Judiciariae facultas simul

---

a) Martini in Posit. de Jure Civit. Zachariae: Ueber Verpflichtung zur Aufrechthaltung d. Recht. des Königthums Westphalen. Heidelberg 1817. T. 2. p. 212. et seq. — Pölitz op. cit. P. I. p. 1. 233. et seq. aliique.

b) Saepe cit. P. II. tt. 3.

cum Imperio, et Regimine translata fuit, Rex est, quem propterea documenta publica summum Justitiarium persaepe appellant. Sane ad Illum Juris dicendi potestas pertinuit omni tempore, et istam, quam olim per se quoque non raro exercebat — quemadmodum nobis leges, et Historia obvio testimonio sunt*) — nunc per legitime constituta, sibique subordinata Tribunalia ita exequitur, ut providere cum effectu, quo justitia indiscriminatim cuivis, eam sollicitanti, servato Juris ordine, a legibus, ac norma praestituta, et prompte, et sine praecipitantia, et absque partium studio obtingat, pro hac sua in Judicialibus auctoritate non tantum possit, verum etiam debeat.

*) Pro exemplo articulum aureae Bullae, et alterius Andreani 1. utrinque alios memoratos, nec non art. 8. Belae IV. Regis decreto de A° 1267. insertum [a]), quod ipsum dein Reges complures ex ordine confirmarunt, provocare abunde deserviet. In quibus ambo profitentur, se — nisi arduo negotio, vel infirmitate prohibeantur — quot annis Festo S. Regis solennisare, causasque audire teneri. Eruditus Bartal, quo in illustranda potestate Judiciaria, Forisque Judiciariis, quae in primordiis Monarchiae, ac primis seculis locum habuerant, designandis nemo disertior fuit, evictore ipso divo Stephano [b]) verissime adnotavit: alias retrusis iis temporibus causas Regem per se ipsum cognovisse, alias constitutis ad haec Judicibus fuisse commissa [c]). Hinc numerosas litteras adjudicatorias, caeteraque monumenta historica, quae rem factis confirmant, prolixitatis vitandae gratia adducere praetermitto.

§. 431.

Respondetur ad objectionem I.

Experior eos, qui Juribus Regiis Judiciariam potestatem adnumerare detrectant, e praemissis duplex desumere argumentum. Primum: quod Jurisdictiones publicae non tantum civili, verum sangvinaria plane in suos judicandi potestate gaudeant, imo hanc privati etiam territoriorum possessores haud ita pridem, et plures etiam Communitates

---

a) Bina poster. reper. apud plur. sig. Kovachich saepe cit. Vest. Comit.
b) L. 1. C. 5.
c) Georg. Bartal Comment. ad Hist. Stat. Jurisque publ. Hung. aevi medii T. 1. §. 118. p. 317.

exercuerint. Verum hi non animadverterunt, praerogativam istam progrediente tempore Principum liberalitate impetratam, nonnisi salva horum summa circa administrandam justitiam auctoritate fuisse attributam; cui Judicia omnia necessario in Regno subordinantur, quaeve nequit a Regia Majestate avelli.

§. 432.

Et alteram.

Alterum paulo ponderosius Regi absque legum praeexistentium violatione haud licere, objiciunt, ordinaria Regni Judicia in administranda justitia ullo modo impedire; nec ex suo duntaxat arbitrio instituere nova, aut vetera supprimere, vel immutare. Qui tamen hoc argumento pugnant, ea, quae sunt in Re Judiciaria legislationis, manifeste cum Jurisdictione confundunt *). Posteriori huic proposita sunt tria: Puta cognoscere factum, cui Jus in genere adplicandum est, tum facti veritate cognita, secundum Jura decernere; demum sententiam exequi. Omne istud, dum faciunt Judices, Regis ipsius funguntur officio, quo ipse defungi vix potest, nec si posset, ut faciat, consultum foret [a]).

*) Wenn das Recht im Staate — docet praeclare Pöliczius, et apposite in rem nostram [b]) — zur Herrschaft gelangen, und jede Selbsthülfe von der bürgerlichen Gesellschaft ausgeschlossen werden soll, weil in derselben an die Stelle der Selbsthülfe, der rechtlich gestaltete Zwang tritt, so muß in derselben eine Gewalt bestehen, welche darüber wacht, daß jedem Bürger das wiederfahre, was in dem einzelnen Falle recht ist. Diese Gewalt ist die richterliche. Sie ist ein Theil der vollziehenden Gewalt, und nach ihrer Thätigkeit an die vorausgehende gesetzgebende Gewalt gebunden, denn Sie hat die Bestimmung, die einzelnen Rechtsstreitigkeiten in der bürgerlichen Gesellschaft den vorhandenen organischen, oder abgeleiteten Gesetzen unter zu ordnen, und den vorliegenden oder streitigen Fall in Angemeßenheit zu den bestehenden bürgerlichen, oder peinlichen Gesetzen zu entscheiden. Die richterliche Gewalt kann daher, so groß und einflußreich auch ihr Wirkungskreis ist, mit der gesetzgebenden und

---

a) Qua de re digna est lectu Kircheisen Oratio ap. Klein Annalium L. 9. p. 301.

b) Op. cit.

vollziehenden Gewalt nicht auf gleiche Höhe gestellt werden, weil sie nach ihren Entscheidungen von der ersten abhängt, und nach ihrer Wirksamkeit ein Theil der zweiten ist. Denn obgleich der richterliche Ausspruch ganz dem Ermeßen des Richters, ohne irgend einen äußeren Einfluß auf denselben überlassen bleiben muß, so geschieht doch dasselbe in Nahmen des Regenten, in welchem alle Gesetze im Staate, als unvermeidliche Vorschriften des Gesammtwillens bekannt gemacht, und vollzogen werden."

§. 433.

Judiciorum Coordinatio Objectum Legislationis constituit.

Hinc etsi Jurisdictio, quae Judicia per Regnum, Partesque illi adnexas constituta respicit, a summo Principe veluti fonte dimanaverit, est tamen propria haec illorum, et ordinaria. Quapropter formam, et Ordinem Judiciorum lege stabilitum pro suo arbitrio mutare [a]), quodque retrusis temporibus non infrequenter faciebant Reges, causas, vel personas ab ordinaria hac Jurisdictione eximere [b]), praestitutum Juris cursum avocatione, vel mandatis aliis turbare [c]), extra legitimos Juris processus Commissionibus invitos gravare [d]), quamvis positivis legibus interdictum non foret, devitare tamen ipsa aequitas, et communis boni ratio svaderent. Verbo: ut paucis complectar omnia, quae in Re Judiciaria legislationi sunt propria, de iis disponere quidquam, non est utique in potestate Regis solius [e]).

§. 434.

De habitu Curiae Regiae ad summum Principem.

Regis ergo auctoritate, praemissis nil officientibus, Jus dicunt superiora Tribunalia, cognomento Curiae Regiae dudum compellata, cui olim Ipse praesidebat *), qua ex causa sententiae in hoc eminenti regio Tribunali per-

---

a) 1791. 12.
b) 1486. 21.
c) 1655. 53. — 1659. 45.
d) 1649. 42. conf. 1805. art. 5.
e) Mox cit. 1791. 12.

latae, Regis unius nomine, regioque judiciali Sigillo expediuntur.

*) Vestigium Praesidii hujus, adhuc sub periodi Austriacae initia perdurantis, sat luculentum, Diploma Nádasdio super officio Palatinatus editum (230) suppeditare videtur, quo statuit Ferdinandus I. „Ut idem Thomas Nádasdy, ultra „ordinariam ex officio Palatinatus judicandi auctoritatem, in „absentia nostra, vel alterius ex filiis nostris „etiam auctoritate Locumtenentiae nostrae habeat „facultatem justitiam administrandi citra omnem appellationem."

§. 435.

Specialia Regis Jura.

Accensentur praeterea Juribus, atque Obligationibus, quae generatim Regis supremam potestatem circa Judicia consequuntur: Quod Judices quosvis vel nominet ipse, vel nominatos confirmet, aut delegata potestate proponi faciat deligendos. Quod Auctoritatem Fori legitimam violari non admittat, legalemque Judiciorum efficacitatem adversus quemvis vindicet; neque patiatur, ut quispiam legis in obversum extra territorium Regni juri stare adigatur. Porro, quod series causarum tam civilium, quam criminalium ab universis Foris Hungariae, Partiumque adnexarum — nullo tribunali excepto — Regiae Inspectioni substernantur. Quod demum cum designatus per Legem Judex deficeret, vel causa esset ejus indolis, ut diverso sub respectu, diversos sortiretur, Rex istum suo constituat, delegetque arbitratu.

§. 436.

Circa rem judiciariam.

His accedunt Mandata Judiciaria, quibus in casu protelatae, aut denegatae Justitiae, vel si vicissim praecipiti nimis gressu sententia pronunciata videatur; partibus conquerentibus subvenitur *).

*) Diversas horum species, uti Delegatoria, Acceleratoria, Inhibitoria, Declinatoria, Prorogatoria, Relaxatoria, Transmissionalia, Novi cum gratia, Sequestratoria, Brachialia, ac caetera, quae Judicis directionem concernunt, ex professo explanare, eorumque validitatem, quorum quaedam a Judici-

bus Regni ordinariis dabantur, scrutari, ad Jus privatum spectat.

§. 437.

Potestas coërcitiva.

Partem denique Juris hujusce Majestatici prorsus conspicuam Potestas Regis coërcitiva efficit. Nimirum, quod de legislatione civili dictum fuit suis locis, idem valet de legislatione criminali. Perferuntur in Comitiis leges poenales; instituuntur Judicia; forma, ac modus procedendi praescribitur; supplentur defectus; atque noxia, si quae irrepserunt, ibi sufferuntur. Hoc attamen nihil impedit, quominus proprium cum hac potestate conjunctum sit Regis Officium, ut sollicite provideat, ne parte ab una delicta in Regno impune grassentur, parte vero ab altera seu severitate, sive praecipitantia adversus rectam Justitiae vindicis administrationem delinquatur.

§. 438.

Regi reservata.

Quare et processum non servato Juris Ordine definitum abolere, et innocentiam ultra demonstrare volentibus, litis suae reassumtionem ordinare, famamque inculpato restituere, et quarumvis sententiarum executionem suspendere, Regi semper erit integrum. Poenam tamen minime exasperat, quod facere, tametsi aequum videri posset, Imperanti nihilominus vitare conveniret, ne vel in suspicionem veniat immeritae, ac hoc ipso injustae severitatis.

§. 439.

Jus quoque Statarium.

Inter Jura huc spectantia, quae Majestati Regiae longo usu, atque consvetudine tamquam supremo Justitiario peculiariter adhaerent, salutis publicae servandae ratio exercitium Juris Statarii necessario collocavit; nam si crimina quaedam adeo frequentia evadant sive per Regnum universum, sive hac, illave sui parte, ut veloci poenae

inflictione deterrens aliis exemplum praebendum sit: summi Principis est, Judicium Statarium ad usum ponere, promulgari facere, ei modum, ac formam praescribere, criminum species subjicere, ac cessante ejusdem necessitate, sine qua caeteroquin locum nunquam habet, illud iterum exstingvere.

§. 440.

Et Gratiam Reis faciendi.

Quaestionem aetate recentiori inter Jurisconsultos utramque in partem frequentissime ventilatam: sitne Principi integrum facinorosis ad poenam mortis condemnatis, vitae gratiam impertiri? Pro Rege Hungariae leges positivae [a]), continuumque exercitium, nullo Monarchiae nostrae aevo dimissum, aperte decidunt. Jure igitur suo istud prosequendo, capitalium Sententiarum executionem suspendit, ut libratis, quae ad gratiam concedendam faciunt, motivis, vel hanc impertiatur, vel sententiam in effectum abire sinat. Neque enim justus Imperans ex mero isthic arbitrio procedit, verum semper e fine civitatis; et ad supplendam legislationis civilis imperfectionem, quae in rebus humanis evitari nequit [b]). Potestque ob eandem rationem in sententiis etiam, capitis, mulctationem haud statuentibus, dictatam a Judice poenam mitigare.

§. 441.

In se comprehendit.

Nihil in contrarium moveant quemquam articuli, sparsim Decretis nostris expressi [c]), qui nonnunquam constituerant vel relapsis in reatus, vel ob criminis enormitatem gratiam haud esse largiendam; nam temporaneae similes provisiones — Rege ita volente — ex occasione singularium eventuum legibus palam enunciatae, Ejus indisputabili, nuspiam in dubium vocato adgratiandi Juri derogare absolute non valent.

---

a) Vide e pluribus 1715. 48.

b) Conf. Jordan, Versuche über allgemeines Staatsrecht. p. 364. et seq.

c) 1492. 82. — 1563. 63. — 1655. 26.

Caput VIII.

De Jure supremae Inspectionis.

§. 442.

Ambitus hujus Juris exporrigitur.

Non solum ad ferendas leges, pro temporum ratione necessarias, utiles, atque accomodas, verum ad debitum quoque effectum illis procurandum, in quo posteriori vim executivae potestatis consistere novimus (319), Principi, Civitatis Rectori, absolute opus est, omnium Reipublicae adjunctorum perfectam habere cognitionem. Hanc Rex Hungariae Jure, quod ubivis supremae Inspectionis nomine venit, modo tamen, viaque legali sibi comparat, quo eandem praemissum in finem pro varietate objectorum jam in Comitiis, jam extra illa ad congruas ordinationes faciendas adplicare valeat. Neque alios in eadem exercendo limites agnoscit, quam quos vel natura, finisque Imperii, vel positivae leges diserte designarunt.

§. 443.

I. Ad publicae Administrationis rationem.

Ejus in sequelam universa quaecunque tandem publicae administrationis protocolla, politica, juridica, oeconomica, altiorem, cui per regiam Ordinationem hoc fine assignata sunt, subeunt revisionem. Exigitur numerus captivorum, addita delictorum specie, per Regnum reclusorum; praestantur informationes de reditibus publicis cujuscunque generis; instituuntur visitationes aerariorum; exhibentur annuae tabellae, spem, statumque procreationis frugum, quantitatem invectarum, et evectarum mercium, aut Regni productorum remonstrantes; illorum item omnium, quae scire interest ad publicam gubernationem rite procurandam. Quare in singularibus etiam casibus, quoties Regia Majestas facti relationem, rationemque sibi jubet substerni, vel si fine instituendae uberioris investigationis Delegatum expediat, suo utitur jure [a]), cui refragari, salva Regni Constitutione, nemini licebat, licetque.

---

[a]) Vid. imprim. 1559. 7. — 1805. 5.

§. 444.

II. Ad Consociationes, et Instituta publica, et privata.

Exporrigit se deinde haec pars Juris majestatici ad cuncta corpora moralia, intra Regni Hungariae, et adnexarum Provinciarum ambitum reperibilia. Itaque examinare Instituta publica qualiscunque cathegoriae; admittere legibus, juribusque aliorum non contraria, ac innoxia; eorum Statuta confirmare; vel, si noxia esse adpareant, reprobare; quemadmodum inventa, et artefacta diversis favoribus exornare, vel Opificum quoque Contubernia specie privilegii communire, aut re ita postulante, sufferre [a]) mediate partim, partim immediate ad Regum Hungariae potestatem spectant, quam ex usu legibus [b]), ipsiusque Majestatis notione suffragante, continuo retinent.

§. 445.

III. Ad Objecta Politiae reliqua.

Ab eodem supremae Inspectionis Jure derivantur praeterea universa illa, quae ad internam securitatem, tam publicam, quam privatam, ad utilitatem item, ac commoda civium promovenda faciunt, atque passim objecta Politiae publicae audiunt *). Horum equidem curam, Juribus non minus, quam obligationibus regiis perpetuo conjunctam, Regum nostrorum continuae, et magno numero editae politicae ordinationes apertissime docent. Alioquin eo cum temperamento, ut quia non omnia, quorum hoc, ac praecedenti §. meminimus, de quibus item in mox sequenti locuturi sumus, Rex propriis ipse oculis, manibusque indiscriminatim tractare potis est; eam summi muneris spartam magna in parte medio suorum variae cathegoriae Ministrorum, Tribunaliumque adimpleat, ut id ipsum locis opportunis specifice indicabitur.

*) Quo nomine non illa nobis venit Regiminis pars, quae condendis sapienter legibus, justitiae ex aequo administrandae, et vindicandis pro merito criminibus intendit; verum

---

a) 1723. 74.

b) Leges ad Jus supr. Inspect. Reg. provoc. vid. in Repert. Jur. pub. et priv. Jos. Bencsik p. 216.

cura necessariorum, utilium, jucundorum, verbo negotiorum, quibus consilio, ac prudentia temperatis, efficitur id, sine quo, Cicerone judice, beata dici Respublica nequit, nimirum: ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit [a]).

§. 446.

Quae hinc Regis Officia.

Ex hac Juris Majestatici specie profluit quoque Jus supremae Tutelae, virtute cujus Rex pupillis, testamentario, aut legitimo tutore destitutis, pro re nata providet Ipse, vel providere facit, sua auctoritate intercedendo, ne quid illi detrimenti patiantur [b]); tum cura Impopulationis; studium item rem agrariam, pecuariam, commercialem, omnemque ramum Oeconomiae publicae promovendi, et quae his obstare possent, impedimenta removendi; atque calamitates publicas avertendi. Quare Princeps, necessitate ita ferente, prohibet evectionem frugum; praescribit ordinem incendiarium; adhibet remedia ad exundationem, contagionem, aliave damna avertenda, sopienda; facit porro mensurarum, ponderumque exactae observantiae invigilare; limitationes rerum primae necessitatis, quam Regni Comitatibus in specie leges credidisse alibi recurret, quantum opus esset, justis limitibus definiri procurat. Jubet visitare pharmacias, quae sine altiori indultu erigi nequeunt; interdicit incautam toxicorum venumdationem, non admittit iis, quorum peritia haud constat, ordinarium artis obstetriciae, chirurgicae, medicae exercitium; fundat, protegit, ratihabet instituta egenis fovendis, vel reatibus corrigendis destinata, qualia Nosocomia, Ptochotrophia, Orphanotrophia, Domus correctoriae sunt; intendit conservationi silvarum, cui repetitae leges prospectum volunt; erigit, vel erigendos indulget Montes Pietatis; ut alia non commemorem, similis generis capita quam plurima, petenda ab iis, quibus propria provincia explanandae istius disciplinae commissa est.

---

a) Ad Atticum L. 8. C. 11.

b) P. I. U. 115. et 125.

§. 447.

IV. Ad vires physicas, et morales cognoscendas.

Huc Juris publici Doctores referunt merito Jus in numerum Incolarum, eorundem aetatem, conditionem, et facultates indagandi, tamquam medium ad vires Statuum internas physicas, et morales resciendas; unde postea militiae numerus, res tributaria, subsidia denique alterius ordinis in patriae defensionem, securitatem, vel incrementum suo loco et certius defigi, et justa mensura desiderari, atque distribui valeant. At de his siquidem speciatim in numero objectorum comitialium censentur (399), semper in Comitiis agi, definirique oportet.

§. 448.

V. Ad Vias tam publicas.

Viarum publicarum structura, directio, conservatio, pars est politiae publicae, cujus administrandae supremum jus, quoniam ad Regem pertinet (445), dubitare non licet, quin sit in ejus potestate, necessaria hunc in finem, et apta adminicula decernere, ad Legum sanctiones hac etiam in parte effectuandas. Hinc est, quod dum publicae utilitatis, aut necessitatis causa via est construenda; si erigendi aggeres, pontes, trajectus fluminum; si ad promovendum Commercium, itinerisque facilitationem Canales, vel ductus ferrei strui intendantur, altior superinspectio, et regia adprobatio accedere debeat, atque illa superveniente, privatorum etiam materialia, ac tenuta, persoluto justo valore, eo convertantur. Quorum intuitu leges noviores [a]) augustis hisce curis opitulantur.

§. 449.

Quam privatas.

Separandae nihilominus, cum de Jure viarum quaeritur, sunt viae publicae, a privatis; viam enim suis sumtibus sternere in territorio suo cuivis integrum est, quae

---

[a]) Consule 1836. 25. 26. — 1840. 40. — 1848. 30.

tamen publicae inspectioni sic subjacent, ut ne videlicet cuiquam sint praejudicio; idcirco nihil a viatoribus hoc titulo exigere licebat unquam, sine speciali privilegio, cujus conditiones, ut exacte observentur, Comitatus invigilant [a]). Publica autem via amplius Regimini obnoxia, proprie via regia (nativo sermone Ország ut) adpellatur, sive postalis illa sit, sive commercialis.

§. 450.

VI. Ad Cursum publicum, sive Postas.

Postas constituendi, liberamque de iis, quae ad illas pertinent, in Regno disponendi facultatem utcunque jam ex his, quae de viis dicta sunt, pluribusque, a publico commodo petitis, rationibus sibi Regia Majestas vindicat, ejusque perantiquum in Maximiliano I. exemplum de A. 1525. nobis Schwartnerus indicavit [b]). Agnoverunt etiam Jus istud Regni Comitia non una occasione, ultro providentes; ut de cursu Postae ordinando, quod publica necessitas svadebit, Sua Majestas benigne determinet [c]).

§. 451.

Specialia Regis Jura circa Postas.

Ita vero vel e paulo ante citatis legibus inclarescit, Regiae Majestatis esse novas — svadente communi commodo — stationes postales constituere; aut veteres in locum magis idoneum transferre; Praefectos, et Magistros Postarum denominare, aliquando vigore legum, sed quae jam dudum extra usum venerant, nonnisi Nobiles, et possessionatos [d]); admissos in officio naevos suae notioni, et coercitioni reservare; portorium litterarum, et vecturae mercedem pro adjunctis temporum definire; immunitatem ab eo solvendo impertiri; alia denique disponere, quae ad promovendam hujus cursus celeritatem, tuendam illius securitatem, et conservanda privilegia videbuntur necessaria.

---

a) 1681. 20. et 44. — 1715. 15. et 1723. 15.

b) Statistik des Königr. Ungarn 3. Th. 5. Absch. S. 328.

c) Inspice de his omnibus 1715. 22. — 1723. 114. — 1741. 31.

d) Cit. 1715. 22. et 1741. 31.

§. 452.

Privilegia Postarum.

Habent namque Postae Magistri, Cursoresque publici plura, quae illis publicae securitatis favor peperit, minime contemnenda. Et praecipue quidem cuncta Postarum Officia contra vim externam speciali quadam ratione sunt munita; quo fit, ut violatio, laesio, aut spoliatio cursorum postalium pro graviori publico delicto habeantur.

§. 453.

Postae Magistrorum officia.

Postae Magistrorum officia, quorum ex ratione exemtionibus, supra recensitis, fruuntur, ordinationes postales in se continent; summa eorum in vigilantia, incorrupta fide, et rigido agendorum implemento consistit, unde scilicet litterarum, commercii, et pregrinantium securitas maxima parte dependent.

§. 454.

VII. Ad flumina, et Navigationem.

Rivi, et amnes, in dominio quamvis sint eorum, per quorum territorium labuntur, imo hos intra limites flumina ipsa, quantum ad utilitatem inde capiendam, privatis concedantur; haec tamen jurium istorum concessio nequaquam supremam vigilantiam excludit. Ipsa enim publicae rei ratio poscit, ut flumina navigationi, commercioque facilitando inserviant, neve exundationibus damna faciant, idcirco debite regulentur, a quibusvis impedimentis repurgentur [a]); sicubi necessitas adest, eductis aggeribus muniantur, nihilque novi operis in fluviis, ripisque, quod navigationi obsit, suscipiatur. Itaque opera hydraulica, quae in fluminibus suscipi intenduntur, universa altiori inspectioni, regiaeque ratihabitioni subsunt, antequam in effectum deducantur. Caeterum liber ab omni exactione navium, ratiumque

---

a) 1723. 122. — 1751. 14. conf. 1836. art. supr. cit.

ultra citroque commeatus juxta legis praescriptum cuivis patet. [a])

§. 455.

VIII. Ad vigilantiam circa morum disciplinam.

Nondum his integer inspectoriae Potestatis ambitus concluditur; restat adhuc pars ejus multo sublimior, statum civium moralem, morumque disciplinam respiciens, quae minime omnium supremam vigilantiam effugiat. Oportet illam obviare latibulis perniciosis; modum ponere clandestinis Consociationibus; et finem, quem sibi proponunt, et media quibus utuntur, occultantibus *); suam vigilantiam extendere ad theatra, choreas, oblectamenta publica, ad typographias, bibliopolia, et bibliothecas locatorias; certamque istis praestituere normam, ut morum corruptela, et pravitate fugata, quam maxime populi consulat tranquillitati.

*) „Wenn die Polizei Gesellschaften und Korporationen dieser Art schützen soll — dicit Vir minime suspectus Vossius [b]) — so muß Sie allerdings wissen, was in denselben vorgeht, damit sie beurtheilen könne, ob auch ihr Zweck nichts enthalte, was der Erreichung des allgemeinen Staats-Zweckes entgegen wirken kann; duldet sie eine Verhehlung des Zweckes solcher Gesellschaften, oder eine Verheimlichung der Mittel, welche man wählte, denselben zu erreichen; eine Verheimlichung der Beschäftigungen, denen man sich in den geheimnißvollen Zusammenkünften überläßt; dann vernachläßiget Sie ihre Pflicht. — — — Eine wahrhaft zweckmäßige Polizeipraxis kann, und darf ihrer Natur, und Bestimmung nach durchaus keine geheimen Gesellschaften dulden, selbst dann nicht, wenn dieselben Ihr unter der Hülle, und der Bedingung des Geheimnisses von ihren Zwecken und ihren Beschäftigungen eine noch so scheinbar aufrichtige Eröffnung machen. Wer steht ihr dafür, daß dieselbe aufrichtig, und der Wahrheit gemäß sey." Quas suas observationes egregius Auctor veras, uti reapse sunt, atque fundatas esse, pluribus dein comprobare nullus intermisit.

§. 456.

Quae causa publicae securitatis.

Qui potestatis hujusce exercitium Regibus nostris a

---

a) 1751. 14. modo cit.

b) Christ. Dan. Vosz Handbuch der allgemeinen Staats-Wissenschaft 4. Theil p. 296. et 297.

seculis continuo proprium, usuatumque, et illius absolutam necessitatem perfracte negare pergit, vel justo plus arctioribus limitibus coarctandam asserit, oculos sponte, ne videat, claudere velle videtur; palpum certe indoctis, et desultoriae lectionis hominibus, atque inexpertae Juventuti obtrudit. Nobis sat fuerit ad intimum bonorum omnium sensum, ad communem experientiam provocare, quanta morum corruptio e neglecta cura theatrorum, caeterorumque publicorum oblectamentorum; quae flammae e nimia praelilicentia, et clandestinis societatibus in religionem juxta, ac politicam cogitandi rationem ad haec, quae vivimus, tempora cumulatissime dimanaverint. Haec ergo, et tanta mala praevertere, potestati excutivae non licebit?

§. 457.

Ad Censuram absoluta necessitate protenditur.

Non licebit inquam dramata vetare, et libros tranquillitati noxios, religionique, et moribus corrumpendis aptos? *) Froenum injicere virulentae ephemeridum insolentiae, atque calumniis ad seducendos lectores, vel ad boni nominis existimationem inauditum spoliandum prolatis **), cohibere licentiam rei librariae, et typographiarum; praescribendo modum, ne valeant nocere? Haec si cum Jure supremae inspectionis, et potestate executiva tam arcto vinculo conjuncta cernuntur, ut ab illis divelli nequeant: sane Regi nostro plena manere debet potestas, quidquid lucubrationum, seu externe inferatur, sive domi typum nanciscatur, ordinatae subjicere vigilantiae, lustrandas curare officinas librarias omnis generis, ipsasque Typographias ***).

*) „Vernünftige Denkfreiheit — inquit Rössig [a]) — bezeichnet nicht gesetzlose, willkührliche, und unbehutsame oder unanständige Aeußerungen von Urtheilen; diese kann, und darf eine weise Regierung nicht gestatten, wenn nicht die Rechte, und der gute Name eines jeden Einzelnen das unumgänglich nöthige Ansehen obrigkeitlicher Anstalten, Personen, und die Regierung selbst, ja die allgemeine Ruhe, und die Sicherheit Gefahr laufen soll.

a) Versuch über die Aufklärung in Bezug auf die Philosophie, den Staat und die Religion zur näheren Bestimmung der Grundgesetze über die Zensur und die Preß=Polizei.

Aus eben diesem Grunde kann, und darf die Regierung den Umlauf der die Moralität, die Religion, und das Christenthum verspottenden, oder gotteslästerlichen Schriften nicht dulden, daher die Leitung durch einige zweckmäßige Zensur-Anstalten, ohne dadurch der Wahrheitsforschung nachtheilig zu werden, und doch mit möglicher Verhütung des Schadens, der durch Mißbrauch der Druck- und Preßfreiheit entsteht. Daher eine klügliche Aufmerksamkeit auf den öffentlichen Handel der Bücher, des Lesens, und auf die öffentlichen Lehr-Anstalten, und Leihbibliotheken. Daher endlich Aufmerksamkeit auf das Theater. Man denke nur auf den Mißbrauch, welchen verschiedene Parteien zur Zeit der Revolution in Paris davon gemacht. &c."

**) Nemo me — quaeso — injuriae arguat, non enim auctores damno, liberaliora principia justos intra limites propalantes, neque Ephemerides carpo sine discrimine, sed de illis famellicis scribillatoribus loquor, qui fidem, ac veritatem post nummos habentes eo, quo spes lucri major affulget, saliceti instar deflectendo, modo Regimini, nunc malesanae popularitati thura succendunt, tum eos refraenandos cupio, de quibus alter nostris diebus canere posset Denisius:

„Insultat coelo impietas, reverentia legum
Justitia abscessit, fasque pudorque procul."

***) Documentum Juris hujus, per Maximilianum quondam exerciti, exhibet nobis ex originali opus periodicum, a pluribus annis continuatum [a]): Litteras quippe ejusdem Regis, quibus sub gravi indignatione regia, ulteriorique punitione severe interdicit Nicolao, et Ladislao Bánffyo, ne libros religioni perniciosos in sua privata typographia deinceps imprimi, vel jam impressos vendi faciant, nec quidquam amplius typo committatur, quod prius Eidem ad revidendum praesentatum non fuerit, ac subsequa approbatione regia accedente edi, vulgarique concessum.

§. 458.

Refelluntur argumenta.

Objiciebatur ab aliquo tempore frequentissime, et a multis etiam nunc praetenditur: nullam exstare toto Juris patrii codice legem, quae Jus Censurae librorum Regiae Majestati vel addixisset, vel competere recognoscat, quod equidem ad aevum, quo historiam hanc nostram claudimus, vix, ac ne vix quidem veritati congruit adversus indubium sensum Art. 26. 1791. id, et quidem per modum specialis

a) Tudományos Gyüjtemény Anni 1833. Fasc. 4. p. 53. et seq.

favoris statuentis: ut Consilio Locumtenentiali Regio referantur Censores pro Libris Evangelicorum theologicis, atque symbolicis revidendis applicandi, eidemque Dicasterio librorum recens excusorum tria exemplaria submittantur. Sed foret hoc etiam: ergo ne ad omnia, quae Rex vi rectoriae potestatis pro suorum salute, et tranquillitate agit, et ordinat, disertus legis indultus praecedere debet? An ego non meliori Jure sanctionem mihi ostendi desidero, quae censuram ex orbita executivae potestatis, summo Terrae Principi indubie competentis, excipiat? Quid quod luculentissimo exemplo per comitiale conclusum *), regia ratihabitione firmatum, praeexistentis censurae auctoritas aperte agnoscatur.

*) Planum eruditae Societatis hungaricae, anno 1827. diaetali consensione probatum, atque Regiae Majestati substratum, quae sequuntur, ad litteram continet „suapte intellecto eo, quod tam hae, quam in genere omnes editiones, per Societatem eruditam hungaricam typis vulgandae, de casu in casum revisionem, et adprobationem Censurae, prout alia opera, subire debeant." Superveniente regia sanctione hoc ipsum deinde Statutis ejusdem Instituti puncto 12. inductum exstat.

§. 459.

In Contrarium.

Staret istud — urgebat non nemo — si institutis fundamentalibus censura non adversaretur; verum libertas preli ad justa uniuscujusque jura rebus suis libere utendi pertinet, quae legum praesidio communita, unicuique salva persistat oportet, executiva vero potestas nonnisi in sensu legum suam efficaciam exercere et antea poterat. Ast si hoc significatu jus libere utendi, fruendique accipias, nonne venenum etiam, et quaevis toxica promiscue cuivis suo in territorio vendere licebit, nec tibi usum inter, atque abusum discrimen ullum remansurum est.

§. 460.

Praeventivae Censurae.

Regiam itaque Majestatem hac in parte suis praecise

ordinationibus usu continuo, per secula non controverso, publicae non minus tranquillitati, quam privatorum securitati, et reprimendae morum corruptelae prospexisse; contra ac numerosi sane popularium meorum nuper contrarium sustinere coeperint, atque nostris etiam diebus propugnant, Historia atque Legum vestigia pandunt. Hunc equidem in finem accomodas praescribebat Regulas pro Censoribus, Revisoribusque, suo delectu nominatis, qui Libros, Ephemerides, et quae istis similia sunt, reviderent, nec non litterarias Officinas, quas supra nominavimus (455) varii generis pervestigarent; ne tamen arbitrio, hincque abusui ansa praestaret, quoties cujusdam lucubrationis non plane obviae considerationis prohibitio in questionem veniret, desuper altius forum decideret. Verbo ut rem ipsam significatione nominis vestiam, Censura ab auctoritate regia dependens locum habuerat, quam praeventivam compellare in morem abiit.

§. 461.

Repressiva successit.

Praeventiva hac censura legis effato [a]) in perpetuum abrogata, alia huic norma successit, censura videlicet repressiva, quae, adaperta praeli libertate, neminem impedit, quominus quaeque libuerit, imprimi facere, ac divulgare queat. Nihilominus poenas sanciendo pro eis, qui hac libertate abuti comperti fuerint*).

*) Utra e binis hisce fini omnis constitutionis civilis, saluti quippe, tranquillitatique communi juxta, ac privatorum conveniat magis, an praeventiva alioquin nec rigida ultra necessitatem, nec laxa nimis, sed illa, quae vigilando antevertit, ne perversarum doctrinarum virus callidis plerumque vestitum illecebris longe lateque diffundatur, quae arcet ocultos seditionum, variorumque scelerum fautores, et asseclas, ne impie religionem, auctoritates legitimas, jura proprietatis, vel quaecquae bonorum omnium consensione, et pace pro sacro-sanctis habentur, calumniando impetere, velato fallacibus argutiis sophismate palam lacessere queant; quae obices ponit malevolis, ut semina diffidentiae spargere, ignorantes decipere, incaute credulos damnabilem in gurgitem praecipitare, bonam

a) 1848. — 18. cit.

innocentum existimationem laedere, et vituperiis, sine proba prolatis, ambiguam reddere, etsi maxime vellent, non possint? Utrum vero repressiva, dum deterrentibus poenis obviare conatur, mala divulgata, quae non radices modo, sed perniciosos quoque fructus passim jam protulerant, annihilare amplius nequit? hanc — inquam — quaestionem utramque in partem prolixius discutere ad historiographiam Juris positivi minus pertinet, cujus est, quid moneant leges actu, quid olim voluerint, fidedigne ennarrare, probisque firmare, non unius prae altera praestantiam ampliori examini subjicere, quam aliquando ex aequo altera vitae Magistra experientia libratura est.

§. 462.

Cum lege poenali.

Delictum poenale ob preli abusum mulcta pecuniaria, et carcere expiandum — ut verba conditae novissimae legis, et ordinem sequar — committit auctor, I. Qui Typi adminiculo alium ad delictum provocavit, aut simili provocationi morem gerit. II. Qui Religionum dogmata, et moralitatem ludibrio exponunt. III. Qui contra Regni integritatem, nexum cum regnante Dynastia, sanctione pragmatica constabilitum, tum ad violentam constitutionis alterationem, aut denegandam publicae auctoritati paritionem irritant. IV. Qui injuriosa in Personam Regiae Majestatis adversus ejusdem inviolabilitatem, ordinemque succedendi profert, vel V. Membra regnantis Familiae offendit. VI. Instigando adversus regni tranquillitatem, atque ad boni ordinis perturbationem. Denique poena dictatur VII. Ob actum dehonestationis in Jurisdictionem, aut corpus morale, in magistratum vi muneris agentem, in privatam etiam personam commissum [a]). De peculiari judicio. huic delictorum speciei assignato, alibi mentio redibit, si author non constet, poenam editor, tum preli dominus luit.

§. 463.

Ad Typographos, et Bibliopolas extensa.

Typographias jam olim nonnisi superiori cum annutu

---

a) Vide mox citatam legem.

erigere jus erat, fuerantque quaedam ex illis peculiaribus Regum privilegio favoribus excultae. Nunc talem erigere lex cuilibet admittit, non tamen clancularie sub mulcta designata, sed praemissa Jurisdictionis Praesidi insinuatione [a]), dummodo regulas alibi [b]) pro mercatura cujuscunque generis exercenda adimpleat, neque ulli ibidem expositae subjaceat exceptioni. Pro aperiendo sub his ipsis conditionibus Bibliopolio libertas nemini interdicitur, quin ulla praeterea insinuatione, vel altiori indultu opus sit, verum normam praescriptam non observans Typographus, aut Bibliopola leviorem, graviorem, pro gravitate excessus, poenam incurrit.

§. 464.

Quae praesidia maxime.

Inermis interim erit omnis morum disciplinae dedita sollicitudo, nisi qui in societate civili vivunt, proclives ad actiones suas praecipuo Imperiorum fini, communi securitati, felicitatique ultro attemperandas reddantur; quorsum praesidia, motivaque efficacissima religio morali, quae eidem intime juncta manet, doctrinae conjuncta, tum debita tenellorum civium in hac, litteris item, ac bonis artibus institutio suggerit *), queis isti ad virtutem, vitae honestatem, quodve inde suapte consequitur, ad legum observantiam quam maxime praeparentur, atque excitentur.

*) „Man hat noch keine Staatsverfassung gefunden — observavit „verissime celeberrimus juxta, ac doctissimus Ancillonius [c]) „— welche die Einsichten und Gesinnungen der Machthabenden, „verbürgt hätte; Erziehung, und Religion thun beides, „und daraus erhellet, so sehr man auch alles auf politische „Kunst zurückführen will, wie innig das Leben des Staats „mit dem Leben der Kirche zusammenhänge."

§. 465.

Promovendae morum disciplinae subserviunt?

Hoc quippe illud praecipuum, ac firmissimum

a) Relege 1848. 18. C. 4.

b) 1840. 16. Cap. 1. §. 1. et 2.

c) Ueber den Geist der Verfassungen und dessen Einfluß auf die Gesetzgebung. p. 50. et 51.

civilis societatis fundamentum est, sine quo beata esse Civitas absolute nulla possit. Igitur vigilandum est Principi, ut Cives Religionem ex animo colant, accomodisque ingenio, statui, conditioni litteris imbuantur. E qua sacrosancta obligatione jus circa Religionis negotia, nec non circa educationem, et institutionem Juventutis pronissimo alveo fluit, Regi Hungariae caeteroquin nullo non aevo proprium, et ex mente, sensuque legum exercendum. De priori itaque modo, de altera postea.

Caput IX.

De Jure Regis circa Negotia Religionis.

§. 466.

Imperanti Jus circa Sacra.

Imperanti quandam circa Negotia Religionis potestatem competere, vix ullus controvertit. Illud enim indissolubile a Majestate attributum, cuncta cognoscere, quae in territorio geruntur, cum non ad singulares tantum personas, verum ad quaecunque moralia corpora referatur (444), in quorum pariter censum coetus hominum, intra limites Civitatis hanc vel illam Religionem profitentium, veniunt, ne minimo dubio locum relinquit: Regem Hungariae Jure, per nos saepe, ac iterum nomine supremae Inspectionis designato, prospicere, ac procurare, ne quid Sacrorum titulo clam irrepat, cum injuria privatorum, aut in Reipublicae detrimentum; nihilque hic communi felicitati, et legibus adversum obtineat.

§. 467.

Quarumvis Religionum negari nequit.

Extenditur vero haec Regis nostri Jurisdictio, secundum positivas legum dispositiones exercenda, ad quamlibet quidem Religionem, in Regno, Partibusque adnexis vigentem, nonnulla nihilominus ejusdem consectaria non omni in specie cultui applicari possunt.

§. 468.

Quod Reges nostri omni tempore prosequebantur.

Legum nostrarum Tabulas qui inspexerit, aut qui historiam patriae obvie consuluerit, confestim animadvertet, undique negotia Religionis, cum ipso Regno exorta, apud nos mansisse semper negotiis profanis intime copulata. Hinc plenus est Codex domesticus legibus stricte ecclesiasticis; hinc Conventus Regni sub primis ejus initiis habiti, pene Synodorum speciem praeseferunt. Hinc denique continua illa quovis seculo rebus prosperis juxta, ac adversis haud interrupta Legislationis sollicitudo, innumeris monumentis comprobata [a]), ut Principes suam circa Sacra vigilantiam in salutem, atque incrementum Religionis convertant, atque legitimam ecclesiasticam potestatem, ac regimen a quavis diminutione, sive jactura, aut qualicunque violatione illaesam praeservent.

§. 469.

I. Invigilando Disciplinae externae.

Sunt igitur apud nos aeque, ac alibi etiam continua legum suffragatione adiaphora quaequae Regis inspectioni reservata, cujus praecise e respectu citra ejus indultum nullius sine discrimine Religionis asseclis integrum est Concilia cogere, Synodosve celebrare, ad quas, si voluerit, suum delegatum unice tamen fine vigilantis inspectionis constituit. Alioquin Statuta ibidem condita citra approbationem regiam robore destituuntur *); quod ipsum positivis constitutionibus quoad Religiones, a catholica divergentes, praecautum fuit **). Generatim autem legalem uniuscujusvis libertatem, et ecclesiasticas Jurisdictiones, has simul debitos intra limites continendo, sustentat; quibus modis una, ne gravamina in negotiis Religionis enascantur, antevertit; suborta juxta legum tenores, et mentem dirimit, atque componit.

---

[a]) Conf. Kollár de orig. et usu perpet. potest. legisl. circa Sacra Apost. Reg. Hung.

*) Historia vetus et nova, larga desuper exempla suppeditat, quae nobis — praeter Prayum, et Batthyányium — Péterfy [a]) cum Ribinio [b]) indicant. Praeterea in omnium recordatione consistit, necesse habuisse: Primatem Regni Alexandrum a Rudna ad nationalem Synodum cogendam regium expetere indultum; canonesque ibidem conditos regiae ratificationi substernere.

**) Libera quippe Synodorum celebratio Evangelicis utriusque Confessionis Decreto Leopoldi II. ea ratione in futura tempora asseritur „ut praevie tam quoad numerum personarum, „ad illas concurrentium, quam etiam objecta ibidem pertrac„tanda, ac locum regius impetretur assensus; canonesque, et „Statuta, ibidem condita nonnisi, postquam superinspectionem „Principis, approbationemque retulerint, robur sortiantur „firmitatis“ [c]).

§. 470.

II. Piis Fundationibus.

Pias cujuscunque nominis Fundationes ad mentem Fundatorum esse administrandas, exigit stricta justitia, tum positiva legis, dispositio [d]); ad quod amplius firmandum nostra, patrumque memoria pene in morem abire coepit, magis notabiles, adjecto fundatoris nomine, comitialibus decretis insertas, serae posteritati transmittere [e]). Jam quarumvis similium Fundationum supremam curam, et patrocinium Regi esse reservatum, lex sub Carolo III. dictata [f]) apertis verbis edixit *). Videre proinde ac pro re nata urgere, ut destinatos in fines reapse convertatur, quidquid piis finibus dedicatum fuit, neve inde quidpiam contingat alienari [g]) oppignorari, vel quibuscunque illegitimis oneribus gravari [h]), iterum vi supremae Inspectionis plena cum potestate Terrae Principi competit, imo religiosa incumbit obligatio. Extenditur vero ad privatas etiam Fun-

---

a) Conc. Hung. L. II. p. 295.

b) Memor. Aug. Conf. in Regno Hung. T. I. p. 380.

c) 1790. 26.

d) 1790. 23.

e) 1723. 70. — 1729. 17. — 1741. 43. 44. — 1751. 21. — 1765. 13 et aliae recentiores.

f) Cit. 1723. 70. conf. cum 1715. 74.

g) 1498. 55.

h) Conf. 1729. 21.

dationes quarumvis Religionum, illo interim cum discrimine, quod relate ad eas, quae e regia liberalitate sacris catholicis dicatae existunt, in specifico adhuc illustria Patronatus Jura accedant.

*) Adfero ipsa verba hujus legis: „Piarum quarumvis Funda„tionum inspectionem, et cum exactione rationum, utrum „fundationi satisfiat, investigationem, Sua Majestas Sacratis„sima pro apostolico munere, et suprema auctoritate sua — „— — sibi benigne reservavit. Et e gremio Regii Locum„tenentialis Consilii nonnullos deputavit, qui praemissorum „singularem, et peculiarem curam habeant."

§. 471.

III. Legi sic dictae Amortisationis.

E converso quemadmodum circa alia instituta, corporaque moralia, ita apud Ecclesias quoque, religiosasque sine discrimine Communitates provida Majorum dispositione, quam schola legem Amortisationis compellat, praepedire visum fuit; ne admissa Institutis ecclesiasticis — citra limites — bona acquirendi potestate, haec cum enervatione privatarum familiarium, gravique coronae praejudicio in manus — ut ajunt — mortuas deveniant. Ea de causa Uladislao II. regnante [a]) generatim, ut dixeram, interdictum est Episcopis, caeterisque Praelatis jura secularia regia donatione, vel alio quocunque titulo, ne pignoris quidem pro suis Ecclesiis impetrare. Postea sub Carolo III. Coenobia ingredientes, ac decimam solum aviti patrimonii partem titulo dotis secum, et numerato quidem aere inferendam restricti habentur, quae tametsi quinquaginta florenorum millia superaret, nunquam tamen ultra resultantem ab hac summa partem decimam augere successores proximi sint obstricti [b]).

§. 472.

IV. Legali diversarum Religionum libertati.

Ajebam in superioribus haud sine fundamento, Regis

---

a) Cit. 1498. 55.
b) 1715. 71.

esse Religionum, in Regno existentium, legalem libertatem tueri, ac propugnare (469); id enim ratio ipsa exercendae in sensu tantummodo legum executivae potestatis secum fert, speciatim autem, quantum ad res nostras, deposcit istud insuper inauguralis Diplomatis, atque Jurisjurandi, occassione Coronationis praestiti, sanctimonia, quo se Princeps Ecclesias Dei, et Regnicolas omnes in suis libertatibus conservaturum expresse pollicetur. Quare proderit paulo curatius dispicere, — quid hoc titulo Ecclesiae catholicae, quid caeterarum Religionum asseclis in Hungaria, Partibusque adnexis proprium sit; et quae abinde tam Jura, quam obligationes Imperanti speciatim exsurgant.

§. 473.

In specie vero reflexe ad Religionem Catholicam.

Romano-Catholica per legem a S. Stephano latam [a]), nec non fundamentalem alteram, quae hanc legitimo successori, dum haereditaria successio Regnanti Prosapiae addicta fuit, pro conditione profitendam praescripsit [b]), non tantum Religio Dominantis esse debet, sed Regni exordiis, cujus paulo ante memini, coaeva, totque legum praesidio eminenter communita, actu etiam peculiari ad Majestatem relatione consistit.

§. 474.

Utebatur Jure Placeti Regii.

Occurit hic Placetum Regium, quo nomine intelligitur jus prohibendi, ne constitutio, vel ordinatio Romani Pontificis ante Regiae Majestatis consensum promulgetur, nedum effectui mancipetur. Perpetuum Placeti usum, profecto a Regibus nostris nunquam sane dimissum, Kollár, Benczur [c]), aliique plures demonstrare conati sunt. Servabant illud graviori prae caeteris rigore Reges, quando se a Sede romana injuriatos putabant, in exemplo Sigis-

---

a) Dec. L. 1. C. 1.

b) 1723. 2.

c) Kollár de orig. et usu perp. potest. Legisl. Benczur in Libro: Was hat der Regent für ein Recht über päpstliche Bullen?

mundus, cui simultates cum Pontifice intercesserant, prohibuit [a]) cunctis sine discrimine ecclesiasticis, contravenientes criminis laesae Majestatis reos pronunciando, sub poena capitis, ne ullas Litteras Pontificis, et quorumvis Legatorum Judicum, aut Officialium Curiae Romanae recipere, publicare, et executioni mandare absque speciali indultu regio audeant*).

*) Bullae Pontificiae sive confirmatoriae, seu alterius speciei, Regnum quaqua ratione contingentes, ut ad usum veniant, sequenti formula dorso adscripta indulgeri solent: „In quan-„tum ejusdem (Bullae) tenores juribus, et ordinationibus „regiis non adversantur, benignum Placetum tribui."

§. 475.

Rex Hungariae a Seculis.

Usum Placeti nonnulli Religionis Catholicae libertati obesse praetendunt, dum alii, hoc dimisso, independentiae civilis gubernationis, civiumque tranquillitati qualia nescio pericula, quae fulmina vaticana imminere clamitant; non habeo necesse, ut controversam hanc quaestionem utramque in partem agitare mihi summam, ad nuncium veritatis unice historiam repetitim macte adpello; pandit ista nobis apertissime Juris hujus exercitium, apud nos continuum, sustentasse potius libertatem Religionis Catholicae, quam vellicasse unquam; quod servare, ac manutenere eo providentius esse videtur, ad peculiaria, et eximia sane patronatus Jura Regis Apostolici a quavis diminutione praemunienda, et ab omni praejudicio praesalvanda.

§. 476.

Ac splendidis Patronatus Juribus.

Pars illius auctoritatis altera, ac facile praecipua, qua Rex Apostolicus quantum ad Ecclesiam Catholicam speciatim pollet, in supremo Patronatu, a coronae nostrae Juribus nullo modo separabili, sita est. Qui remote licet e Jure quoque summi Imperii dimanet, ejus tamen, quam cum primordiis suis in patria nostra acceperat, amplitudo, quo-

[a]) Doc. vid. ap. Pray Spec. Hier. Hung. P. I. p. 92. et seq.

vis tempore usitata, secundum indubitatam annalium, publicorumque documentorum fidem, a singulari divi Stephani pietate proprius repetenda venit, qua incensus. christianam doctrinam zelo vere apostolico in Regno ipse disseminavit, inque hujus ampliorem propagationem Episcopatus, ac varia Sacerdotum Collegia erexit, atque liberaliter dotavit. Quomodocunque enim se nunc per Europam habeant Imperia ad Sacerdotium, quam materiam ingredi, et explicare a proposito nostro procul recedit, indubie tamen praecelsis istis Regum nostrorum de Religione meritis, et dotationibus debetur, quod juribus circa Sacra ejusmodi eminuerint omni tempore, qualia vix alter Principum Christianorum habebat.

§. 477.

Eorum fundamento in Hungaria.

Supremum hunc Patronatum Verböczius quaternis e rationibus Regi Hungariae competere adstruit [a]): I. Causa fundationis. II. Ob munus apostolicum ab ipso Protorege susceptum. III. Per legitimam praescriptionem. IV. E confirmatione jurata, quae desuper in Concilio Constantiensi intervenit. Kollár initia amplioris hujus potestatis e Litteris Sylvestri II. Pontificis, ad Regem Stephanum datis, processisse primum affirmaverat [b]), contra quam ipse postea in libello, triennio tardius vulgato [c]), et illustris Batthányius senserant [d]). Non vacat hasce velitationes nostras facere; sufficit eam libertatem omni procul dubio cum regiae dignitatis exordio natam *), quantumvis variis interdum vicissitudinibus domi, forisque enatis exagitaretur, fuisse nihilominus complexa Principis, ac Populi cura [e]), quin pari etiam Cleri Catholici constantia sacrae Coronae continuo vindicatam, ac ne vel amplius in con–

---

a) P. I. tt. 11.

b) Kollár Hist. Diplom. Jur. Patr. Apost. Hung. Reg. C. IX. Michael Szvorényi Hist. Eccl. Reg. Hung. Amoen. Fasc. VI. Nr. 1. de Jure Patron.

c) De orig. et usu perpet. Potest. legis circa Sacra Apost. Reg. Hung. C. 14. p. 155. et seq.

d) In legib. Eccles. Reg. Hung. T. 1. p. 137. et seq.

e) Vid. e multis 1518. 15. — 1550. 14. et 15. 1569. 36. — 1791. 23.

troversiam vocari queat, ipsius Concilii Oecumenici auctoritate roboratam [a]).

*) Sinceritatem Bullae Sylvestrinae — cui multa, et gravia opponi non me latet — si admittimus, res utique omnis conficitur per verba ibidem reperibilia: „Secundum quod „divina gratia Te, et illos (Successores) docuerit „Ecclesias Regni Tui praesentes, et futuras no„stra, ac successorum nostrorum vice disponere, „et ordinare — — — similiter concessimus“ Verum etsi haud gravate concedamus eas Litteras Sylvestri Papae, quas Inchoffer primus omnium in lucem protraxerat [b]), esse suppositas, qualescunque tandem similem concessionem exprimentes ab hoc Pontifice cum regio Diademate, et cruce in signum Apostolatus, atque Legationis per Astricum fuisse reportatas, quis tandem ita negatum ibit, ut evidentissimam lucem ab Hartvico pene coaevo [c]), totque aliis Scriptoribus nobis hic accensam exstinguat? Quis contra ipsius divi Regis ac Successorum Fundationes, et apertam professionem tenoris sequentis, minime certe ambigui, controvertet? „et sicut habui potestatem (sunt verba „divi Stephani) ut ubicunque, vel in quocunque „loco vellem Ecclesias, aut Monasteria con„struerem: ita nihilominus a Romanae sedis „supremo Pontifice habui auctoritatem, quibus „vellem Ecclesiis, seu Monasteriis libertates, „ac dignitates conferre.“ [d]) Adversus universalem traditionem denique quis inficiari valebit, quod ex his omnibus cum singulis, tum inter se junctis vere docebat Lakicsius? [e]) „Quamquam Fundationum tabulis omnibus desti„tueremur, quae id perspicue loquuntur, ipsa tamen haec „pervulgata, et antiqua persvasio non utique nata ex nihilo, „sed continua Majorum traditione ad nos usque propagata, „satis per sese ad idoneam probationem faciendam momenti „habitura esset.“

§. 478.

I. Rex nominat et transfert Episcopos, et caeteros Beneficiatos.

Virtute hujus Rex Hungariae in Regnis, ac Provinciis

a) Conf. Bátthyani et Szvorényi in oper. et loc. cit.

b) Annal. Eccles. Reg. Hung. edit. primaev. T. 1. p. 256.

c) In vita S. Steph. ed. Pray. p. 134.

d) In Diplom. Monast. Bakonybél dato de Anno 1037. quod in Annal. edid. Pray P. I. p. 42.

e) Praelect. Canon. p. 252. et seq.

Sacrae Coronae obnoxiis non postulat, aut praesentat, sed nominat Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, Praepositos, Canonicos, eisdemque plena cum potestate homonyma Beneficia Ecclesiastica, quae ab hac regia denominatione interdum etiam regalia compellantur, dat, donat, ac confert*). Idem in translationibus de uno beneficio in aliud obtinet, quas Hungariae Reges — Ecclesiae, et Reipublicae commodo id exposcente — omni tempore instituerunt. Quodsi nonnulla per Antistites aliquando collata fuisse reminiscimur, id eis — ut formulae collationum continuo adhibitae explicite ostendunt [a]) — ex auctoritate duntaxat, sibi a Principibus communicata, facere erat integrum. Quemadmodum Ejus nonnisi expresso, aut tacito assensu fundare analoga hujusmodi beneficia Praelati, aut privatae familiae possunt, actuque nonnullae, ab antecessoribus sic fundata, personis idoneis attribuunt **). Quanta autem religione, et rigore utramque hanc Regum suorum potestatem inviolate conservatam voluerint Regnicolae, caeteras inter numerosas constitutiones binae Uladislao, et Ludovico II. regnantibus conditae pro testimonio sunt. ***)

*) Stilus in collatione beneficii similis usitatus sic sonat: „Auctoritate Juris Patronatus nostri regii, quod in omnibus „Regni nostri Hungariae, Partiumque subjectarum Ecclesiis, „et beneficiis more divorum condam Hungariae Regum, et „exemplo Praedecessorum nostrorum felicis memoriae optimo „jure habemus, simul cum omnibus castris, civitatibus, op- „pidis, villis, possessionibus, praediis, ac aliis cunctis per- „tinentiis, et quibusvis possessionariis, ubivis, et in quibus- „cunque ejusdem Regni nostri Hungariae, et partium ei „subjectarum Comitatibus habitis, et existentibus ad eumque „Episcopatum N. spectantibus, et pertinere debentibus, pa- „riter cum omnibus ejusdem Juribus, libertatibus, praeroga- „tivis, et aliis quibuscunque emolumentis, quovis nominis „vocabulo vocitatis, Eidem N. N. dandum, et conferendum „duximus — — — imo damus, et conferimus praesentium „per tenorem“ etc.

**) Nominatim confert Familia Erdödyana Abbatiam Csatáriensem, Jákensem, et Praeposituram Péczeliensem; — Rátotiensem, et Höflingiensem Princeps Eszterházy, — Felsö Eör-

---

a) Vid. ex mult. formul. simil. apud Péterfy Conc. Hung. P. II. p. 2.

siensem Princeps Batthiányi; Vágh-Ujhelyiensem actuales Dominii Beczko Terrestres Domini. etc. [a])

***) Ex his anterior [b]) tamquam publicae libertatis turbatorem ad aquam projici jubet, qui Beneficia ab aliis, quam a Regia Majestate, aut privatis Jure Patronatus ad eam diem legitime utentibus impetrassent. Posterior [c]) Jus istud a nunc laudatis Regibus cum injuria Coronae cuicunque cessum simpliciter retractat.

§. 479.

Salva Pontificis Confirmatione.

Confirmationem Praesulum Hungariae, quos Reges Dioecesibus viduatis praedesignato modo praeficiendos decernunt, Romanis Pontificibus salvam semper, reservatamque mansisse, in vulgus notum est; ita tamen, ut antea etiam, quam Confirmatio ista sequatur, Episcopus quamprimum a Regia Majestate nominatus fuerit, iis quidem, quae Ordinis sunt, nullatenus attactis, beneficia sibi obnoxia idoneis personis provideat; Episcopatus reditus percipiat; habitu episcopali utatur, ab omnibus electus Episcopus scribatur; locum, ac ordinem in sedendo, sicut in Comitiis, sic et in Synodis reliquos inter Praelatos teneat. Quem usum nobis constanter observatum totidem verbis vir magni nominis, et plenissimae hac in re auctoritatis Regni Primas Pázmán succincte explicuit [d]). Idem valet apud Abbates, et Praepositos Regiae Collationis reales, et si bona demas, etiam titulares; altioris cathegoriae dignitarios, nominatim Episcopos ad titulos videlicet Dioecesium, quondam ad Hungariam pertinentium [e]) nominatos, quibus, nisi simul Ordo episcopalis in quaestionem veniat, nulla simpliciter pontificia confirmatione opus est.

---

a) Conf. de his Mich. Szvorényi Hist. Eccl. Reg. Hung. Amoenit. Fasc. VI. N. 2. p. 196. nec non ejusd. Jus publ. Eccl. Hung. Part. Spec. §. 323.

b) 1495. 31.

c) 1518. 15. Conv. Bacs.

d) De hoc legi meret. Péterfy op. cit. P. I. p. 75. et Ad. Brezanoczi Inst. Jur. Eccles. P. II. §. 31. et seq. Pray in Spec. Hier. Eccl. P. I. p. 185. in not.

e) In Resp. Ferd. II. ap. Péterfy op. cit. p. 77. et seq. — It. ap. Kollár Hist. Diplom. Jur. Patr. p. 262. et seq.

§. 480.

II. Instituit Dioeceses.

Qua liberalitate primus hungaricarum Ecclesiarum Conditor Archi-Episcopatum, Episcopatusque erexerat, eadem Successores, communi svadente utriusque Reipublicae utilitate, dismembrare praeexistentes, novosque vel ex istis, vel in provinciis Sacrae Coronae vindicatis erigere nulli dubitarunt. Ejus rei clarissima nobis exempla annales suppeditant. Nam Nitriensem Episcopen, quam sub Colomanno Praeposituram majorem fuisse legimus, serius e Dioècesi Strigoniensi excisam, publicum documentum de Anno 1133. utcunque ostendit [a]). Ita Bacsiensem Sedem, tardius in metropolim evectam, et postea tantum Colocensi unitam fuisse constat [b]). Maria Theresia octennos partim latini, partim Graeci Ritus novos constituit Episcopatus. Pari Nepotis Francisci sollicitudine ex Agriensi Archi-Episcopatus ejusdem Nominis, tum Episcopatus bini Cassoviensis, et Szathmariensis consurrexere. Eperjesiensis vero Graeci Ritus Catholicus e Munkácsiensi sua traxit incunabula, confirmatio tamen Pontificis secundum receptum usum hic quoque superinduci consvevit [c]).

§. 481.

III. Intendit Conservationi Ecclesiarum.

Conservatio autem Ecclesiarum, beneficiorunque eo spectantium; Providentia, ut beneficiati suae hac in parte obligationi pro exigentibus Canonibus, sanctionibusque domesticiis omnimode satisfaciant; praecautio ut ne plura beneficia teneant [d]), aut haec onerent, vel abalienent [e]), utque in suis beneficiis resideant [f]), Apostolicos Reges Hungariae respicit; unde eosdem, qua summos Ecclesiarum Patronos, illorum proventus, qui Ecclesias, aut beneficia sibi concredita desolari, aut in ruinas abire sinerent,

a) Adjudic. de hoc anno Conf. Pray Spec. Hier. Hung. P. I. p. 363.

b) Vide Pray Op. cit. P. II. de Archi-Ep. Coloc. a. p. 2. — 22.

c) Dismembrat. novaeq. erect. et Bull. Pont. Confirm. in exempl. vid. ap. Schönvisner Antiq. Eccl. Sabar. L. 9. C. II. p. 352.

d) 1471. 13. — 1498. 56. — 1507. 13. — 1514. 59. — 1548. 6.

e) 1647. 17. Conf. 1715. 16.

f) 1723. 55. — 1741. 16.

in sequestrum sumere, inque restaurationem desolatorum convertere posse, lex sub Carolo VI. lata [a]) claris verbis enunciavit.

§. 482.

IV. Succedit Praelatis.

Complures, exemplo aliarum Nationum, apud nos etiam a supremo Patronatu, jus quod Canonum Interpretes Regaliarum vocant, derivabant, illud nimirum, vigore cujus Princeps vacantis Episcopatus, aut alterius ecclesiastici Beneficii regalis bona, ac proventus interea suis accenset. Verum utut istud in Regno quoque nostro hodiedum obtineat, quia nihilominus bona Praelatorum e collatione regia promanant, et eodem fere tenore, quo caetera conferantur, neque ab his alio, quam isto titulo possidentur, deficientium vero possessorum tam Ecclesiasticorum, quam Secularium bona, velut a sacra Corona profluentia, cum illorum defectu ad eandem iterum devolvuntur: profecto Princeps noster communi hoc etiam Coronae Jure vacantium Beneficiorum proventus aerario inferre censendus est [b]).

§. 483.

Utrum Bona Ecclesiastica in Hungaria in Bona Status possint converti?

Qui secundum theoriam, haud adeo pridem in lucem emissam, bona Ecclesiarum temporalia in bona Status publici (Staats-Güter) — assignata Beneficiatis convenienti sustentatione — citra injuriam converti quire propugnant, ipsi percogitent, qua aequitate limites eminentis Dominii ad proprietatem aliorum, ultra absolutam necessitatem adimendam, extendere non morentur. In Hungaria certe Ecclesiis bona eorundem jure perpetuo, et irrevocabili, litteris fundationum id aperte statuentibus, quovis tempore fuere collata, quorsum cum Verbőczio *) leges innumerae, et, si nuper enatos novatores demas, universalis traditio conspirant.

a) 1723. 71.
b) P. I. tt. 3. 10. 13.

*) „Cunctorum — ait in rem praesentem Verböczius [a]) — „quoque Dominorum Praelatorum, et Virorum Ecclesiastico- „rum Princeps ipse verus pariter, et legitimus successor est, „non quantum ad bonorum, et Jurium possessionariorum ab „Ecclesia abalienationem, et sequestrationem, sed quantum „alteri (vacantibus Praelaturarum sedibus, et Ecclesiarum „rectoratibus) ad gubernandum cum Ecclesia collationem, „salvo Jure Confirmationis Archi-Episcopatuum, et Episcopa- „tuum, quae Jurisdictioni S. Sanctae Romanae Ecclesiae „subesse dignoscitur."

§. 484.

Quid Imperanti intuitu Religiosorum Ordinum proprium?

Principia toto hoc Capite adducta suapte nos pervidere faciunt, quaenam Regi quoad Coenobitarum Contubernia competant. Sane vix unus: nisi in sacra, profanaque Juris scientia prorsus peregrinus, negabit, regiae potestati integrum esse, Regularium Statuta examinare, noxiis obicem ponere, aetatem definire ad elicienda religiosa vota requisitam; tollere, aut circumscribere nexum cum extraneis Superioribus. Mos praeterea coepit Austriacis sub Regibus, Ordines religiosos ad Regnum admissos, pro receptis cum, vel sine facultate bona immobilia possidendi, nuncios item ad Diaetam mittendi, articulo mediante declarare [b]). Constitutum legibus denique, ne in posterum Collegia, et Claustra quorumvis Religiosorum sine necessitate Reipublicae, et Regiae Majestatis assensu augeantur [c]).

§. 485.

Religionum.

Religiones in Regno Hungariae ab avitis sacris peregrinas tres hucdum noveramus comitialiter receptas: Protestantium, Reformatorum, et Graecorum. Priorum ratio, libertas, et jura — ut supra ajebam — a Pacificatione Viennensi, et Linciensi, quarum utraque in legem abiit [d]),

---

a) P. I. tt. 10. 1791. 23.

b) Vide Dec. Anni 1687. et sequiora.

c) 1723. 102.

d) Vide 1608. 1. — 1647. 14.

postrema a veteribus juxta, ac recentioribus privilegiis suam trahunt originem. Et istae quidem omnes Decreto Leopoldi II. [a]) exercitium plene liberum in Hungaria habent, non item in Croatia, Sclavonia, et Dalmatia, ubi municipali constitutione suo loco relicta, Evangelici utriusque confessionis ab officiis, et bonis possidendis hucdum arcebantur [b]). Post reincorporationem vero comitialiter decretam Comitatuum Kraszna, Szolnok mediocris, et Zaránd, cum Districtu Kövár, quae antea ad Regnum Metropolitanum spectabant, et Transilvaniae Principibus condam cessa illic nomine Partium veniebant, quarta quoque Unitariorum accessit [c]).

§. 486.

Per Leges receptarum.

Gaudent ergo hae Legum auctoritate receptae Religiones sine discrimine deinceps in perpetua tempora in Hungaria libero sacrorum, templorum, turrium, campanarum usu, atque proprio, ubi voluerint, Curione, simodo Communitas ferendis his oneribus par sit. Dependent in Ecclesiasticis a propriis Superioritatibus, Consistoriis, ac Synodis, de quibus, prout et Fundationibus piis, quae Regis sit auctoritas, antecedenter notaveram. Immunes sunt a quibusvis alterius Religionis seu ritibus colendis, sive ministris, servisque alendis. Causae Evangelicorum matrimoniales, nisi alterutra partium catholica sit, ad propria eorundem Consistoria, (quibus Graeci non Uniti semper fuerunt provisi) ubi debite coordinata fuerint, relegantur, interea a foris secularibus dijudicandae. Dispensationes vero in casibus, lege patria vetitis, concedere Regis est, quemadmodum venia, ne transitus a Catholicis ad placita Evangelicorum temere fiant, ab altiori indultu impetranda fuerat. Proles denique, si Pater Catholicus sit, indiscriminatim hujus Religionem profitendam habent; si Evangelicus, filii sacra genitoris sequi possunt.

---

a) 1791. 26. et 27.

b) 1687. 23. — 1715. 30. §. 5. et 125. — 1723. 86. §. 2. — 1741. 46. — 1791. 26. §. 14.

c) 1848. 20.

§. 487.

Jura, ac libertates ampliatae.

Amplior in posterum patet campus a Sacris Catholicis ad Evangelica transeundi. Nominatim masculi 18 annos nati, foeminei sexus vero, quamvis juniores nubant, fidem, in qua educabantur, sequi jam non impediuntur. Romano Catholicis hanc cum Evangelica Confessione libere permutare cuivis licet post effluxum quatuor septimanarum, erga praemissam sub initium, et finem hujus epochae concernenti Parocho coram duobus testibus insinuationem [a]). Connubia inter catholicam cum protestante coram hujus posterioris sacro Curione inita, post promulgatam legem pro legitimis declarantur, quin retroactive illa quoque hujus generis, quae inde a 15. Martii usque Novembris mensis diem 18. erant contracta [b]).

§. 488.

Et Graecorum non Unitorum.

Similem fere Sacrorum libertatem Graeci non Uniti ritus antea, Privilegiis concessam, jam ex lege consequuntur [c]). Accedit Hierarchiae Ecclesiasticae institutio eisdem alioquin juxta sua dogmata propria. Unde Metropolitam Archi-Episcopum, qui modo Patriarcha etiam passim dicitur, a quavis extera Jurisdictione independentem, pro suae Ecclesiae Capite, et septem praeterea Episcopos numerant, quorum electionem ad normam, qualem in Graecia seculo 10. usitatam fuisse scriptores referunt [d]), Maria Theresia [e]) in praesentia Commissarii Regii, cujus tamen in electione ipsa partes nullae sunt, peragendam definivit. Illud adhuc relate ad hos Episcopos hic notare, quoniam alibi non recurrit, inopportunum haud fuerit, eos medietatem substantiae acquisitae cuicunque intra ambitum ditio-

---

a) 1848. 3. §. 1. 5. et seq.

b) Cit. leg. §. 2. 3. 4.

c) 1791. 27. et 1848. cit. art.

d) Conf. Lakics Praelect. Can. p. 267.

e) Vid. ordin. Anni 1779. Vienn. promulg.

num Regiae Majestatis degenti testamento relinquere posse; medietas tamen altera semper ad fundum Ecclesiasticum, quem Archiepiscopalem, et clericalem, vel communiter etiam Nationalem vocant, devolvitur [a]).

Caput X.

De Jure Regum Hungariae in Educationem, et Institutionem Juventutis.

§. 489.

Emporia Litteraria.

Quanti in Republica momenti sit recta educatio, atque Institutio Juventutis, quanta ergo sollicitudine utramque Regimen supremum complecti oporteat, a summis caeteroquin viris saepe, ac diligenter inculcatum, jamque a nobis ipsis commemoratum fuit. Unam hanc e praecipuis regii muneris curis Reges quoque Hungariae ne in primordiis quidem Monarchiae, quantum id aevi adjuncta, et bella continua, barbarorumque incursiones admitterent, negligebant; faventioribus autem temporibus tanto studio, tamque liberali manu prosequebantur, ut omnis in litteris, artibus, ac scientiis institutio, quam Regnum habuit aliquando, habetque, ab augusto eorum patrocinio: magna sui parte ab eorundem largitate processerint.

§. 490.

Jam divus Stephanus.

Divum Stephanum, quem pro summa, qua pollebat, regendi arte latere nequibat, nullum Imperium, nullam sine virtute, et quae virtutis optima magistra est, religione, civitatem beatam persistere: non sine artibus ullam, atque scientiis florere unquam posse; Albae Regiae scholas, ut vitae S. Gerardi scriptor exprimit, famosas aperuit, hocque exemplum assentiente Rege, modo fatum Episcopum Csanadini immitatum fuisse, idem Biographus diserte innuit [b]).

---

[a]) Juxta eand. Ordinat.

[b]) Legenda major S. Gerardi p. 330. et seq.

Ex hoc ipso auctore colligitur, aevo suo, initio quippe seculi duodecimi, scholasticam sobolem in Capitulis passim, ac Coenobiis a piisimo Rege, hunc etiam in scopum liberalius dotatis, institui consvevisse *).

*) Floruisse apud Veszprimiense Capitulum similem scholam cum artium liberalium studiis ad morem ludorum Parisinorum in Gallia, testimonio nobis est concessio Ladislai Chuni [a]), qua scholae huic, ipsique Ecclesiae ob damna perpessa partem tributi de Fok anno 1276. conferre non dubitavit.

§. 491.

Dein Ludovicus I., Sigismundus, Mathias.

Fundavit porro, atque erexit Academiam, sive studium generale anno 1382. Ludovicus I. hoc quoque nomine Magnus *), cujus vestigia gener Sigismundus imitatus, brevi post alteram Budae in ipsa Regni Metropoli constituit [b]). Auxit numerum Mathias Corvinus, liberalis profecto sui temporis Litterarum fautor, atque idem Studia generalia tam Posonii, quae Istropolitanam Academiam adpellare placuit — quam Budae collocavit **). Sed universa haec litterarum emporia per ferale ad Mohács excidium tumulos suos repererunt.

*) Indubium istud reddunt non modo Breve Pontificis Urbani VI. confirmatorium, quod celeberrimus Palma e Bullario Romanorum Pontificum in opus suum transscripsit [c]), verum etiam alterae ejusdem Pontificis Litterae, per Paulum Valaszky vulgatae [d]), cujus verba, quae huc faciunt, excerpo „Cum „itaque nuper Tu (scribit Papa Ludovico Regi) ad utilita-„tem hujusmodi, nec non prosperitatem Incolarum Regni „Tui Hungariae, et aliarum Partium vicinarum laudabiliter „intendens, Civitatem Quinque Ecclesiensem, tamquam insi-„gniorem aliis Civitatibus dicti Regni, et magis accomodam, „et idoneam, ut et in ea vigeat Studium generale in qualibet „licite facultate ordinanda, ac omnibus, et singulis doctori-„bus, Magistris, et Scholaribus, eorumque Familiaribus ad

---

a) Monument. hoc ex Authog. vulg. Katona Hist. crit. T. VIII. in Praef. et ex isto Georg. Fejér Cod. Dip. T. V. vol. II.

b) Belius not. Hung. nov. T. III. p. 201. in Hist. Urb. Budensis. — Pray Annal. Reg. Hung. P. II. p. 186. etc.

c) Not. rer. Hung. edit. 3. T. 1. p. 150. et seq.

d) In consp. Reip. litter. in Hung. edit. 2. p. 68. et seq.

„Civitatem praedictam se causa Studii hujusmodi transferen-
„tibus, et ibidem morantibus, nonnulla certa Privilegia duxe-
„ris liberaliter concedenda, prout in patentibus Litteris Tuis
„inde confectis, Tuoque magno Sigillo impendenti munitis,
„plenius continetur etc." Consimili ratione Bonifacium IX. Pontificem anno 1389. generale Studium, per Sigismundum creatum, pro more Seculi ratihabuisse, constituto ejusdem perpetuo Cancellario Praeposito Ecclesiae S. Petri, Inchofferus [a]), nullo quidem fonte indicato, asserit, sed id Romae moratus haud dubie visa Bulla notaverit, rejiciens ad alium, ut ipse fatetur, locum plura in rem proferendi.

**) Posonii, impetrata praevie Concessione Pauli II. Pontificis per Regnum, ubi voluerit, Studium generale ad normam Bononiensis erigendi, anno 1467. Mathia volente, opes vero ad id suppeditante Vitézio Archiepiscopo Strigoniensi exsurrexit; quod nobis Xistus Schier [b]), pluresque diligentissime recensent. Fidem rei totius facit Epistola ipsius Vitézii ad Cives Posonienses: „Credimus — ait in illa Primas — Vos
„non ignorare, quod ex concessione Sedis Apostolicae, et
„voluntate Serenissimi Domini Regis nostri institutum sit
„Studium generale in illa Civitate [c])." Praeter istam, serius alteram ab eodem Rege, accersitis hoc fine e diversis Provinciis viris doctrinae laude conspicuis, Scientiarum omnium Academiam Budae fuisse collocatam, liquet abunde ex epistola nuncupatoria Petri Schvarcz (alias Niger) Academiae ejusdem Rectoris ad Mathiam [d]); confirmat id ipsum ichnographica descriptio aedium spatiosarum, quas Fundator munificus pro Magistris, ac Discipulis ponere moliebatur, a Casparo Heltay lingva vernacula posteritati transscripta [e]), et vel ex hac ad designati operis magnitudinem conjicere licet.

§. 492.

Proceres Rege annuente.

Post cladem Mohacsianam Nicolus Olahus Regni Primas prostratam Scholarum sortem levare connisus, altiores — Ferdinando I. annuente — anno 1559. Tyrnaviae primus instituit, variis agitatas fatis, donec a Successoribus

---

a) Op. et edit. cit. p. 79.

b) Memoria Acad. Istropol. fragm. hist. Posonii vulg. p. 7. et seq.

c) Hanc Epist. reperies: Im neuen Ungarisch. Magazin T. II. N. VII. p. 132.

d) Quam Opellae suae praefixit Titul. Clypei Tomistarum etc. Conf. Vallaszky consp. Reip. Litt. p. 86. et seq.

e) In Libro: Kronika a' Magyarok' dolgairól.

Archiepiscopis Pázmánno, Lippayo, et Lozsio ampliora, magisque stabilia nanciscerentur incrementa. Primus quippe illorum Universitatem Tyrnaviensem, assignata centum millium rhenensium dote, vulgatoque solenni diplomate, quod Ferdinandus II. ratum habuit, anno 1635. fundavit; posteriores bini dotationem quilibet in seorsivis quindecim millibus augendo, Jurium cathedras adjecere. Insignem hanc in litteras, et patriam pietatem Proceres alii sacri, profanique ordinis, erectis pluribus per Regnum Academiis, Gymnasiis, et utriusque sexus Contuberniis, gratuitae egentiorum Institutioni deservituris, egregie prorsus sunt aemulati*), semper tamen, quod vel allata a primis initiis in praesentem aetatem exempla comprobant, Regum vel aperta confirmatione, vel tacito accedente consensu.

*) Sic sane se res habet: quorsumcunque per omnem, qua late patet Hungariam oculos circumferimus, undique nobis paternae illorum in Juventutem scholasticam curae, undique veneranda in scientiarum, bonarumque artium culturam promovendam beneficentiae monumenta occurrunt. Non excedam metas, praesenti operi praestitutas, longa serie percensendo, quot milliones in sacerrimum hunc finem conversae fuerint; verum cuperem consurgere aliquem ad retundendas Zoilorum modernorum calumnias, qui pro incessabili suo in certam Civium classem odio, beneficiorum et retroactis, et recentioribus temporibus profusa plane liberalitate in seros posteros derivatorum recordari nolunt. Atque ista plane aetate statum ecclesiasticum, et Optimates acerbe culpare non erubescunt, qua Lyceum Agriense, Quinque Ecclesiense, Temesiense, totque alia cum Studiis Philosophicis, et Theologicis per Episcopos fundata numeramus; qua Academiae Militari Ludoviceae, et eruditae hungaricae; tum Museo Nationali; multis denique varii generis publicis Institutis, scholasticisque stipendiis plura centena millia quaeso a quibus potossimum impensa, sacrataque? recenti memoria tenemus. Dixeris ingratum, dixeris omne malum! Vere Phaedrus „sinistra quos in lucem Natura extulit, nec quid-„quam possunt, nisi meliores carpere."

§. 493.

Tandem post Avum, Genitoremque Augustos, Maria Theresia.

Ex quo tandem Hungaria, Turca illius finibus depulso,

et quiete domi reddita, liberius respirabat, educationi quoque, atque Institutioni publicae diligentior adhuc opera navari coepit. Cogitate, ut prolixitatis vitandae gratia Leopoldi I. et Caroli VI. providas in rem dispositiones sileam, unam augustam, immortalis memoriae Reginae Mariae Theresiae providentiam, qua Illa Tyrnaviensem primum Universitatem mirifice auxit, ac pene ex integro reformavit, mox sexennio tardius Budam transtulit, amplis ornavit Privilegiis, et tam hanc, quam alias quinque Academias, plurima item diversae cathegoriae Gymnasia, et Convictus, praestituto generali studiorum systemate, constabilivit, ordinavit, dotavit. Abbatiis nonnullis, et praecipue bonis ad abolitum condam Jesuitarum Ordinem pertinentibus, Universitati in specie collatis partim, partim reliquo fundo litterario dotis titulo adjectis.

§. 494.

Liberali cura erexerunt.

Historiam — fateor — quae praemisimus, contingunt magis *), delibare tamen ista visum fuit, ut quaenam Reges quantum ad hanc publicae Administrationis partem, et quo jure sibi continuo vindicaverint, quod illustrare proprie hujus nostrae scientiae est, clarius adpareat; restat videamus etiam, quousque hanc in rem leges procedant.

*) Initium, et progressum rei litterariae in Hungaria synoptice, ac erudite, ut solebant, viri celeberrimi Palma [a]), et Schvartner [b]) descripserunt. Descripsisse autem hunc posteriorem sine omni partium studio, non valeo affirmare. Nullus assequor etiam, quid is caetera inter sibi voluerit, dum in reformationem Universitatis Tyrnaviensis, a Maria Theresia susceptam, scriberet: „Der Schritt mußte freilich leise, und mit Vorsicht geschehen" scimus enim, qui acta, et documenta ejus temporis legimus, quam istud palam, quibus viris ad publicam notitiam in consilium accitis agitatum, et qualibus cum solenniis Anno 1772. effectui fuerit mancipatum.

---

a) Not. rer. hung. Edit. 3. T. I. p. 139. et seq.

b) Statistik des Königr. Ung. Ed. 2. P. III. p. 347. et seq.

§. 495.

Quid eatenus.

Prima vestigia, quod Regni Comitia curas ad publicam Institutionem applicuerint, A. 1548. recurrunt. Ordinabatur [a]) eotum, ut Praelati Scholas erigant, ac Regia Majestas bonis Litteris operam navantibus ad studia continuanda providere dignetur, deserta Monasteriorum, et Capitulorum bona partim pro doctis Parochis alendis, partim in subsidia studiosae Juventutis, Magistrorumque dotationem convertantur, haecque in re tergiversantes auctoritate regia compellantur. Salutaris hujus sollicitudinis effectum post biennium Regnicolae denuo adurserunt [b]), cujus originem, et causas, qui rationem illorum temporum expenderint, facile reperient.

§. 496.

Comitialiter decretum.

Pari sollicitudine, Carolo III. rerum moderatore, studia omnia statui publico, et militari deservientia, quae in exteris Academiis doceri solent, in domesticis quoque pertractanda statuuntur [c]). Novimus deinde in Comitiis, sub Leopoldo II. habitis, pro systemate generalium principiorum nationalis educationis elaborando deputationem, salvis Juribus Regiis, fuisse decretam [d]), dein studium lingvae hungaricae in publicas scholas introductum. Ubi autem nostris temporibus militaris Academia Ludovicaea fundari coepit, cum id magnanima Offerentium liberalitate fieret, simul norma, ac ratio Studiorum, totiusque educationis, ibi locum aliquando habiturae, Decretum comitiale ingressa est.

§. 497.

In specie de Universitate.

Executivam potestatem in libera, quam quovis tem-

---

a) Art. 6. 7. et 12.

b) 1550. 19.

c) 1723. 70.

d) 1791. 15. et 67.

pore defixerat, institutorum litterariorum coordinatione, Rege utique id ipsum largiente, restrictionem quamdam intentatam fuisse, dum in Regia Scientiarum Universitate selectus disciplinarum non minus, atque docentium sub certis conditionibus interlocutorie per Ministerium definiendis Juventuti relinquitur [a]), utcunque adparet.

§. 498.

Jus Regis Hungariae.

Nihilominus plena potestate Rex Hungariae et a Seculis, quod quidem ex hactenus in medium adductis abunde conjicitur, litterarum studia sine discrimine universa moderatur. Excitat, et fundat Instituta litteraria, atque educatoria cujusvis generis; nec alteri cuipiam Jus competit Scholas publicas: puta Gymnasium, Academiam, Universitatem erigendi, nisi impetrata summi Principis venia. Ejus est praeterea normam studiorum praescribere; de Antesignanis erudiendae Juventuti idoneis providere; numque munere sibi credito rite defungantur, invigilare. Id quod hodie etiam de institutione litteraria, et informatione morali Cleri tam secularis, quam regularis intelligitur.

§. 499.

Relate ad Scholas catholicas.

Exercentur haec omnia in Scholis Catholicorum supremo et Inspectionis, et Patronatus Jure, quod diligentius probare videtur jam non esse necessarium, quando Historia, leges, et observantia Regni id, quod assero, clarissime confirmant. Hinc est, quod passim haec Instituta, si privatas fundationes demas, r e g i a cognominentur, cunctorum vero inspectio Regem respiciat *), legibusque ipsis, ut vidimus, auctoritati regiae relictum sit, bona ac proventus desertorum beneficiorum ecclesiasticorum in salutiferos hos fines convertere.

*) Quod verba ipsius legis [b]) sequentia sic exprimunt „Cujus-

---

[a]) 1848. 19.

[b]) 1715. 74. §. 1. conf. 1723. 70.

„modi Seminariorum, Convictuum, et Collegiorum pro juven-
„tute ecclesiastica, aut seculari per quoscunque sive intra,
„sive extra Regnum fundatorum, dum, et quando necesse
„videbitur, inspectionem, et cum exactione rationum, utrum
„fundationi satisfiat, investigationem Sacra regia Majestas
„sibi soli pro apostolico munere, et suprema auctoritate sua
„reservat."

§. 500.

Respectu Protestantium.

Quaequae in praesentem materiam hactenus disseruimus, tametsi potissima sua parte duntaxat ad scholas Catholicas diversae Cathegoriae pertinuerint: ab epocha interim, qua nova Protestantium dogmata ex oris peregrinis in Hungariam penetrarunt, utriusque Confessionis, Augustanae videlicet, et Helveticae asseclae Scholas sub initium quidem privatas solum erexerant, ast serius sub legum patrocinium receptas, praecipue palmari illa, in favorem Evangelicorum utriusque Confessionis, divo Leopoldo II. regnante, perlata [a]).

§. 501.

Post Articulum 26. 1791. conditum.

Competit nempe eisdem Scholas tam triviales, quam grammaticas veteres, quas habent, retinere, et novas, ubicunque necesse iis visum fuerit, prout et altiores erigere, has tamen accedente praevie assensu regio; constituere Magistros Professores, et Moderatores variae cathegoriae e suae Confessionis hominibus; rationem, normam, et ordinem studiorum defigere, salva quoad has etiam Scholas regiae supremae Inspectionis potestate. Quod etsi hic per expressum non caveretur, ipsa utique indoles Majestatis, ut alias diximus, suapte secum fert. Non enim minus interest nosse, quinam illic litteraria collegia moderentur, quales Professores, et quid, ac quomodo doceant Juventutem.

---

a) 1791. 26.

§. 502.

Quaenam Reflexiones examinantur.

Auctor libelli „de regiae potestatis in Hungaria limitibus *)“ non audet quidem Regi supremam in educatione publica inspectionem abjudicare; indubium tamen esse contendit ex articulo 70. 1723., educationem ipsam, ejusque rationem ad objecta comitialia referri *); quod utrum articulus adversus tot alias leges, usumque Seculorum evincat, ut illi visum est, aequus arbiter facile perspiciet. Certe ex ejus tenoribus petitionem circa augenda, ordinandaque studia altiora ex parte Statuum, annutum vero ex parte Regis eo adjecto, ut illi ipsi modum, formam, et adminicula proponant, exprimentibus, vix deduci poterit, rem educationis, instiutionisque publicae a deliberatione diaetali dependere, et nisi annutu hinc accedente efficaciam habere posse.

*) Verba memorati articuli, quae jam exscribere cogor, haec sunt: „Ut in Academiis non tantum philosophicum theologi-„cum, et juridicum etiam studium exactius separatum, et „statutis horis pure pro earundem Scientiarum Auditoribus, „sed et alia quaevis in exteris Universitatibus publice doceri „consveta, et statui quoque publico, et militari deservientia „studia tractentur, et per idoneos Professores tradantur, „ubi Status et Ordines modum, formam, et „media, quibus id commode fieri possit, Suae „Majestati Sacratissimae demisse submiserint, „pro Regia benignitate sua huic quoque demisso „Statuum petito clementer annuet.“

§. 503.

Adversus hanc regiam Potestatem allatae.

Articulum 15. 1791., quem in medium paulo ante attuleram (496), alii objiciunt, atque ab hoc condito negotium educationis inter objecta comitialia recidisse affirmant. His equidem sufficiet solam clausulam eidem constitutioni adjectam „salvis juribus regiis“ opposuisse; Rex certe juribus suis, nullo unquam tempore in controversiam

*) Cit. dissert. p. 69.

sumtis, minime decessisse censendus est, qui his per expressum reservatis, objectum aliquod Regni Comitiis discutiendum submittit, ad quod sine expresso Regis annutu, sanctioneque suprema, neque supponi, neque intervenisse Jure praetendi unquam potest.

§. 504.

Favores peculiares Docentibus, Studentibusque per Leges tributi.

Ultra allatas leges exstant adhuc complures, quae favores peculiares scientiis, harumque cultoribus tribuendo, retroactis etiam temporibus praeclaram hac in parte Patrum nostrorum sollicitudinem demonstrant. Sic jam tempore electionis Mathiae Corvini, quum de praecipuis Gentis Praerogativis conveniretur, stipulatum visitur [a]): ut a decimis, et teloniis, prout vetus Regni consvetudo requirit, Scholares pariter sint immunes. Adhaec quoties fere Regni Insurrectio, vel militarium Tyronum statutio in Diaeta decernebatur, Studiosi, ac Professores ab hoc onere personali exemti fuere [b]), vel certe esse censebantur. Nec minori favore exemtiones similes aedibus scholaribus a censu domali [c]), a quarteriis militum concessae [d]): et gravis in illos poena, qui has occupare auderent, pronunciata fuit; eo quoque, ut Litterati pro consequenda Nobilitate commendentur, peculiariter reflexum exstitit. De numerosis legibus dotationes salutari huic fini speciatim dedicatas respicientibus [e]), non habeo, quod adjiciam ad ea, quae circa pias fundationes in genere, Capite immediate praecedenti, disserui.

---

a) 1458. 10.

b) Pro exemplo 1808. 2. §. 7.

c) 1598. 4.

d) 1715. 43. §. 5.

e) Praet. supr. cit. lege 1723. 70. et 105. — 1729. 17. — 1741. 43. et 44. — 1751. 21. — 1764. 13. — 1790. 23. et 26. — 1802. 4. — 1808. 7. et 8. et aliae.

Caput XI.

De Jure circa Munia, et Dignitates in Hungaria.

§. 505.

Necessitas Ministeriorum in Republica.

Si administrare Rempublicam executivae potestatis munus est proprium: partes equidem excellentis hujus muneris longe plures sunt, et majoris ponderis, quam ut omnibus rite, utiliterque obeundis unius Principis vires seu physicae, sive morales sufficiant. Opus igitur est illi, cui grave onus istud incumbit, idoneis, ac sufficientibus auxiliatoribus, quorum prudentia, consilio, ministerio adjuvetur. Hunc in finem negotiis Reipublicae gerendis admoti, pro concreditae functionis ratione, modo ut singularia individua, nunc ut membra Collegii, suae vacant destinationi.

§. 506.

Publicorum Officiorum varietas.

Varia inde, et multiplex quemadmodum passim, ita nobis etiam Administrorum, et Magistratuum species, classis, numerus consurrexit. Alii strictorii sensu regium Officium, latiori enim istud quivis Magistratus publicus prosequitur, diversa in sphaera, puta: civili, oeconomica, judiciaria, militari obeunt. Alii vero Regni Jurisdictionibus, aut, si modo rectiori jam nomenclatione compellare licet, Municipiis immediate adpliciti, pro harum compellatione Magistratus Comitatenses, Civici, districtuales, locales audiunt.

§. 507.

Munia publica Rex confert.

Publica Officia conferre in Hungaria non minus, ac in qualicunque rite ordinata Monarchia ea ratione ad regiam refertur potestatem, ut ab hac vel immediate, aut certe ex ejusdem auctoritate procedat [a]). Ita delectus Palatini, et

---

[a]) 1439. 15. et 26. — 1526. 2. — 1741. 15.

duorum Coronae Conservatorum, quantumvis comitiali suffragio sit relictus, nonnisi ad Individua a Rege proposita restringitur. Pene similis restrictio etiam latius obtinet, dum equidem Magistratus propemodum universi electione implentur. In Comitatibus quippe, veteribus institutis integre persistentibus, candidatio per Supremum Comitem, a Principe constitutum; in Regiis Civitatibus, caeterisque Municipiis, quoties Regi visum fuerat, per Delegatum regium citra controversiam fiebat, nec postremae in rem editae Coordinationes Jus istud in posterum plene pro sublato declarant. Non secus vicaria tantummodo potestate Dicasteria, aut Judices Regni Ordinarii, Legionum denique Praepositi stationes nonnullas conferre valebant; quaedam ex his etiam regiam insuper confirmationem requirunt. Subjacent autem nominationi regiae non seculares tantum, verum ecclesiasticae quoque dignitates, et officia, intuitu quorum quae utriusque generis sint Principis immediato, vel ab eo delegatorum arbitrio reservata, quae vicissim, qualique modo electione suppleta, partim notavimus hactenus, partim deinceps commemorabimus.

§. 508.

Jure proprio quidem.

Usi sunt hoc Jurium genere Reges nostri quovis tempore, atque ea quidem plenitudine, ut hoc praeter illos nemo, nisi praemisso cum temperamento, ex eorundem voluntate vel assensu gaudeat. Sunt interim et hic limites certi, qui partim ex ipsa rei natura satis intelliguntur, communesque manent Imperantibus etiam absoluta in suos potestate utentibus, alios leges nostrae continent.

§. 509.

Ex indole tamen Imperii, legumque praescripto.

Quales generatim deligere, vel esse deceat universos in partem curarum Regiminis adscitos, docere non est hujus Instituti; dixerunt abunde veteres multi, ét recentioris doctrinae civilis Magistri *), speciatim vero ultra illa, quae sparsim ex incidenti monuimus, praecedaneae leges

postularunt, ut Regni Barones [a]), Cancellarius Aulicus [b]), Thesaurarius Regius [c]), sive Camerae Praeses; membra Curiae Regiae [d]), Consiliarii, ac Secretarii Regii Indigenae sint, ac Nobiles [e]); supremus Provincialis Commissarius e Statu Magnatum, huic subordinati Provinciales Commissarii e Nobilibus Equestribus constituantur [f]); e quo Statu etiam Personalem Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenentem esse oportebat [g]). Praescribunt porro, ut Comites Camerarii, et Monetarum, tum Provisores, et Administratores Proventuum regiorum, quibus nomenclationibus superiora Camerae regiae, et montanisticae Officia successerunt, itidem Nobiles sint [h]). Tricesimatores indigenae, et in quantum fieri poterit, possessionati esse debeant [i]).

*) Caeteros inter [k]) succincte, et apposite hanc in rem Pölicz [l]): „So unbeschränkt der Regent in dieser Hinsicht walten darf, so „ist er doch als Oberhaupt einer sittlich rechtlichen Ordnung der „Dinge verpflichtet, nur die würdigsten, ohne irgend ein Ansehen „der Person, zu den erledigten Staatsämtern zu ernennen. Diese „Würdigkeit wird zunächst an der sittlichen Mündigkeit der an„zustellenden Individuen, und dann an der durch strenge Prü„fung bewährten geistigen Kraft, und Bildung zur Uebernahme „des eben erledigten Staatsamtes erkannt. Denn so gewiß ein „hoher Grad von Kenntniß, und Bildung den Abgang sittlicher „Reife nicht zu ersetzen vermag, so verlangt doch die Gerechtig„keit, daß der Regent außer der entschiedenen Sittlichkeit des „Anzustellenden, auch dessen Fähigkeit, Kenntnisse, und geistige „Bildung berücksichtige, weil nur die Vereinigung beider Bedin„gungen in einem Individuum den Ausschlag bei dessen Anstel„lung geben kann."

---

a) Cit. 1439. 5.

b) 1492. 6.

c) Ead. leg. et 1608. a. c. 5. Pacif. Vien. ad 5. — 1490. §. 9. etc.

d) 1498. 4.

e) 1492. 6. 1526. 31. — 1608. 10. §. 2. et 3. a. c. — 1723. 97.

f) 1723. 100.

g) 1764. 5.

h) 1552. 30.

i) 1222. 24. — 1490. §. 9. — 1635. 30. — 1681. 44.

k) Pro exemplo G. H. Berg. Versuch der Verhältnisse der Moral zur Politik. L. I. p. 252. — Erhard: Versuch über das Ansehen der Gesetze. p. 72. alios item quam plurimos.

l) Staatswissenschaften im Lichte unserer Zeit. I. Th. p. 240. et seq. Nicol. Thad. Gönner in Op. Der Staatsdienst aus dem Gesichtspunkte des Rechts und der National-Oeconomie. II. §. 56. usq. 62. dein ejusd. Deutsches Staatsrecht. §. 305.

§. 510.

Ejusdem argumenti continuatio.

Quoad demum Supremi Comitis dignitatem legibus sancitum invenio [a]), ut eam Rex cuipiam e numero Baronum, Magnatum vel Nobilium in ipso Comitatu possessionatorum, non tamen minorenni conferat. Post has itaque, et alias claras adeo constitutiones non video, cur immmoremur vanissimae Anonymi cujusdam [b]) argutationi, qui per art. 33. Diaetae Hatvaniensis, A. 1525. habitae *), Regi Supremos Comites ex illis solum, quos Comitatus proponit, creandi facultatem supermanere somniabat.

*) Verba hujus articuli, Corpori Juris haud inserti, sunt sequentia: „Quod honores Comitatuum Regia Majestas ad „supplicationes Universitatis Nobilium cujusvis Comitatus „talibus personis conferre dignetur, quae ipsis Nobilibus „placitae, et acceptabiles videbuntur, ne oppressionem, et „defectum in Jure ipsorum per eosdem Comites, qui eisdem „displicent, et contrarii sunt, quovis modo patiantur.“ Textus ille praecautum vult, ne ingratae personae in Supremos Comites praeficiantur. Auctor noster inde Jus candidandi Comitatibus tribuit.

§. 511.

Jura Regia hoc in objecto reliqua.

Haud vero ad unicam collationem vis potestatis regiae circa publica Officia, sed latius adhuc protenditur. Enimvero et nova quandoque, ratione publici servitii id svadente, sua auctoritate instituit, et superflua abolet, vel justo inter se ordine connectit; partes, normamque agendorum, ac limites cujuscunque describit; Juramentum de officiis rite obeundis, ac in specie de legibus servandis exigit [c]). Praeterea irrepentes naevos, et quidvis illegale corrigit, ac tollit: tandem male defungentes movet loco, dumque adjuncta id postulant, justae subjicit castigationi.

---

a) 1486. 60. — 1638. 33.

b) In Dissert. de Reg. potest. in Hung. limit. §. 24. p. 37.

c) 1791. 18.

§. 512.

Legumque sanctiones.

Verum ista quoque executivae potestatis species pariter, ac reliquae e tenoribus, ac sensu Regni legum quandam patitur limitationem, quae si respiciantur, horum in obversum Princeps nequit legalia Dicasteria pro arbitrio supprimere, peregrinam eis formam indere; attributam per leges efficacitatem, auctoritatemque coarctare, tollere, aut quae legibus uni collegio fuere attributa, in aliud, ut in exemplo Juridica objecta, ad politicum Dicasterium, transferre [a]); praecautum etiam aliquando, ampliando Dicasteriorum potentiam, Regni Jurisdictiones in legitimis Juribus suis coarctare [b]); neminem item praegesto officio erga simplicem denunciationem privare, verum puncta accusationum delato praevie esse communicanda, quo sic plena illi se se purgandi occasio suppetat [c]). Lex sequior — praeter Judicis officium — reliqua a Regiminis nominatione dependentia, extra viam Juris auferri posse clare edixit [d]).

§. 513.

De Jure Numerum Regni Baronum augendi.

Quum anno elapsi seculi quarto supra sexagesimum de Nobilis Turmae Praetorianae Capitaneo, in numerum Regni Baronum recipiendo, ageretur, multum in utramque partem disputatum est: sitne in potestate Regis novum instituere Regni Baronatum praeter Ordinum Regni consensum? Ac tunc quidem ambigua haec controversia non tam definita, quam prudenti consilio declinata fuit. Quamquam analogia Juris publici, et bene vetus consvetudo vix dubitare sinant, id aliquando Regis stetisse arbitrio, neque ulla in contrarium exstet constitutio.

---

a) 1791. 12.
b) 1791. 14.
c) Cit. 1791. 18.
d) 1848. 29.

§. 514.

Quae nobis se sistunt vestigia?

Erant, quod alibi monui (201), Regni Baronatus jam plures, jam pauciores: occurrunt in Diplomatibus non modo Comites Confiniorum, Banive inter haec officia palatina, quos nunc nequiquam quaeras; verum etiam dum adjuncta temporum postulabant, uno eodemque tempore Vajvodae Transilvaniae bini, ternique, quod etiam circa Banos Croatiae, et Sclavoniae evenisse, historia docet. Quae quidem omnia Regiae Auctoritati hac in parte aperte favere ostendunt.

§. 515.

Civilia munia quaedam.

Aperta est in praesentiarum via cuivis nato in Hungaria, Partibusque adnexis, vel in Patriam adscito, receptove ad quodvis indiscriminatim munium sive nominatione, seu per electionem obtingat [a]), lingvae duntaxat hungaricae cognitio pro officio intra Hungariae limites sricte sumtae consequendo ultra requiritur [b]). Quod dum minime reprobandum statuo, impetrare attamen a meo in Patriam aequitatis studio non possum, quin errorem per universam Europam dispersum, et invidiose, deditaque opera magis adhuc, quam ignoranter hinc, et inde pro vero divenditum relevem, Ignobiles publicorum Officiorum apud nos absolute fuisse incapaces ante legem huic exclusioni contrariam.

§. 516.

Aliquando nobilitati reservata.

Munia etenim quaedam supra designata, et Comitatuum pleraque si excipias, reliqua ignobiles et antea gerere poterant, et saepe numero etiam nanciscebantur. Patebant his praeter Consiliarii, et Secretarii officium, reliqua cuncta

---

[a]) 1848. 5.

[b]) 1830. 8.

in politicis, litterariis, cameralibus, militaribus, montanisticis Dicasteriis; in Civitatibus, Oppidisque privilegiatis Magistratus sine discrimine; in Militia ipsa, et Sacerdotio gradus quivis ad summos usque honores; ab episcopali solummodo non quivis ignobilis promiscue, sed de rustica solum plebe ortus prohibebatur per legem [a]) dudum obsoletam. Vicissim nostra, Patrumque aetate, quos talenta, virtus, et merita distinxere, eos per Augustorum clementiam, et aequitatem, addita simul nobilitate, praecipuis etiam Reipublicae subselliis admotos non raro sumus experti.

Caput XII.

De Jure Armorum, et Militia ordinaria.

§. 517.

Quid Jus Armorum?

Sunt ista, quae seriatim hactenus vidimus, valida adjumenta Imperii, per se sola tamen minime suffectura, quando quidem brachio simul opus est, et viribus physicis tamquam praesidiis pernecessariis, tum ad quietem, dulcesque pacis fructus retinendos, cum ad antevertendas bellorum calamitates, atque hostiles impetus retundendos; verbo ad internam, externamque securitatem populo asserendam, quod munus Regis praecipuum est. Haec igitur adjumenta potentiam bellicam efficiunt, Jus autem eadem procurandi Armorum, vel Armaturae adpellant.

§. 518.

Ejusdem robur in Militia consistit.

Potentiae bellicae Robur potissimum in Militia consistit, cujus curam Majores nostros maximam habuisse, testantur bella atrocissima, olim illis pene continua, reportatae in his saepe victoriae, et tot Provinciarum accessiones; quae omnia sine rite adhibitis armis, nunquam profecto sine armorum, ac potentiae ostentatione evenire poterant. Alioquin novimus, militari praecise systemate cum pri-

a) 1514. 24.

mordiis civilis suae unionis adoptato, arma tractasse singulos, una scilicet, quam ambiebant, bellica gloria fuit.

§. 519.

Hungariae ordinaria, vel extraordinaria.

Postea, ubi mitescente sensim barbara feritate, Gens hungara et Sacris Christianorum initiata, et quantumvis bellicosa semper foret, ab infestandis attamen Nomadum more Vicinis desistere, ab his vicissim pro populo ordinato, media in Europa degente, agnosci, aestimarique subinde coeperat; Systema exercituandi partarum Regionum defensioni magis, quam novarum invasioni consentaneum pedetentim invaluit, atque sic discrimen ordinariam inter, ac extraordinariam militiam suapte subortum est. Certe quemadmodum Regni Defensio Regibus nostris, quod praeter plurimas leges [a]) monumenta historica uberrime loquuntur, cum Jure Armorum quovis tempore eminenter incubuit; ita illis haud deerat jam primis Seculis species quaedam Militiae ordinariae, pro ratione Instituti, conditionisque, qualis per reliquam Europam eotum utcunque visebatur.

§. 520.

Ordinaria olim.

Componebant Militiam hancce, ut istud quoque breviter, nec ultra, quam id disciplinae praesentis illustratio postulat, attingam *) inprimis castrenses Populi, vel Jobbagyiones Castri, pro cujus defensione ordinarie excubabant — hodie praesidiarios diceres; — augebant stipendiarii ex eorum numero, qui bello capiebantur, delecti, nonnunquam aliunde conducti, et, re ita poscente, limitibus custodiendis adpliciti; ad quam classem regia, et Officialium Banderia non aliunde, quam e bonis, ac aliis proventibus regiis interteneri solita, sua pro indole referenda veniunt. Accedebant insuper suppetiae a singularibus familiis, quarum tamen paucas hactenus detegere fuit; aut

---

a) S. Stephani Dec. L. II. C. 21. — Colomanni Dec. L. I. C. 40. — 1222. 7. — et in Vest. Comit. cit. 1231. 15.

Communitatibus, quibus sub obligatione personaliter, vel certo armatorum numero ad exercitum regium concurrendi, Privilegia, et Bona fuere collata **); vel denique a stipulatis cohortibus clientelarium, subjectarumve Provinciarum.

*) Faciem Militiae hungaricae veteris, prolixius illustratam nemo hic — opinor — a me exiget; impenderunt ad hanc adumbrandam prae caeteris conatus suos Kollár [a]), Palma [b]), Keresztury [c]), Bárdossy [d]), Pyringer [e]) quorum lucubrationes sedulo nemo sine utilitate evolvet.

**) Exemplum hujusmodi Collationis cum obligatione militandi singulari familiae Comitum de Veglia factae superius dederam (189). Adjicio alterum familiae Rados, cui Andreas II. anno 1224. eam in Privilegio imponit obligationem: „Ut „quoties neccessum fuerit, in exercitu nostro „quindecim loricatos, et decem pedites verna„culos expeditos habeant" [f]). De Communitatibus hac ratione dotatis Saxonum Transilvaniensium una e praecipuis fuit. Accepit illa ab eodem Andrea II. amplissimos favores sub conditione Milites quingentos inter Regnum, et Regni expeditionem deputandi, extra Regnum vero centum, si Rex in persona propria iverit, si vero Jobbagyionem (Regni Baronem) miserit, sive in adjutorium amici sui, sive in propriis negotiis quinquaginta tantum Milites mittendi [g]). Abstineo a recensendis exemtionibus erga similia onera Saxonibus in Scepusio, Hospitibus de Pest, de Zólyom, de Szathmár, aliisque communitatibus praeterea concessis, quorum complures apud Kovachich videri possunt [h]).

§. 521.

Stabilis dici non poterat.

Variabat interim pro sapientia, vel bellica Regum nostrorum indole, atque ob alia adjuncta ordinaria haec

---

a) Hist. Jur. Publ. Amoenit. Parte utraque.

b) Notit. Rer. hung. T. I. p. 169. et seq.

c) Apocrys. de Band. item de veteri Instit. rei milit.

d) Animadversio in Apocryses de Banderiis, item de veteri Instit. rei milit.

e) Ungarns Banderien.

f) Ex Kerchelich not. praelim. Regnor. etc. p. 190.

g) Toppeltini in orig. Transilv. p. 16. et ex hoc Kovachich in Supp. ad Vest. Comit. T. I. p. 380.

h) Op. et loc. cit.

Militia, ex obligatis partim, partim e stipendiariis conflata magis multo, quam ut vel ista ex ratione pro stabili considerari potuisset. Ubi autem prodiga Principum quorumdam liberalitate, aliorum nimia aeris cupidine regiorum castrorum, eoque attinentium Bonorum pars maxima privatis cessit, onusque militandi iisdem de causis apud Communitates, ad illud prius adstrictas, in pecuniarium commutatum fuit; tam copiarum numerus, quam systema ipsum defensionis continuas mutationes subire debuit. Tandem Regno in factiones diviso, et ejus, ac reliquarum Provinciarum ad Coronam spectantium parte prorsus conspicua a barbaris occupata, exercitus regius, quatenus hungaricus dici poterat, ad solos pene stipendiarios, atque eos rediit, qui in Comitiis pro periculi magnitudine subsidii instar temporarie offerebantur.

§. 522.

Usque Caroli VI. tempora.

Aliam Carolo VI. Caesare sceptra Hungariae moderante, res militaris faciem induit, sub quo Systema stabilis Militiae, cujus introducendae, servandaeque necessitatem Conventus Regni palam agnoverat [a]), pro constanti invaluit, simulque legionum hungaricarum Suppletio inevitabilis evasit, quae ordinarie quidem libera conductione procurari intenditur, dum autem Reipublicae ratio id urgentius deposcit, Tyrones statuendo suppletur, quod Regni Jurisdictiones in effectum deducunt.

§. 523.

Quo et Confinia.

Classem regularis aeque, ac stabilis Militiae alteram Confinia faciunt (53) dudum alioquin nobis cognita, probataque. Nec enim Baronum, limitaneorum Praefectorum reliquorum aliud aliquando prae altero erat Officium, quam imperium militare in eos, quibus sub obligatione limites Regni tutandi, domus, ruraque jam olim fuere assignata.

---

a) 1715. 8.

Cujus Instituti summam utilitatem quum — quod leges in eorum conservationem, et restaurationem conditae [a]) sufficienter demonstrant — Reges Nostri dudum perspexissent, illico post depulsum Turcam ad regiones propemodum incolis vacuas e conterminis Provinciis Colonias numerosas, novumque simul pro Confiniis systema induxerunt *); non idem penitus, sed neque penitus abnorme a pristino statu illo, in quo olim Militia in Confiniis locata existebat.

*) Prima his, ut modo exsistunt, Confiniis fundamenta — quamquam Varasdinensia Privilegium quoddam anno 1630. a Ferdinando II. consecuta sint — reipsa sub divis Regibus Carolo VI. Caesare, et Nata Ejusdem Maria Theresia fuerunt posita. Uberiorem, coordinationem celebris sui aevi Chyliarcha Dux Saxo-Hilburgshausenius, postea Comites Carolus de Batthyán, et Franciscus de Nádasd, Heros uterque, et Banus magni inter nostros nominis promoverunt [b]). Sunt vero legiones ejusmodi pedestres nunc universim tredecim per Hungariae, Croatiae, et Sclavoniae limites collocatae, his Transilvaniae quatuor, et una equestris accedunt.

§. 524.

Postliminio revecta referuntur.

Obtigerant quippe cum primo ingressu neo advenis latifundia ab omni tributario onere exemta, in vicem stipendiorum pacis tempore pro obligatione militarium servitiorum; quo sic agros colendo, in armis una domi exercitarentur, quae dein — Patriae defensione id exigente — experti, peritique in hostem stringere possent; propriae autem militari Jurisdictioni, Praepositisque non in militaribus solum, verum in iis etiam, quae civilis gubernii sunt, immediate subjacerent.

§. 525.

Accessit Militia Nationalis.

Exsurrexit condita lege [c]) in legitimo Regni Conventu, hactenus nobis postremo, novum militiae genus, quam ad imitationem illius, qualis nomen Militiae Na-

[a]) Vid. prael. cit. 1595. 54. — 1608. 11. et 21. a. c. 1609. 32. — 1655. 3. 1659. 1. — 1681. 66. — 1741. 59.

[b]) De hoc them. Conf. Novotni in Suppl. ad Sciagr. Hung. F. I. de Conf. et Schwartner Statist. p. 296. — 316.

[c]) 1848. 22.

tionalis in Gallia tulerat, labio vernaculo „Örsereg“ compellare placuit, manutenendae rerum, personarumque securitati destinata. Posteaquam magnus eo lectorum numerus, hujus suae destinationis immemor, versa alea, nefando se perduellionis crimine contaminasset, vix atque diversis in Regni partibus coalescere coeperat, integre suum reperit excidium. Proinde supersedeo recensere, quae de his conscribendis, legendis, inque armis instruendis praescribebantur, in lege minutim recensita [a]).

§. 526.

Supremum in Copias Imperium.

Juri armorum necessario connectitur supremum in copias Imperium, quod summi Terrae Principes nostri nullo non tempore, et non pauci eorum suos Ipsi exercitus adversus hostem educendo exercuerunt, Uladislaus I., et Ludovicus II. sangvine, et vita consecrarunt sua. Dein Jus etiam ad omnia ea adminicula, sine quibus arma nec commode satis, nec tute, nec feliciter ad publicam, privatamque securitatem tuendam adhiberi, et converti possunt.

§ 527.

Hujusque consectaria.

Hoc ergo nomine solius in Hungaria Regis est erectio, aut dissolutio Legionum, repartitio veterum, vel exstructio novorum fortalitiorum; directio, et provisio Confiniorum; delectus militiae, et Officialium; cura rei annonariae, tormentariae, totiusque reliqui adparatus, disciplinaeque; eapropter militare regulamentum, salvis Regni legibus — pro suo nutu praescribit. Ubi tamen novae quaedam praestationes desiderantur, quoniam tributi speciem redolent, comitiali consensu opus esse, ex superioribus inclarescit.

§. 528.

Ad Regem unice pertinet.

Consequens hinc est, ut nemini extero sive Principi,

---

a) In Cit. 1848. 22.

sive privato liceret intra fines Regni Militem conducere, nec etiam civibus patriae; prouti neque Militem servare, munimenta erigere, nequidem Comitatibus [a]), qui quamquam pro defensione Patriae semper parati esse debeant, gentes tamen sine speciali consensu, et voluntate Regiae Majestatis nullo pacto levare possunt [b]).

Caput XIII.

De Militia Extraordinaria, sive Regni Insurrectione.

§. 529.

Quid Insurrectio?

De Militia ordinaria hactenus: Extraordinaria cujus Copiae supremo Regis imperio similiter parent, ab obligatione ad Nobilitatem qualiscunque dignitatis, et ordinis ex lege, et avita constitutione derivata adversus Patriae hostes insurgendi, pedetentim Insurrectio nomenclari coeperat; nam in veteribus chartis, legibusque [c]) frequentius promiscue exercituatio compellatur. Alluserat jam ad hanc obligationem sub ipsis Regni initiis divus Stephanus *), ad eam Andreas in Aurea Bulla diserte provocat [d]), nec alium in finem libertates avitas Nobilium confirmavit, et auxit **). Istis denique, atque aliis e fundamentis Verböczius Nobiles per omnia immunes, et exemtos militare duntaxat pro Regni defensione teneri pronunciat [e]). Verum immunitatem istam, et exemtionem, ratione cujus Nobiles insurgere obstricti fuerant, abstulit una dies, et nisi fallor obligatio patriae defendendae huic civium classi cum caeteris communis evasit. Ne tamen lectorem minime etiam gulosum circa momentosum adeo, neque ignobile Juris nostri publici objectum ab opere hoc

---

a) 1514. 57.

b) 1498. 18. §. 1.

c) In exemplo 1454. 14.

d) 1222. 7.

e) P. I. tt. 9.

historico penitus dimittam jejunum recedere, de isto genere defensionis, quod Nobilibus praeprimis incubuit, magis omnino, quae praeteriri nequeunt, quam quae dici possent, omnino mihi erunt proferenda.

*) Pergrave scilicet monitum Filio datum [a]): „Quartus Decor „Regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, Confiden-„tia Principum, Baronum Comitum, Militum, Nobilium. Illi „enim sunt Regni propugnatores, defensores imbecillium, ex-„pugnatores adversariorum, augmentatores Monarchiarum: „Illi Tibi Fili mi! sint Patres, et Fratres. Ex his vero „neminem in servitutem redigas, vel servum nomines. Illi „Tibi militent, non serviant." etc.

**) „Ut et — inquit — Ipsi (subintelligendo Nobiles) gaudeant „sua libertate, ac propter hoc Nobis, et Successoribus sem-„per existant fideles, et Coronae Regiae obsequia debita non „negentur" [b]).

§. 530.

Et quotuplex?

Genus istud militiae plures species subaudit. Quoties Hungaria universa ad arma capienda evocabatur, generalis: dum parti solum Regni, vel copiarum ad signa erat convolandum, particularis Insurrectio prodiit. Distingvitur praeterea in banderialem, personalem, et portalem. Prima agmen designat e gentibus Banderiatorum, altera e praerogativa nobilitari gaudentium, tertia demum e copiis pro ratione portarum colonicalium collectum. De his jam singulis.

§. 531.

Banderiorum Etymologia.

Ab italico vocabulo „Bandiera" vexillum denotante, cohortes sub distincto hujusmodi signo militaturae Banderiorum denominationem consecutae sunt*). Ad eorum classem antiquitus spectabant praeter illam Regis, de qua supra memini, Reginaeque, et Officialium Regiorum: turmae insuper Praelatorum, ac secularium Dynastarum, in quan-

---

a) Dec. L. 1. C. 4.
b) 1222. C. 31. §. 1.

tum scilicet eum, qui ad erigendum separatum Banderium requirebatur, numerum effecissent: Quare simile educendo pari Banderiati nomen, et in hungarico compellatio „Zászlós Ur" actu in usu posita, idemque grammatice designans indubie adhaesit.

*) Per regale Banderium quandoque Vexillum in legum articulis subintelligi [a]) admitto, multo tamen frequentius turmam sub hoc signo militantem.

§. 532.

Ad Banderium Regale.

Reges ad servandam Militiam, quae Regalis — uti dixeram — Banderii nomine venerat, fuisse obstrictos, ostendunt Decreta post Sigismundum proxima [b]), indeque a Vladislao [c]), et Ludovico II. [d]) item a Ferdinando I. [e]), ac postea condita [f]). Statuitur nimirum illis: Ut Rex Banderium suum, quod mille constabat equitibus [g]), erigat, paratumque servet, atque suis sumtibus interteneat. Quin imo articulos ex occasione hic subnotatos scrutanti palam fiet, plura etiam Banderia regia, sin' constanter, ex ratione certe necessitatis eodem tempore frequentius perstitisse. Quod prae caeteris illa Ladislai posthumi dispositio [h]): „ut cognoscatur, quot Banderia regalia de „proventibus regalibus levari possint" dein norma exercituationis per Sigismundum praestituta *) ad oculum evincunt.

*) Quae licet propositionum regiarum speciem referat, tamen postea in legibus regestri nomine repetitim provocatur [i]). Detexit monumentum hoc, diu frustra quaesitum, inter Comitis Szaparii Manuscripta felici eventu Kovachich, atque

---

[a]) In exemplo 1435. 4.
[b]) 1454. 2.
[c]) 1498. 21.
[d]) 1526. 5. et 8.
[e]) 1533. 20.
[f]) 1595. 2. — 1601. 5. — 1622. 21.
[g]) 1492. 21.
[h]) 1454. 2.
[i]) 1454. 3. — 1500. 22. — 1518. 2. §. 4. Conv. Bács.

uberrima commentatione illustratum evulgavit [a]); fit itaque in eodem regestro, vel — ut interdum scribere maluerunt — regesto mentio Banderii unius Dalmatiam: alterius Transilvaniam versus; contra Hussitas tertii; et quarti in Plaga Temeskeöz, indubie illa, quam hodiedum vulgus Banatum Temesiensem compellat.

§. 533.

Personalis Insurrectio non pertinebat.

Omnibus attente ad se invicem combinatis inclarescit, regiam istam militiam si reliquias Castrorum demas, stipendiarios potissimum, e reditibus regiis altos, suorum in numero censuisse. Deviavit omnino Kollár [b]) vehementer, cum personalem nobilium Insurrectionem pro regali Banderio designavit eo praecipue argumento: quod illa nonnisi Regis sub vexillo in aciem prodiret. Nam opinionem hanc alioquin historiis contrariam, et Decretum Andreae II. [c]) et constitutiones recentiores convellunt *). Praeterea rationem desidero, propter quam in ejus erectionem proventus regii evasissent necessarii, si talibus istud duntaxat constabat, quibus, casu emergente, suis in Patriae defensionem sumtibus militandum erat? Nemo denique obligationem militandi universae Nobilitati communem ad numerum praecise, quem regium Banderium complectebatur, etsi plura eodem tempore exstitisse admiserim, restrictam fuisse existimabit.

*) Suffecerit unius, alteriusve textum revelare „Quod regia „dignitas — ait lex Alberti de stipendiatis, et exercitu gene„rali sonans [d]) — pro tuitione Regni, et Confiniorum ipsius „conservatione hominibus suis exercitualibus de stipendio „regali dispositiones faciat sic quod Regnicolas ipsi stipen„diati exercituantes non praedentur. Exercitus vero generalis „Regnicolis tamdiu, donec hujusmodi stipendiati exercituan„tes adversariis resistere poterunt, non proclametur etc." Altera sub Rudolpho statuit [e]): „Ut Sua Majestas quoque „Caesarea suum Banderium more solito in campo habeat, et „militem Comitatuum ita semper praecedat, ut hic miles in

a) In Supp. ad Vest. Comit. a. p. 350.—459.

b) Hist. Jur. pub. Amoen. V. II. C. IV. p. 87.

c) 1222. 7.

d) 1439. 3.

e) 1595. 2. §. 3.

„campum non prius descendat, quam Banderium Suae Maje-„statis, sine Confiniorum denudatione cum decenti, et suffi-„cienti ungarorum militum numero ibi existente."

§. 534.

De Reginali, Officialiumque Regiorum.

Distinctum a Regio, reginale Banderium Reginae e bonis dotalitiis, caeterisque, quamdiu talia possidere solebant, erigere, et providere Ipsae tenebantur [a]). Accedebant, adhuc regiis Officialibus per officium concredita, nominatim juxta Decretum Uladislai II. tertium [b]) Vajvodae Transilvaniensi, Comiti Siculorum, Bano Croatiae, et Comiti Temesiensi, quae tutandis praeprimis Confiniis destinata, et sumtibus regiis intertenta [c]), generali Banderiorum regiorum nomenclatione subintellecta fuisse [d]), ex ipso Officialium selectu, omnique reliquo legis contextu haud difficulter elicitur. Haec de Regis, Reginae, et Officialium Banderiis, quibus primo omnium in aciem egrediendum, hostique resistendum fuisse, leges numero plurimae aperte fidem faciunt, quarum aliquas obiter provocavimus [e]).

§. 535.

Et Privatorum Banderiis.

Nunc de Procerum sacri, ac profani ordinis Banderiis, quorum exordia hucdum manserunt incerta, litusque ararunt — fatendum est, — qui variis hypothesibus, pro suo plerumque ingenio praestitutis, ad illa nobis explicanda operam impenderunt. Si tamen conjecturae locus datur, tum vox ab Italico desumta, tum usus ipse militiae, quam hac cum denominatione, et forma prima omnium vice codex domesticus Sigismundi aetate commemorat [f]), admodum probabile reddunt, Banderia privatorum sin' originem suam, certe quam tardius

---

a) 1537. 20. — 1545. 16.

b) 1498. 21.

c) 1454. 2. §. 2.

d) Conf. ad se invicem 1523. 17. et 18.

e) Inter has in specie cit. 1458. 2. Const. Slav. 1595. 2. et 1597. 9.

f) In hujus Amnistialib. sub nomine gratiae insert. de Anno 1403. §. 3. et cit. 1435. 1.

nacta fuerant, formam sub Carolo, et Ludovico Andegavensis prosapiae Regibus, atque Sigismundi aetati proximis, nostra in patria reperisse *).

*) Scio Simonem de Kéza de Colomanni adversus Anglos suscepta expeditione disserentem Regis Hungariae Banerium memorare [a]), qua sub compellatione etsi nullus controvertam hic copias regali sub vexillo militantes subintelligi, non tamen adhuc eliquatum puto, authorem de privatorum Banderiis esse locutum, et, si quid video nec quae e binis Andreanis, vel Belae IV. decretis ad comprobandam jam illo aevo privatorum Banderiorum existentiam adferuntur [b]), omni ambiguitate carent.

§. 536.

Hujus Instituti occasio.

Non aeque arduum fit divinare, quid huic institutioni occasionem dare potuerit, diminutis, ut praemiseram, copiis non modo castrensibus, sed etiam fundo, qui alendo militi destinabatur, (533) de suppetiis utrinque conquirendis cogitandum erat, cui rei sic consultum videbatur, ut numero colonorum juxta proportionem domorum, sive portarum in calculum assumto, qui ampla bona possiderent, educere gentes plures caeteris, alereque obstringerentur. Atque hic vera banderialis non minus, quam ipsius quoque portalis militiae causa quaerenda erat; haec fuerat omni tempore utriusque ad se invicem: haec etiam quantum ad exercituationem unica propemodum Banderiatorum a caeteris Nobilibus subditos habentibus differentia, quod leges per secula conditae, atque temporum historia considerate lecta cuivis studio veritatis addicto, perspicuum efficient.

§. 537.

Onera, et Praerogativae Banderiatorum.

Hac quippe ratione potioribus cum onere majori, et illa in specie obligatione copias suas — si regiae hosti amplius resistendo non essent, ante — reliquas in campum

---

a) Loco cit. C. 4.

b) Vide in §. 535. et subjecta eid. nota.

mittendi [a]) *), praerogativa usu diuturno numerosiores sub proprio habendi vexillo probabilius accrevit [b]), dum reliquorum juxta eandem clavim, proportionemque Comitatus vexillum sequi obligarentur [c]). Ad quam posteriorem subinde omnes ii relati sunt, qui adminus quinquaginta Equites ratione suorum bonorum tenere nequirent [d]) et in ordinem Baronum non fuissent adsciti [e]) **). Quoniam autem Banderium integrum quadringentis, medium ducentis partim armigeris, ut lex vocat, partim levis armaturae equitibus constabat [f]), omnem illum, quem animus incesserat, non sub vexillo Comitatus, sed cum Banderiatis gentes suas coadunare, adminimum unam octavam integri Banderii in campum educendo parem esse oportuisse hoc ipso consequitur.

*) Non ex vano suspicor, hungaricum illud „Elökelö" quo valentiores nostra adhuc aetate designabantur, ab ista ante reliquos consurgendi obligatione invaluisse; hanc enim lingva vernacula ad amussim exprimit.

**) Multam istis lucem affundunt monumenta ab aetate Mathiae I. desumta [g]), quae ex Kováchichii Vestigiis Comitiorum a nobis alio loco (533) provocantur.

§. 538.

Certis Bonis.

Jam si revolvendo iteratam eam Constitutionem: „ut „quicunque Dominorum numerum quinquaginta equitum „non habuerit, subsit Banderio generali Comitatus, et in „medium hujus pecunias exercituales dare teneatur [h])" mente paulo attentiori expendam, quod istorum unusquisque tantum militem educendi haud incapax proprio sub vexillo militaverit, militare certe potuerit; quod porro tempore, quo vel maxime Banderia vigebant, per universam

---

a) 1458. 2. — 1492. 18.

b) Cit. 1492. 21. et 1498. 22.

c) 1500. 21. §. 1.

d) 1538. 13.

e) 1556. 40.

f) 1492. 20.

g) In specie 1459. 32.

h) 1526. 27. — 1601. 11.

Hungariam nulli Majoratus, aut Senioratus, velut multo recentioris instituti [a]), exstiterint, quae alienari, divisionique subjici nequivissent; neque sine simili quadam provisione ejusmodi obligatio familiis, vel bonis perpetuo adhaerens concipi possit; pace virorum, hoc nuper propugnantium, tute pronunciare licebit, eos tota veteri rerum nostrarum doctrina errare, atque assertum illorum cum praemissis omnino conciliari non posse.

§. 539.

Familiisque non inhaerebant.

Nec relate ad Proceres, quos lex educere Banderia jubet, vel simili cum obligamine seriatim recenset [b]), et qui post non longum adeo temporis intervallum, quod inter regimen Sigismundi, Mathiae et Vladislai intercesserat, haud eodem, sed vario numero comparent, aliud concludere licet, quam eos tam amplis bonis, illaque colonorum mulitudine abundasse, ut tanta post institutam portarum connumerationem, phalanx inde resultaret, quae Banderium integrum, medium, vel denique octavam ejusdem partem aequasset.

§. 540.

Quod probatur.

Prostant quidem complurium collationum specimina cum expressa exercituandi servitute, quorum nonnullas nominatim Bartholomeo Comiti de Veglia, et Familiae Rados a Bela III. et Andrea II. Regibus hac sub conditione datas, ipse alibi allegaveram (§. 189), existimo tamen neminem fore, qui praetendat, quemlibet ad decem, quindecim loricatos, vel pedites statuendos adstrictum, propterea Banderiatum continuo evasisse, vel manipulum adeo exiguum Banderii nomen emeruisse. Alioquin ultra documenta hujus generis paucissima, ne unam quidem, tot inter ab oblivione vindicatas donationem super amplissimis etiam

a) 1687. 9.
b) 1498. 20. et 21.

bonis factam, hactenus fuit invenire, quae similis instituti mentionem faciat.

§. 541.

Diluuntur argumenta.

Magis forte elevare nostram opionem quibusdam videbitur articulus comitialis [a]), Jura memorans ab antiquo banderiata *), hunc tamen id, quasi bonis ipsis ex indole sua inhaesisset distincta quaedam educendi, servandique Banderii conditio, nequaquam subintelligere potuisse, praeter perpetuum illud silentium de simili onere, ad certas familias, aut bona secularium usu, vel constitutione quadam extenso, in vetustis omnis aevi documentis observatum, commonstrant leges ipsae, sanctioni praecitatae proximae [b]), quae Gentes de bonis Banderiatorum apud Nobiles, Banderia non habentes, in pignore existentium, de bonis item Baronum sine haerede decedentium non amplius distingvendas, sed cum reliquis commiscendas decernunt. Illa itaque unius legis, nuspiam alibi recurrentis, et utcunque ambigua dispositione id forté Majores nostros statuere voluisse reor, quod ecclesiasticos, qui Jura secularia a bonis ecclesiarum diversa, et olim Banderiato cuidam propria, subinde in dominium suum redegissent, ab illis quoque pari cum caeteris Nobilibus proportione concurrere oporteat, ita nihilominus, ut hoc titulo statuti ad ipsorum proprium, non vero Comitatus Vexillum aggregentur. Sed istud non ultra conjecturas vendito.

*) Praestabit istius paragraphum tertium, qui totus huc facit, integre exscribere: „Si autem aliqui Praelatorum, et Virorum „ecclesiasticorum secularia Jura possiderent, ea, quae ab „antiquo Banderiata sunt, nunc quoque Banderia sua habe-„ant, et ratione illorum ultra caetera bona ecclesiarum, su-„per quibus fundata sunt, consimiliter exercituare sint „obligati.“ etc.

§. 542.

In contrarium.

Argumenta reliqua a Systemate feudali repetita, quae

a) 1498. 15. §. 3.
b) 1500. 21. — 1526. 30.

passim, qui in adversam partem secedunt, copiose adferre solent, specifice hic exponere vix operae pretium foret; quantumcunque enim multi sane popularium nostrorum recentiori aevo bona nobilitaria feudi naturam in Hungaria quoque induisse, erronee satis existiment, atque Systema istud importune, oportune domesticis institutis promiscue appingere coeperint, contrarium tamen ex iis, quae de feudis praemiseram, sufficienter inclarescere, ego saltem plene persvadeor; licet ultro sustinuerim, neque negavero unquam, tenuta quaedam et feudi instar, et expressa paucos milites alendi sub conditione Hungariae quoque non fuisse incognita, quin singulares hujusmodi collationes, ut plurimum limitaneis factae, id quod adversarii volunt, demonstrent.

§. 543.

Banderia Ecclesiastica.

Paria Cleri in bonis nobilitaribus, analogisque reditibus Jura, parem illis etiam cum reliqua Nobilitate Patriae tuendae obligationem imposuerunt; dubitari proinde aliquo cum fundamento vix potest, eandem Statui ecclesiastico, quamprimum hoc beneficii genere gaudere coepit, id est cum primis Religionis Christianae apud nos initiis inhaesisse; non secus Banderia Procerum sacri juxta, ac profani ordinis, quos leges ipsae, quando in specie de isto militiae genere, vel de exercituatione sermo est, fere semper conjungunt, apud nos, etsi incerta sint, simultanea habuisse initia.

§. 544.

Banderiis Secularium coaeva.

Neque ab hac Sententia dimoveor, etsi jam aevo S. Stephani Abbatiae ad radicem Montis ferrei milites pro custodiendo Monasterio assignatos animadverterim (296), quoniam ad eorum potius classem referendi sunt, qui in persona omnino liberi, sed propter obtentum a secularibus, vel ecclesiasticis Proceribus possessorium ad fidelitatem, et servitia conferentibus praestanda obstringebantur; idcirco

haud infrequenter in antiquis chartis pro Vasallis Nobilibus compellati. Fuerunt itaque hi indubie incunabula modernorum Praedialium, quos ob aequiparam prorsus feudatariam subjectionem ad Vexilla Dominorum, sive, ut eos etiamnum rite nominant, Collatorum suorum, quando id exigitur, confluere oportuisse, usus continuus evincit.

§. 545.

A Praedialibus distincta.

Quare minime cum Gentibus Praelatorum ordinariis, quod Bárdossy fecerat, Nobiles praediales sic sunt confundendi, quasi praeter illos, nulli alii in privatorum Dominorum Banderiis aliquando militassent. Etenim si etiam nequicquam reflectam ad Ladislai Posthumi decretum II. [a]), quod onus exercituandi a proportione diminutorum ecclesiasticorum proventuum reducendum ordinat, qua forte dispositione eum in casum opus vix fuisset; nec legem alteram [b]) allegare sustineam, quae Praelatorum stipendiarios ex eorundem Jobbagyionibus, in quorum attamen neutram classem Praediales veniebant, necessario intertenendos decernit: rem tamen omnem conficit illud supra allatum Mathiae decretum [c]), quod Praelatorum Jobbagyiones, sub propriis eorum Banderiis exercituantes, a Nobilibus Ecclesiarum aperte secernit.

§. 546.

Duplici titulo praestabantur.

Clerus Hungariae superior proventus suos e bonis partim tollit, partim in decimis, quibus nuper renunciavit, perceperat [d]), Principum liberalitate sibi attributis; Cui igitur utroque hoc titulo ad augendam potentiam bellicam seu distincto Banderio, sive certo numero concurrendum fuit; quod prae caeteris art. 15. 1498. saepius postea

---

a) 1454. 3.
b) 1498. 17. §. 1.
c) 1459. 1. in Vesl. Comit.
d) S. Steph. D. L. I. C. 52. — Colomanni L. I. C. 25. 1222. 20.

confirmatus [a]) disponit, exindeque Praelatorum differentia facile intelligitur. Illi nempe, qui integro, vel plane duplici Banderio, quod de Strigoniensi, et Agriensi Antistitibus legimus [b]), concurrebant, proprie in Banderiatorum censu fuerunt computati: his nonnulli — etsi tanto numero producendo impares — ex eo accesserant, quod copias suas ad castra proprio itidem sub signo per specialem praerogativam possent expedire, id quod postea plus vice simplici — ut vidimus (528) — interdictum fuit.

§. 547.

Portalis Militiae numerus.

Portalis Militia, quam a banderiali in eo fere discrepasse proditum est, quod non ad distinctum, sed Comitatus Vexillum congregaretur, agnomen suum a mensurae compellatione accepit, secundum quam Nobilitas equites, peditesque ad exercitum Regni generalem certo numero statuere, alereque debebat. Cum enim clavim ad proportionem hac in parte definiendam non ab extensione territorii, quod leges quam plurimae nec ambiguae demonstrant, verum ab impopulatione locorum desumere consvetum fuerit: domus uniuscujusque familiae suo sub capite, et altore sive Patrefamilias constitutae in censum assumebatur; ratione itaque domalium portarum portalis militiae denominatio originem traxit.

§. 548.

Pro temporum ratione variabat.

Utut vero Comitia, quoties similis militiae necessitas ingruebat, hanc eandem mensuram, de cujus uberiori significatu alibi se commodior offeret disserendi occasio, pene constanter retinuerint, respicerentque ad ea potissimum, quae Sigismundi aetate in rem fuere sancita; nihilominus numerus ipse a singulis portis statuendorum, nec non sumtus ad copias alendas pro indigentiae, aut discriminis

---

a) 1518. 1. Conv. Bács. 1546. 16. 1547. 35. 1555. 5. Conf. etiam his anteriores 1492. 19. et 20.

b) 1498. 20.

magnitudine in casibus singulis speciatim defigebantur; quod, nisi omnem articulorum de hoc objecto copiose agentium seriem sponte ignorare velimus, inficiari omnino non possumus. Systema proinde certum, ac fixum isthic deprehendere velle, idem foret, ac tempus, et operam perdere.

§. 549.

Personalis Insurrectio.

Quum ipsi Nobilitati ad arma convolandum fuerat, personalis Insurrectio stricto sensu accepta obtinebat *). Ejus fundamentum a primo civilis unionis nostrae foedere esse repetendum, hancque obligationem cum immunitatibus, queis illa pollebat, intime connecti, a nobis alioquin saepe, ac iterum commemoratum erat. Hinc provenit, quod Praelati, Barones, Magnates, Regnicolae quiqui [a]), verbo Nobiles, quos lex sub hac nomenclatione in Hungaria complectitur, universi [b]), etsi bona non possideant, pro Regni defensione militare, sive quod et nunc idem denotat, personaliter insurgere obstringebantur. Quin exstat exemplum nec illos, qui bonis per Turcas depulsi carebant, hac in parte fuisse exemtos [c]). Quid quod legem habemus, quae Sententiam capitalem in eos pronunciat, qui personalem militationem pecuniis redemerint [d]).

*) Nobilium tantum in propria persona militantium agmen reapse pro Insurrectione aliquando habebatur, verum pedetentim stilo et usu legibus, historiis, diplomatibusque vulgari Insurrectionis vocabulo etiam Statutio portalis designari coepit adeo, ut frequenter per alia solum adjuncta erui queat, utrum de personali Insurrectione, vel portali militia sermo sit.

§. 550.

Quo cum temperamento accipienda?

Nunquam interim sensu praecise grammatico, atque eo cum rigore personalis isthaec obligatio est intelligenda,

---

a) Vid. int. plur. leg. 1542. 19. Conv. Pos. 1557. 2. — P. I. tt. 9. etc.
b) 1715. 8.
c) 1545. 18.
d) 1454. 12.

quasi cunctis Nobilibus viritim, et absque ulla exceptione propria in persona ad bellum semper proficiscendum fuisset; saepe, imo plerumque fratres divisi tantum per singula — ut dici amat — capita eo obstricti fuerunt [a]). Cumque multos per aetatem, quosdam ob valetudinem, complures ex muneris ratione, alias ob causas jam lex dispenset, jam suapte impediri contingat, res ipsa loquitur, propter similia obstacula substitutioni locum fuisse relictum.

§. 551.

Utrum Nobilitas.

An Nobiles obligentur etiam extra limites Patriae armis servire, et qua sub conditione? saepe quaesitum memini; nam de servitio hoc intra limites Patriae propriis sumtibus praestando aperta res fit non modo ex universali traditione, sed ex ipsa Bulla aurea, id constituente [b]): „Si autem Rex extra Regnum exercitum ducere voluerit, „Servientes cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia „ipsius. Si vero ex adversa parte exercitus venerit super „Regnum, omnes universaliter ire teneantur“ sed Verba ejusdum Decreti „n i s i p r o p e c u n i a i p s i u s“ dubium multis nec immerito moverant, utrum regiis sumtibus antiquitus Nobilitati etiam invitae extra Regnum bellandum non fuerit?

§. 552.

Etiam extra Patriam.

Sunt tamen leges, hisque prorsus consentanea monumenta, quae Nobilitatem in regula ultra Regni limites procedere, exercituareque haud debuisse verbis, quorum perspicuitati nihil opponi potest, palam decernunt *). Ajo in regula: id enim in extraordinariis casibus imperatum fuisse, ut recentissimos non adferam, docet prae caeteris Art. 17. 1498. Et sane quis credat, tunc quoque, cum vis inimica a finibus Regni propulsanda, si reparanda injuria, quando

---

a) 1518. 37. — 1523. 19. — 1542. 33. — 1595. 21. etc.
b) 1222. 7.

Provincia Coronae erepta recuperanda fuerat. in copiarum vel Ducum arbitrio stetisse, a coepto tramite desistere, mediumque victoriarum cursum cum manifesto persaepe Patriae periculo abrumpere; quemadmodum hoc assertum per se satis explicitum ingressus ad supramemoratum Regestrum Sigismundi, nec non Articulus ejusdem 26. **) belle admodum confirmat.

*) Ita Alberti Regis Decreto ad litteram cavetur [a]), ut; „Dum „vero necessitate urgente exercitum generalem proclamari „contigerit, tunc Nobiles Regni ultra metas, et Confinia Regni „inviti more exercituantium non ducantur, antiqua eorum „libertate requirente.“ Idem Vladislai II. primum [b]) et tertium [c]) sequentibus exprimunt: „Praelatos, Barones, et caete„ros Nobiles inducta generali Regni Insurrectione ultra limi„tes Regni, nisi ipsi velint, nullo in casu ire obligari, anti„qua eorum libertate id requirente, demtis tamen iis, qui in „militia regia stipendia mererentur.“ Adde his Constitutionem Mathiae Corvini certe Jurium regiorum tenacissimi [d]) sequentem. „Quando Dominus Rex cum Praelatis, et Baronibus „suis personaliter ad exercituationem qualemcunque, modo „praenotato sua Banderia, et dictorum suorum Praelatorum, „et Baronum levando proficiscitur, ex tunc etiam universi „Nobiles Regni majores scilicet, et minores cum eorum Genti„bus exercitualibus connumeratis personaliter cum eodem „Domino Rege juxta consuetudinem antiquam usque metas „Regni tantum unusquisque secundum suum „posse ire teneatur, et dum ipse Dominus Rex de „hujusmodi exercitu redire voluerit, Regnicolae ipsi cum „eodem redire valeant, si vero ultra et extra metas „hujus Regni personaliter exercituare voluerit, „Universitas Nobilium juxta consvetudinem „Regni ultra ipsas metas cum eo exercituare „non teneatur, sed gentes ipsorum connumeratae sub „ductu Capitaneorum illuc, quo Regia Majestas voluerit, in„fra dictos tres menses integros, et non amplius exercituare „teneantur.“

**) Prioris verba, quae in rem faciunt, haec sunt: „Item quia „etiam Rex Hungariae utitur ultra titulum Regni Hungariae „horum Regnorum titulis, videlicet Dalmatiae, Croatiae, „Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, et Bulga„riae, quae scilicet Regna sunt ab antiquo eidem Regno

a) 1439. 3.

b) 1492. 18.

c) 1498. 17.

d) Alias prov. 1459. 11. — Vid. in Kovachich Vest. Comit. p. 339.

„Hungariae incorporata, et ad horum cujuslibet conservatio-
„nem, et confiniorum defensionem per Regem, Reginam, Prae-
„latos Viros ecclesiasticos, et communitatem Nobilium, et
„possessionatorum hominum necessario semper est intelli-
„gendum.“ Posterior sequentia habet: „Licet in praecedenti-
„bus sufficienter per Majestatem regiam sit tactum, quomodo
„Sua Majestas vult per Praelatos, Barones, et Regnicolas
„per expressum declarare usque quem locum, et terminum
„communitas Regnicolarum generalis exercitus ingruente
„necessitate teneatur proficisci, et etiam quamdiu stare debe-
„ret in eodem; verum tamen sicuti prius scriptum est, Regna
„Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Bosniae, Galiciae,
„Lodomeriae, et Bulgariae dudum et etiam tempore Serenis-
„simi Domini Ludovici Regis recolendae memoriae ad Coro-
„nam, et Regnum Hungariae pertinuerunt.“

§. 553.

Militare obstricta fuerit?

Provocant in contrarium nonnulli ad verba Decreti Andreae [a]) „nobis facientibus exercitum extra Regnum, „Nobiles nobiscum ire non teneantur, nisi Comites paro„chiani, stipendiarii, et Jobbagyiones castri, et qui ex „Officio debito tenentur. quibus amplas concessi„mus possessiones“ dicuntque eos adminimum de Nobilitate, qui amplas possessiones accepissent, Regem, quo volet, sequi debere. Hic attamen nequaquam promiscue subintelligi possessiones privatis haereditarie, sed sub conditione determinatum militum numerum in castra educendi (189) collatas, aut etiam pro officio concessas, iis nempe, quos Bulla aurea per id „qui Comitatus habent“ expressit [b]), docet et usus posteriorum seculorum, et leges clarissimae [c]), quae nec Banderiatos quidem ultra Regni metas ordinarie proficisci debuisse, palam faciunt. Haec igitur et his adfinia, quae in Belae IV. Decreto praecipiuntur *), satis indicant, Nobilem nonnisi sponte et stipendia mereri volentem arma extra Regnum protulisse, nisi lex positiva in specificis casibus aliter jussisset.

---

a) In cit. Suppl. p. 411.
b) 1222. 7.
c) 1492. 18. et 19. — 1498. 17. — 1619. 4. — 1622. 21.

*) „Statuimus — verba sunt Decreti [a]) — quod si ad occupanda, „vel acquirenda Regna contingat nos exercitum movere, „Nobiles invitos ad exercitum non trahemus, nisi qui sponte „voluerint proficisci, vel pro nostra pecunia. Nec etiam in „subsidium filiorum nostrorum, vel aliorum invitos ire com- „pellemus" etc.

§. 554.

Insurrectionem exigere omni tempore Regii Juris erat.

Cunctis, quaeque de hoc themate praefati sumus, rite inter se combinatis, sic vetus Insurrectio locum habuisse conspicitur, ut ubi exercitus regius hosti commune Patriae territorium invadenti, vel invadere minitanti resistendo non videbatur, Insurrectionem exigere ad Regem pertinuerit; ad Regnicolas vero ante omnia milite, per Nobilitatem e bonis, et facultatibus suis conflato, suppetias conferre; haec si non sufficerent, Nobilitate ipsa in persona arma capiente, periculo occurrere, limitesque tueri. Ad priorem classem gentes Banderiatorum sacri, et profani ordinis, populi praediales, atque militia portalis spectabant; Nobilitas autem viritim insurgens, Regem ad bellum comitando, regio sub vexillo militabat. Omnes tandem hae copiae, quas simul sumtas etiam exercitum Regni generalem aliquando nominari dixeram, generali suberant Capitaneo, quem Regni Palatinum, et in adnexis Provinciis proprios Banos esse voluerunt.

§. 555.

Quae in Regni Conventibus.

Adparet porro hanc obligationem velut ab immunitatibus, praerogativisque nobilitaribus inseparabilem (530), sic et olim fuisse expletam, ut modus Insurrectionis, copiarumque, ac sumtuum eo convertendorum, qui subsidii nomine veniebant, quantitas pro ratione adjunctorum in Regni Conventibus speciatim determinaretur; quod leges vel ipsa oblationum varietate sic usuvenisse ostendunt.

---

[a]) Anni 1267. 7. quod Kovachich edidit in Vest. Comit. p. 139.

§. 556.

Regulari consverit.

Nemo mihi objiciat, neque bella omnino frequentissima geri, neque amplas Provincias salutatis semper, Insurrectionemque decernentibus praevie Comitiis, occupari potuisse; scimus enim Reges amplissima castra, in quibus gentes cum suis familiis vivebant, aliosque praecise regiis stipendiis, vel praediis, ruribusque assignatis per omne, qua late patet, Regnum, inque confiniis praesto habuisse, qui ab ejus illimitato sic pendebant arbitrio, ut exercitus regius, quoties illi offensivum etiam bellum gerendum videretur, ad istud prosequendum confestim admoveri potuerit.

§. 557.

Per introductam stabilem militiam.

Nequaquam vero per stabilis, ac regulatae militiae introductionem desierat penitus officium pro Regis et Patriae defensione consurgendi, jusque a Nobilitate illud, quoties publica deposcit securitas, conformiter ad leges, hoc in merito praeexistentes, exigendi, Regi, ut antea fuerat, deinceps inviolate permansit; quod nempe 8. articulus Anni 1715. expressis totidem verbis *) reservat.

*) „Quandoquidem Nobiles, et omnes illi, quos sub nomenclatione hac (cujuscunque sint honoris, dignitatis, et status personae) in Ungaria lex complectitur, pro Regni defensione militare, adeoque personaliter insurgere, suaque respective Banderia producere, ac praestare teneantur: Id sacra Caesareo Regia Majestas quoties necessum esse judicaverit, ad conformitatem hactenus sancitarum superinde legum, a modo in posterum quoque desiderare, et exigere poterit."

§. 558.

Prior insurgendi modus.

Videndum ergo, quae species Insurrectionis, et qua sui parte omnibus, ac singulis, quos lex Nobilitatis nomine hic designat, post articulum indicatum praestanda su-

permanserit. Istud vero, ut ex aequo perspici queat, quantum recentissima aetas a veteri discrepuerit, sollicite indagare necesse evadit: Cum adhuc portalis, banderialisve militia, quae quomodo a se differant, vidimus (537) usu ipso perstiterant, domino terrestri in suum colonum, plerumque glebae adstrictum, absolutum quodammodo competebat dominium; eum itaque ad arma ferenda cogere, correspondens obligationi potestas erat, pro extraordinaria Regni defensione militem ad proprium, vel Comitatus vexillum statuendi. Nec minus e variorum Comitiorum articulis utcunque inclarescit [a]), gentes Comitatuum a tributo, quod coloni Procerum, Nobiliumve non Banderiatorum juxta quantitatem, ac clavim comitialiter determinatam in medium Comitatus dependebant, gentes Banderiatorum autem, penso a propriis subditis desumto, sua stipendia recepisse; e converso miles stipendiarius e regiis duntaxat proventibus alebatur, solvebaturque.

§. 559.

Mutationem quamdam.

Mutata in istis fuit subinde ex integro rerum facies: bona, locaque populosa, unde utraque illa Insurrectionis species sumebat adminicula, non eadem amplius seu jurisdictionis, sive territorii plenitudine possidebantur, conditionariorum hominum genus labescentibus annis continenter imminutum, serius per urbarium quodammodo penitus desiit; colonus omnis liberae migrationis effectus est; atque a fundis suis in stabilis militis, pro Patriae defensione excubantis, intertentionem jam ad aerarium regium annuae contributioni obnoxius evaserat.

§. 560.

Necessario subivit.

Posteaquam igitur onus quodpiam perpetuum Banderia servandi familiis, aut bonis determinate inhaerens, praeexstitisse nequidem verosimile sit; et si foret etiam,

a) 1526. 27. — 1537. 3. et 10. — 1647. 25.

per continuum institutum regulatarum legionum, quae sive libera conductione, quandoque — necessitate id ferente — statutione decreta, ex illa etiam hominum classe legebantur, prout deinceps etiam maxima sui parte summentur, unde antea copiae banderiales, et portales consistebant; cum denique nervus praeterea huc deserviens in militarem contributionem potissima sui parte destinatus convertatur; abinde nobilitatem hac obligationis specie non amplius omni plenitudine gravari potuisse, quivis aequus rerum arbiter facile perspiciet.

§. 561.

Explicantur tenores.

Atque hinc repetendum venit, quod memoratus articulus [a]), qui hic palmaris est, Insurrectionem — nulla de portali facta mentione — ad personalem deinceps, et educenda respective Banderia defigat. Qua posteriori enunciatione reflexum imprimis fuit ad eos omnes, qui in usu similis militiae relicti fuerant, uti sunt Praediales Ecclesiarum, et Banderia adnexorum Regnorum *); tum ad decimarum regalium proventum Clero obvenientem; ad eam denique privilegiatam, ac multiplicem incolarum ignobilium classem, qui licet ad personaliter insurgendum obstricti haud sint, secundum tamen antiquissima, eaque obligantia Majorum instituta, plerumque ipsis privilegiis irradicata, et ob propria sibi pecularia beneficia concurrere ad onera Insurrectionis, communisque Patriae defensionem ad eam diem tenebantur, liberae nimirum, regiaeque Civitates, nec non Districtus exemti, atque oppida complura. Demum eadem hac enunciatione illud quoque subintelligitur, quod tam ipsa Nobilitas, quam omnis haec militia Regni reliqua, in unum conflata, sub Vexillis, sive Banderiis respectivorum Comitatuum in campum educenda venerit.

*) Quae modo in illis partibus supermanserunt, originem repetunt vel maxime a continuis Barbarorum incursionibus, quas ibidem Nobilitas saepenumero experiebatur; utque adversus easdem aliquantum tutior ageret, colonos partim a reliquis praestationibus relevando, partim colonias, e conterminis Regionibus evocatas, atque omni labore rurali exemtas

a) Cit. 1715. 8.

castris, curiisque custodiendis adplicuerunt. Litterae equidem, quibus elibertationem obtinebant, omnes stringunt ad officium vigilias agendi, utque dominum, ad bellum proficiscentem, armati comitentur; additur praeterea plerumque litterarum deportatio, aliaque levidensia servitia. Itaque haec quoque hominum classis exercituantium agmen non contemnendo numero augebat, quantus vero esse debeat, Regni congregatio pro ratione adjunctorum defixit.

§. 562.

Articuli 8. 1715.

Eundem, quem dedimus, legis explicatum, amplum quidem interdum disceptationi campum adperuit, illum tamen usus post eandem conditam perpetuus confirmat. Quotquot enim ab eo tempore in praesentiarum usque Regni Insurrectiones locum habuere, relate ad Nobiles, et quos hoc nomine leges comprehendunt, personalis tantum, quoad privilegiatas popularium classes proportionata insurgentium militum statutio, Praedialium item ad Ecclesias actu spectantium, et Banderiorum Croatiae juxta morem veterem exercituatio pro legali obligatione recognita sunt; tametsi ultra hanc nostra etiam, patrumque aetate non defuerint pulcherrimarum oblationum, sacrificiorumque exempla, Regis, et Patriae incolumitati dicata, quae pro periculi magnitudine, universae Monarchiae imminente, ea tamen semper cum cautela data fuere, ne exinde obligationem secum trahens pro futuro consequentia necti valeat [a]).

§. 563.

De Taxis Cleri pro fortalitiis.

Jam sub Carolo I., et Mathia Corvino Taxae quaedam a Statu ecclesiastico titulo decimarum, ad Patriam defendendam exactae, iterumque abolitae fuerunt [b]). Evenit postea, hoste viscera Regni invadente, ut vetera illa Praelatorum Banderia penitus interciderint, solaque memoria superessent. At ubi

---

[a]) 1741. 63. — 1796. 2. — 1805. 1. et 2. — 1808. 2. et 5.
[b]) 1349. 19. — 1471. 24.

Leopoldus Bona Ecclesiarum, quae victricibus armis vindicaverat, iisdem una cum decimis restituisset, Regni Primas Kolonichius universi Cleri nomine decimas decimarum assertori obtulit *), indeque subsidium illud decem procentuale, uti communiter loqui solemus, in fortalitia convertendum enatum esse videtur. Quod aliquamdiu temporaneum, et ad quinquennium solummodo desideratum, ab Anno 1773. continuum evasit.

*) Acceptavit hanc oblationem Caesar medio Rescripti 9. Aprilis 1701. sequenti tenore redditi: „Tam in aliqualem grati-„tudinis suae (Cleri) contestationem, et sic dicti Juris armo-„rum immensis hujus belli diuturni sumtibus ac copiosissima „sangvinis profusione aquisiti recognitionem, quam in vicem „praehabiti oneris Banderiorum militarium, antehac ingentibus „Cleri hungarici expensis ad Insurrectionem contra communem „Christianitatis hostem usitatorum, nunc vero penitus sublatorum „oblatum quasi lytrum, decimas nempe decimarum cujuscunque „frument tritici, silignis, hordei, et avenae, et quidem ab om-„nibus, et singulis in toto Regno existentibus Cleri membris, eo „quod non minus omnes, et singuli securitate, tranquillitateque „Regni publica, gloriosis armis nostris stabilita, gaudeant, „quamdiu necessitas fortalitia, et milites intertenendi ex-„poscet (salva tamen abinde prius separanda consveta sede-„cima, pro Parochorum intertentione deputata) annuatim „praestandarum, acceptavimus adeo, ut ab hac universali „granorum decimalium decimae partis subsidiaria praesta-„tione nullus omnino sit eximendus.“ etc.

§. 564.

De Conventione Kolonichiana.

Eundem in scopum, sub eodemque Imperatore Anno 1702. Conventio Primatis, cui ab auctore Kolonichianae nomen, cum Camera Regia inita, et postmodum provisorie legem ingressa [a]), Fisco regio ratam tertiam substantiae addixit decedentium Praelatorum, qui bona sua e manibus Camerae Regiae recipiunt, nisi fors obtenta praevie testandi facultate, ultimis voluntatis tabulis de eadem disposuissent.

---

a) 1715. 16.

Caput XIV.

De fontibus Redituum publicorum, in specie de Bonis regiis.

§. 565.

Fontes Redituum publicorum.

Tot, et tanta securitatis, felicitatisque communis conservandae, ac promovendae remedia, hactenus percensita, sine notabilibus omnino erogationibus procurari in promptu haberi, atque adhiberi de tempore nullatenus possunt; oportet igitur summum Imperium necessariis ad illas ferendas proventibus esse instructum, qui potissimum triplici e fonte hauriuntur: I. E latifundiis, praedia publica alibi Juris doctores aliquando dixere. II. E reditibus cameralibus, nostra etiam loquendi norma regalia majora, vel coronalia compellatis. III. E tributo in publicum aerarium dependi solito. Tres istos redituum fontes, quamquam frequenter succisos, actu tamen omnes exstare in aprico est.

§. 566.

De regiis Proventibus priscae aetatis.

Non defuerunt Regibus Hungariae ad onera reipublicae, et Principis dignitatem, regiamque familiam cum decore sustentandam proventus opido amplissimi, partim publici, quorsum reditus pertinebant e bonis castrorum, eorum scilicet, quae regiis juribus servata exstiterant *), partim e bonis regnanti familiae propriis. Et quamquam jam sub S. Stephano aperte videatur stabilitum esse, ne bona coronae abalienari possent **); lapsu temporis tamen bona haec, reditusque reliqui, Principum liberalitate, per pias scilicet fundationes Ecclesiis, regiasque donationes benemeritis factas; aliquorum etiam prodigalitate, et non raro per infideles administros, aut diversis aliis modis admodum decreverunt. Ad hoc deinceps antevertendum, promiserat Albertus perpetuas venditiones, et impignorationes jurium regalium, et coronae locum amplius non habi-

turas [a]); cumque hujus sanctionis in obversum post non adeo longam intercapedinem Regnicolae aerarium regium ad summam egestatem reductum animadverterent, rei indignitate commoti, anno seculi decimi sexti quarto decimo [b]) constituerunt; ut universi proventus regii, qui pignoris jure a privatis possidebantur, confestim redeant, neque in posterum — qualicunque necessitate adurgente — sine consensu, ac deliberatione regii Consilii alienari valeant.

*) Colligitur istud — ut taceam reliqua, quae se mihi in rem frequentissima offerunt — vel ex illo Andreae II. Decreto altero [c]) in hoc opere persaepe provocato, in quo praeter tributa duae partes castrorum ad Regis voluntatem, cui volet, distribuendae statuuntur. Neque immorabor prolixo huic themati denuo illustrando; egerunt de Juribus, proventibusque castrorum regiorum post Anonymum, Késam, Thuroczium: Kollár, Pray, Palma, Kovachich, Bartal, qui vetustissimos proventuum fontes non modo speciatim recensere, sed erudite etiam illustrare nulli praetermiserunt, complures denique in operibus sparsim a nobis memoratis.

**) „Volumus quidem — verba sunt in Libro Decretorum ejus„dem II. capite 6. contenta — ut sicut caeteris facultatem „dedimus dominandi suarum rerum, ita etiam res, milites, „servi, et quidquid ad nostram regalem dignitatem „pertinet, permanere debet immobile; et a nemine quid „inde rapiatur, aut subtrahatur; nec quisquam in his „praedictis sibi favorem acquirere audeat."

§. 567.

Bona cameralia.

Bona alibi Domania (vulgo Domänen) in Patria nostra cameralia in coronalia, vel fiscalia tribuunt; nam patrimonialia, quibus Reges nulla fere aetate destituebantur, neque actu carent, totius Regiae Familiae propria, in censum cameralium non veniunt, proventusque suos in privatum Principis cophinum, non vero in camerales loculos reddunt, quare ad cathegoriam proventuum publicorum minus possunt referri.

---

a) 1439. 16.

b) 1514. 1. 2 et 3. conf. 1608. 22. a. c. et 1791. 7.

c) P. II. tt. 39.

§. 568.

Coronalia.

Haec ejus sunt indolis, ut fixe ad condignam domus regiae sustentationem designata reputentur; qua de causa sine Statuum consensu seu in toto, seu in parte alienari nequeunt; alienata vero, quandocunque talia aliquando fuisse comperiretur, coronae iterum vindicantur; quemadmodum istud e combinatione legum, et iteratis exemplis fit quam clarissimum [a]). Dominiis coronalibus admodum conspicuis *) leges praeter Districtum Jazygum, et Cumanorum [b]), liberas regiasque, ac montanas Civitates adnumerant [c]), quae licet diversam cathegoriam — ut vidimus — a caeteris bonis coronalibus subeant, in specie tamen peculium regium, Rex vero earundem dominus terrestris audit [d]), inque hujus praecise juris dominalis recognitionem censui regio, quotannis pendendo, subjecti erant.

*) Sequentia nempe: Rivulus Dominarum, Vetus Buda, Visegrád, Huszt, Diósgyőr, Districtus Tibiscanus, in locum Dominii Munkács eo relatus [e]), olim et Vetusoliense inter bona coronalia erat [f]), subinde ex eorundem censu deletum [g]).

§. 569.

Vel fiscalia sunt.

Spectant fiscalia bona ad proventus publicos pariter ac coronalia, at non ejusdem sunt indolis; istius enim generis bona, quae antea in dominio erant privatarum familiarum, ac sive cum illarum defectu, seu ob atrocitatem criminis in Fiscum regium redigantur, Regem aut retinere, aut in praemium meritorum conferre posse, jam me dixisse recordor.

---

a) Conf. ad se inv. 1439. 16. — 1514. 2. et 3. — 1608. 22. a. c. 1715. 34. — 1791. 7.

b) 1514. 3.

c) Eodem art.

d) 1604. 22. §. 6. et P. III. tt. 20.

e) Cit. 1791. 7.

f) 1608. 22. a. c.

g) 1659. 121.

§. 570.

Accedunt fructus vacantium beneficiorum.

In temporaneorum proventuum publicorum serie isthuc haud inapposite collocantur intercalares fructus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum, a regia collatione dependentium (482) et pars e relicta Praelatorum substantia, quae Fisco Regio obvenit. Neque silentio nobis praetereunda hoc loco bona Institutis publicis sacrata, vulgo politico fundationalia, quae etsi alterius sint indolis, et utut distinctis, publicis attamen finibus in specifico destinata, redituum publicorum naturam induunt, quorum inspectio, et ad mentem Fundatorum conversio Regiae Majestati pro supremo Patronatus jure reservata manet.

Caput XV.

De Jure regali tricesimali.

§. 571.

Quae species regalium in Hungaria?

Tricesimae, Salinae, Metallifodinae cum mineris, tum cusio monetae, et — de quo in pertransitu alias loquebar — proventus Postarum, totidem sunt jura Camerae regalia, publicos reditus in Hungaria augentia.

§. 572.

Introductio Tricesimae.

Tricesimarum auctorem in Patria nostra Sigismundum Regem passim faciunt ob id maxime, quod Is se quodammodo primum dicat, qui de rebus omnibus, in et extra Regnum devehendis, tricesimam valoris partem dependi jusserit [a]). Unde praestationi, quae speciem teloniorum regalium, alibi vigentium, repraesentat, nomen apud nos Tricesimae adhaeserit. De auctore litem non ingredior, at rem ipsam vectigalis regii nomine multo esse in Regno nostro antiquiorem, indubium est [b]); quin et vox ipsa

---

a) 1405. 17. Decreto ejusd. I. de hoc anno.

b) S. Ladisl. D. L. II. C. 17. et 18. Colom. D. L. I. C. 33. et 34.

Tricesimae non tantum in Regum Privilegiis Seculi decimi tertii, et quarti saepiuscule commemoratur [a]), sed Decreto quoque Caroli I. [b]); et Mathias Corvinus etiam ad Tricesimam tempore Ludovici Regis exactam adpellat [c]). Videtur itaque Sigismundus potius hanc normam tantisper obsoletam, in usum ut iterum veniat, noviter decrevisse, idque propterea, ne quid amplius hoc titulo a Mercatoribus, ac aliis, ultra citroque commeantibus, exigi valeat.

§. 573.

De obligatione solvendi Tricesimam.

A solvenda Tricesima in regula, et ante annum 1848. nemo immunis erat, non defuerunt interim complures ab hac regula exceptiones, legibus, privilegio, diuturnaque consvetudine, aut foedere, cum alia natione inito, fundatae. His duobus posterioribus fundamentis Legati exteri, eorumque Comites ab hac solutionis specie vix non ubique eximuntur [d]). Tricesimam porro non solvebant Nobiles nostrates, et ecclesiastici tam seculares, quam regulares, de rebus in ipsorum possessionibus natis, aut in usum, necessitatemque propriam aliunde comparatis [e]). Secus est, si eas mercati fuerint, vel quaestus gratia aliorsum deferant; tum enim ad solvendam Tricesimam obstringuntur [f]), aut plane si mercium species prohibita foret, quae ne vectigalis quidem depensione redimi potest, sed integra in Fiscum redigitur [g]). Esse autem res, in proprium solum usum comparatas, coram Tricesimatore, latine Publicano, qui primus obvius est, suo modo doceri debet. Hoc idem etiam de aliis, qui immunitate hujusmodi legum beneficio, gaudent, intelligendum venit [h]); quales relate ad allodiales

---

a) Velut in Priv. Belae Reg. de anno 1244. Civit. Budensi — et Ludov. A. 1366. Poson. Civit. dat.

b) 1342. §. 45.

c) In Mandat. ad Civit. Eperjes. de anno 1467. quod edid. Vágner in Dipl. Comit. Sáross. p. 236.

d) Conf. Vattel: Völkerrecht, III. Th. §. 105. p. 532.

e) 1553. 18. Novis. — 1557. 16. — 1559. 44. — 1630. 17. — 1635. 70. — 1659. 61. et 62. — 1662. 40. — 1723. 14. — 1807. 19.

f) 1559. 44. — 1574. 37. — 1638. 49. et aliae.

g) 1405. 15. — 1599. 34. etc.

h) 1659. 61.

fructus sunt contermini nobis Cives Neostadienses, Prukenses, Haimburgenses [a]); dein victualia ad castra deferentes [b]); tum Salinarii vectores ab octo bobus jugalibus, extra Regnum venditis [c]); universi demum absque discrimine relate ad res infra unius floreni valorem [d]).

§. 574.

Consectaria hujus obligationis.

Vectigal rite constitutum hanc vim habet, ut quiqui ad ejus depensionem obligantur, merces apud Tricesimatorem etiam non admoniti profiteri, et debitam quantitatem solvere teneantur, alioquin merces ob defraudationem ipso jure amittuntur [e]), si defraudatio sit manifesta, et defraudator in facto, quod ajunt, deprehensus. Nam si dubia est, altius forum decidet [f]); ubi vero defraudationis perpetratae casus, vel non vana indicia tardius prodierint, Fiscus excedentem coram ordinario suo foro conveniat, est necesse [g]). Nec tamen confiscatio mercium ob non solutum vectigal locum habere potest citra ullam justam aerarii defraudandi suspicionem.

§. 575.

Quid praeterea circa rem tricesimalem.

Nequaquam in istis pure, quae provocatis in rem legibus recensuimus, cura Comitiorum circa rem tricesimalem substiterat; sollicitabantur illa frequenter de fideli Officialium, proventum hunc regalem procurantium, et sedulo muneris implemento [h]); quem in finem jam investigationes adversus excessus, qui irrepsisse ferebantur; jam diversae in excedentes pro ratione transgressionis mulctae

a) 1649. 13.

b) 1545. 28. — 1595. 46. — 1741. 63. §. 28. — 1805. 1. §. 29.

c) 1622. 68. — 1655. 109.

d) 1492. 27. — 1498. 29. — 1553. 18.

e) 1609. 17. — 1613. 19. — 1625. 30.

f) 1715. 15.

g) Ex mente Art. 29. 1498. §. 6.

h) 1405. 15. — 1559. 44. — 1596. 50. — 1635. 1. — §. 5. 1647. 29. et aliis legib.

numerosis legibus decernuntur [a]). Praecautum praeterea, proventus hos exteris, aut Judaeis elocare, vel concredere [b]). Numerus ipse, ac loca Tricesimarum identidem in Regni Conventibus defixa, constitutumque, ne plura hujus generis praesertim in meditullio Regni deinceps erigantur; quaeve ultra per legem hac occasione designata superessent, aboleantur [c]).

§. 576.

Vectigalisque rectificationem.

Eadem providentia effectum est, ut ad coërcendos Tricesimatorum excessus, necessaria regii vectigalis rectificatio individuis, ex ipsis Comitiis delegatis, identidem commissa fuerit [d]), quos inde Commissarios Decreta nominant. Quod item sub Carolo VI. ad rectam, et aequam ejusdem Vectigalis elaborationem primo Tabula Regia, cum deputandis a Camera regia eum in finem Commissariis, delegata [e]): tardius vero, in locum prioris, provincia haec Consilio Locumtenentiali regio, intermedio tempore instituto, delata sit cum Mandato, planum, ubi elaboratum foret, Suae Majestati pro ratificatione substernendi [f]).

§. 577.

Et regulationem in Comitiis constitutum?

Cernimus denique regulationem principiorum vectigalis tricesimalis inter objecta reliqua per Regem Leopoldum II. ad systematicam elaborationem relegata contineri, de quibus scilicet indiscriminatim ordinatur [g]): „Ut cuncta „ea, seu Propositionum regiarum, seu vero Postulatorum, „et Gravaminum Regni objecta, quae hisce Comitiis peni-

a) 1498. 35. — 1567. 37. — 1609. 17. p. c. — 1630. 39. — 1635. 70. — 1681. 44. — 1723. 9. §. 10. etc.

b) 1439. 6. — 1630. 15. — 1647. 91. §. 8.

c) 1498. 29. — 1542. 45. Novis. — 1630. 15. — 1581. 44. §. 4. — 1715. 15. et 91. — 1723. 13. aliaeque quam plur.

d) 1655. 100. — 1659. 61.

e) 1715. 91.

f) 1729. 2.

g) 1791. 67.

„tus determinari nequiverunt, in peculiaribus ea, qua per „Status, et Ordines propositae sunt, forma per Suam quo„que Majestatem Sacratissimam stabilitis articulariter ordi„nandis Deputationibus mox post Diaetam in deliberationem „assumantur, atque ita elaborentur, ut in futuris genera„libus Regni Comitiis anno proximo 1792. in L. R. Civitate „Budensi certo indicendis, ac publicandis referri, atque „in leges publicas ea, qua diaetaliter conventum fuerit, „ratione transcribi valeant.“ Deputationem similem tardius iterum locum habuisse nemo nescit.

§. 578.

Num igitur Tricesimae pro objecto comitiali habendae?

Diaetales sanctiones, quae rem tricesimalem in specifico adhuc feriunt, singillatim enumerare, labor foret minime necessarius. Satis est, si dixero, valere hic, atque praecipua quadam ratione, quod de objectis, nominatim quidem per leges ad Diaetam haud relegatis, persaepe tamen ibidem compositis, definitisque observare in superioribus licuit (400). Indeque Tricesimas ad indubitata sane Terrae Principis jura, reditusque adeo pertinere, ut propria eidem sit, et libera in illarum administratione potestas; quoties interim se hac in parte Regnicolae gravatos senserant, vel opportuniora praestituenda existimabant, toties tricesimale etiam negotium in publico Regni conventu pertractatum, et de quibus Principem inter, ac Status conventum est, desuper articulos fuisse conditos, leges a temporibus Sigismundi ad nostram aetatem lucide demonstrant.

Caput XVI.

De jure regali Salinarum.

§. 579.

Salinae regii sunt Juris.

Salinae in Hungaria una omnium voce inter publicos, et qui abalienari non possint, reditus, atque ea plane ratione numerantur, ut et terrae privatorum, in quibus Sa-

les inveniuntur, erga condignam redemptionem Fisco cedant [a]), atque in aliorum fundis promptuaria — vulgo depositoria — Salis erigere valeat [b]). Nemini autem alteri salem effodere, vel coquere, nemini etiam extraneum inferre liceat, demtis illarum regionum accolis, quibus id per exceptionem admissum legimus *). Hae — opinor — causae sunt, quod in Decretis Sales plerumque regii, regalesque vocentur [c]).

*) Gratiae quippe, aequitatique regiae in acceptis referendum est, quod Partibus adnexis Salis maritimi, et Comitatibus Arva Thurocz, et Liptó polonici usus per leges [d]) fuerit admissus.

§. 580.

Ortus hujus juris pervetustus.

Quo praecise tempore Salinae regii proventus esse coeperint, pro comperto quidem dicere nequeo; id tamen certum fit, Regalis hujus passim usitati obscura quaedam vestigia in Diplomatibus regiis occurrere, quae medium seculi duodecimi superant *); sub initium autem sequentis Andreas II. teste Bulla aurea [e]) jus istud reipsa exercuit. Atque ex eo tempore adeo solitarium Regi amplius corroboratum fuit, ut quamvis sub Uladislao cultura minerarum privatis certa sub conditione admitteretur, fodinae nihilominus Salis solius regiae Majestatis dominio, proventuique reservatae manserint [f]) **).

*) In quam rem unum commemoro Belae II. de anno 1138. Praepositurae Demesiensis fundationem confirmantis, in quo de Salis allatoribus, et mansionibus in ultra silvanis partibus, qui sal dare debent, mentio repetitim occurrit [g]).

a) 1486. 49. — 1492. 30. — 1514. 1. et 3.

b) 1548. 29.

c) In exemplo 1405. 20.

d) Cit. 1548. 29. — 1635. 43. — 1715. 13. et 122.

e) Art. 24. et 25.

f) 1492. 30.

g) Integr. quantum sciam primus exhibuit Fejér Cod. Dipl. T. II. V. III. p. 94. et seq.

**) Reges quosdam proventum salis, et liberum intra fines Regni commercium nonnunquam privatis privilegio mediante concessisse, rite observavit, fideque Diplomatum confirmavit Barthal [a]) sed inconsulte profusa haec liberalitas, quemadmodum superius dicta ostendunt, dudum desierat, nisi quod pars hujus regalis pro stipendio Regni Baronum diu deserviret [b]).

§. 581.

Elevatio pretii Salis non erat objectum diaetale.

Non minus usi fuerunt summi Principes hoc proventu ea libertate, ut ipsi pretium Salis suo judicio defixerint; cujus in contrarium retroactis seculis nullum exstat exemplum. Testatur quidem Caroli III. Decretum [c]), et alterum Mariae Theresiae [d]), fuisse de salis pretio in Comitiis remissum; sed istud non praecise liberali Principum voluntate, verum propterea, quod ad defigendum pretium consensu Regni opus fuisset, sic evenisse, leges illae nuspiam ne per remotissimam conjecturam testantur. Ad iteratam enimvero Ordinum petitionem relaxasse divum Carolum triginta cruciferos in quolibet centenario sub Comitiis Anni 1723. mox proxima palam, et grata mente recognoscunt. Nec dissimiles Mariae Theresiae ob parem benignitatem gratiae habentur. Quae qui pensatius ruminare volet, praesertim si eidem ignota non est Reginae resolutio, hoc in merito reddita *), non ille sibi unquam rite persvadebit, Principem illo tempore ad eatenus cum Regnicolis tractandum fuisse obstrictum.

*) „De pretio Salis — ait resolutio — tamquam rei suae „regiae Majestatis propriae non ut in Diaeta Anni 1723. cum „Dominis Regni Statibus conclusum fuisset, quin potius b. „Resolutio regia sub die 10. Julii 1723. diaetaliter attunc „congregatis Statibus in terminis insinuaret, q u o d s a l i s „n e g o t i u m, v e l u t r e g a l e p r o p r i u m, a d d i a e t a l e s „t r a c t a t u s n o n p e r t i n e a t [e]) etc.

---

a) Commentariorum T. I. p. 372.

b) Conf. Pray in not. praev. ad Hist. Reg. Hung.

c) 1729. 5.

d) 1741. 34.

e) Vid. Act. Diaet. 1741. apud me p. 149.

§. 582.

Usque Leopoldi II. tempora.

Atque haec usque ad tempora Leopoldi II.; tum vero Status in Comitiis coadunati decerni postulabant impensius, ut salis pretium nonnisi ex eorum assensu in generali Regni Conventu augeri queat; argumento caetera inter potiori utentes: quod cum Sale vix ullus carere: aliunde vero, quam ab aerario hoc comparari non possit, regium istum proventum, nisi obex per legem ponatur, in tectam arbitrariam Contributionem facile abiturum; quam decernere sic pure a Regis dependeret arbitrio [a]). Coalitum tandem est post iteratos longiores tractatus in sequenti articulo [b]): „Quod Sua Majestas Sacratissima ut gratiam, et clemen„tiam, qua gentem hungaram complectitur, uberius testa„tam reddat, clementer annuere dignata sit, citra tamen „inferendum per id Altissimo Juri suo regali praejudicium, „ut de elevatione pretii salis cum fidelibus Statibus et Or„dinibus diaetaliter congregandis, tractetur, nec alias, „nisi extreme urgentes circumstantiae aliud „exigerent, pretium Salis extra Comitia Regni augeatur."

§. 583.

Rationes in contrarium.

Elevationem pretii hujus ante etiam annum seculi prioris nonagesimum semper ad objecta diaetalia spectasse, in compluribus Regni Conventibus sustinebatur, motivis tam ex indole proventus hujus, quam ab exemplis praeteritorum seculorum petitis. Naturam quippe bonorum a corona inabalienabilium, etsi illa solius Regis cedant usui, secum ferre dicunt, ut de modo cum iisdem dispensandi in Comitiis semper tractetur. Hinc Wladislai Decreto [c]) constitui: „Ut Rex antiquis justis ordinariis, et consvetis pro„ventibus contentus sit" neque hos in alios, quam in fines Coronae hungaricae attinentes converti posse; legale de-

---

a) Vid. act. Comit. Anni 1796.

b) 1791. 20.

c) 1492. 1.

nique vestigium exstare, exactarum in Comitiis de similibus proventibus rationum [a]).

§. 584.

A natura coronalium proventuum.

Stent ista tantisper omnia, quasi plene probata, sequetur ne inde Regem fructuum, ex hoc regali, aliisque coronalibus bonis resultantium, pretium, tamquam rei suae defigere non potuisse? quia post fata Mathiae Corvini res novas, novaque semper tributa molientis, articulus deprehenditur conditus, ut iis abolitis, Rex dehinc ordinariis proventibus contentetur; aut forte sanctio, quae reditus qualescunque certo addicit fini, eo ipso libertatem pretia defigendi restrinxit? De exactis aliquando rationibus nil opus habeo respondere; lex ipsa, quam citant, ejusdemque causa, et adjuncta temporum *) argumentationem adversariorum abunde extenuant.

*) Ordinatur scilicet pervestigatio per quosdam deligendos ob eam praecise causam suscipienda, ut constet: quot nam de proventibus regiis Banderia regalia conflari, sustentarique valeant.

§. 585.

Vel ab exemplis petita.

Exempla legum, quae ostendere deberent, Reges praedecessores cum Statibus circa pretium Salis comitiales fovisse tractatus, vel illa provocantur, queis Salis externi invectionem, usumque nonnullis Regni partibus admissum indicavimus, vel quarum tenoribus gratiae aguntur [b]) pro leviori pretio, postulantibus Regnicolis, ea in mensura concesso, qualem suo pro arbitrio Principes et reservato circa hoc suum Regale jure, se concedere posse existimarunt, vel tales certe, ubi accedente Principis consensu, pars erogationis quaedam in publicos fines, necessitatesve destinata, per pretium Salis supportari decernitur [c]).

---

a) 1454. 2.

b) 1729. 5. — 1741. 34.

c) 1681. 15.

§. 586.

Parum probant.

Longior ne sim, quam instituti hujus ratio postulat, observare sufficit: nec illas duplicis ordinis concessiones, nec oblatum a Regnicolis in sublevamen publicarum erogationum, a Principibus vero acceptatum pretii augmentum adversae favere sententiae; praesertim si — uti oportet — et articulorum tenores, et Augustorum resolutiones, ac usus ipse retro actorum temporum continuus augendi citra comitialem influxum salis pretii debite ad se invicem exigantur. Et quid tandem obstat, quominus Reges de negotiis, liberae suae auctoritati subjectis, cum Statibus consultent, vel subsidia e reditibus suis augendis per Status proposita rati habeant, salva secus pro arbitrio suo in his disponendi potestate.

§. 587.

Quid eatenus modo obtineat?

Ergo Leopoldo II. regnante primum constitutum reperio, Salem extra Comitia non augere, salvo tamen jure regali, atque excepto casu extreme urgentium aerarii circumstantiarum. Quae posterior clausula consilia suggessit Regnicolis ab eo tempore ejusdem ipsius interpretationem nova Sanctione sollicitandi [a]), eo scilicet reducendam: ut rationes eaedem, ob quas Comitia servari non posse Articuli de Contributione agentes declarant [b]), hic pariter tantummodo locum obtineant. Ad similem tamen seu modificationem, sive explicationem ex parte Regiae Majestatis accessum non est; Quae stricte legis verbis insistendo, casum extremae necessitatis abinde etiam suo determinavit judicio.

§. 588.

Pars salis pretii operibus publicis sacrata.

Fundum ex aucto salis pretio, additis ad quemlibet centenarium cruciferis tribus, Maria Theresia pro expensis

---

a) Vid. act. Diaet. cumprim. Anni 1807. p. 381. et seq.
b) 1715. 8. — 1741. 22.

ad reprimendam pestem necessariis condiderat; postea Josephus II., publicorum operum promotor studiosissimus, horum praecise causa Anno 1787. ad quemlibet centenarium adhuc octo cruciferos adjecit, augmentum istud serius in legem abiit [a]), ac ut deinceps quoque praestitutum in finem convertatur, Regi per Consilium Regium Locumtenentiale congruae propositiones fieri jubentur. Alioquin cameralibus non minus, quam politico Dicasterio vigilem ad id curam exhibere incumbebat, ne quidpiam de regio hoc jure, proventuque detrahatur, aut condimenti tantopere necessarii comparatio quaqua versum per Regnum impedita, molesta, gravisque evadat; ad quod assequendum vectoribus competens stipendium pendendum, quin tamen incolae ad vehendum Salem executione mediante compellantur, lege pariter decretum fuit [b]).

Caput XVII.

De regali Metallifodinarum, et Minerarum Jure.

§. 589.

Proventus minerarum omni tempore ad Jus regale pertinuit.

Tacito teste [c]) jam antequam in has terras Hungari devenissent, Quadi fodinas ferri excoluerunt. Valde etiam vero fit simile, quod S. Stephanus Principum aliorum, populorumque — imprimis Francorum — exemplo, proventus Fodinarum, ac Minerarum sibi proprios fecerit. Sed haec utcunque se habuerint, id quidem certum est, vel e plerisque montanarum Civitatum, Oppidorumque Privilegiis, inde a Geysae II., Belae III. atque Andreae II. temporibus, per Reges aevi illius Jus in fundis privatis mineras colendi conferri consvevisse. Quae res pro se ipsa idoneum nobis praebet argumentum, metallifodinas in regalium genere olim quoque fuisse numeratas, quas alioquin leges

a) 1792. 14.
b) 1741. 34.
c) De morib. Germanor. C. XLIII.

compluros [a]), et ut veterem etiam Scriptorem in rem provocem, Otto Frisingensis [b]), manifeste declarant.

§. 590.

Varii aliquando Juris hujus limites.

Variant tamen Decreta Regum in Juris hujusce regalis tam objectis, quam vel maxime in ejusdem exercitio definiendo. Ludovicus quidem hoc nomine primus adeo sibi istud proprium asseruit, ut possessiones, in quibus minerae reperiuntur, si vellet, erga aequivalens vindicandas statuerit [c]). Remisit ab hoc rigore Sigismundus, liberam fodinarum culturam cuique in proprio fundo admittendo, reservata tamen dimidia fructus parte, jureque praeemtionis [d]). Mathias Corvinus Ludovici constitutionem iterum restituit [e]); a quo post ejus obitum, Successores denuo recesserunt per legem, limites juris hujusce utcunque definientem [f]). Huic etiam innititur ordinatio Maximiliani Caesaris, simulque Regis Hungariae *), quae ex legum ad illam provocantium auctoritate [g]), et observantia perpetua, in quantum serius variationem non subiit, hoc in merito pro norma hodiedum decidit.

*) Edidit eam Maximilianus lingva theutonica [h]) anno 1573. die 16. Februarii primo quidem ad septem duntaxat montanas Civitates, usus tamen postea eandem universalem reddidit. Accesserunt explanatoria Rescripta ipsius hujus Caesaris, et recentius Mariae Theresiae [i]), et tardiores quaedam immutationes.

§. 591.

Extenditur hodie quoque ad privatorum Metallifodinas.

Privatis itaque fodinas, ac mineras in fundis propriis

---

a) 1492. 30. aliaeque.
b) De gestis Friderici.
c) 1351. 13.
d) 1405. 13.
e) 1486. 49.
f) 1492. 30.
g) 1715. 56. — 1723. 108. 1741. 40.
h) Sub. titulo: Maximilianische Bergordnung.
i) Conf. Ant. Faber Princ. Jur. Metall. hung. p. 223. et seq.

repertas, quamquam illae quoque Regi obnoxiae sint, ea tamen ratione excolere integrum est [a]); ut certum canonem Urburae nomine dependere obstringantur, qui vel habita condigna ipsius minerae excolendae, nec non expensarum, fatigiorumque ratione defigitur: vel in decima proventuum parte subsistit, unde quandoque et decima audit.

§. 592.

Omnis generis.

Non minus regali huic Juri ex sensu legum nostrarum [b]) subsunt Metallifodinae cujusvis generis, adeoque etiam cupri, aut plumbi, et quae communiter pro semimetallis designantur, argenti vivi, antimonii, sulphuris, caeterarumque; Sales huc non referri alibi dixeram. — Nolim tamen, quod adversus apertum usum nonnulli — judicio meo — nimis liberaliter facere coeperant, fossilia quoque, et subterranea, in exemplo: schistum, lytantraces, cretas fossiles (Mergel) Fisco addicere, nisi eidem, velut de nitro, exindeque conficiendo pulvere pyrio certa observantia aperte faveat.

§. 593.

Specialia Regis Jura huc pertinentia.

Hactenus de fodinis privatorum, proventuque regali abinde promanante. Quantum ad universam rem mineralem jam attinet, in istam Reges Hungariae, jure sibi unice proprio, supremam inspectionem adhibent; ordinationes edunt metallicas; remque montanam mandatis, legibus positivis, et consvetudini, vim parem habenti, non adversis dirigunt. Harum in conformitate Officiis, Judiciisque montanis, ab eorundem collatione pendentibus, limites definiunt; Jus praeemtionis auri, et argenti exercent; cultores fodinarum Privilegiis exornant: quaequae sunt alia, ad rem montanam promovendam, tuendamque pertinentia, constituunt.

---

a) Cit. 1492. 30.

b) 1351. 13. — 1492. 30.

§. 594.

Corollarium.

Hinc est, quod Leopoldus II. legum montanisticarum reformationem duntaxat, nec non Judiciorum montanisticorum constitutionem, et coordinationem se communibus cum Dominis Statibus, et Ordinibus consiliis determinaturum pollicítus sit; oeconomica rei montanae regulatione, velut regali, privato suo arbitrio reservato; prout id articulus eo regnante in Decretum relatus, quousque huc facit, pene ad litteram transscriptus enunciat [a]. Sed jam finem facio: mihi enim hoc loco non erat propositum aliud, quam de regali metalli minerarum jure ex instituto dicere; municipalia montanarum Urbium, aut privatorum jura, et obligationes reliquae alterius sunt tractationis.

Caput XVIII.

De Jure Regis circa Rem monetariam.

§. 595.

Jus cudendi monetam est Regi proprium.

Quod in nexu quodam cum regali metallorum deprehendo, Jus cudendi, signandique monetam Regis solius est, fuitque in Hungaria omni retro aetate proprium; manifestant id leges numero plurimae, et perpetua Regni observantia. Jam certe Regum omnium primus, ejusque Successores hoc summi Imperii consectario utebantur, prout numi veteres Stephani, Petri, Samuelis, et qui hos ordine secuti sunt, reliquorum satis ostendunt [b]. Belam primum quoque non tantum liberum in Hungaria cursum sic dictis Bizantiis indulsisse traditum est memoriae, verum monetas majoris formae cudendas curasse, ordinationemque monetalem edidisse *), quam deinde a Coloniis Germanorum, teste Schlöczero, qui eatenus diploma produxit [c], Sigis-

---

a) 1791. 22. conf. art. ejusd. anni 67. nec non Ferdin. Resp. Comit. anno 1545. datum §. 14. 15. et 16. 1552. 36.

b) Vid. ap. Schönvisner in Not. rei num. hung. p. 89. et seq. item Tabell. ej. Oper. I. — Godefr. Schvartz de Samuele Rege Hung. p. 51.

c) Geschichte der Deutschen in Siebenbürgen.

mundus observari jussit. Qua demum cura, et potestate Carolus I. rem monetariam complexus sit, Decretum ejusdem loquitur [a]) **).

*) „Inter caetera peritiae suae argumenta — sic nobis de hoc „Rege Chronicon narrat Thuroczii [b]) — fecit fabricari numos „magnae monetae ex purissimo argento, et pretium „rerum venalium secundum certam quantitatem justo modera-„mine discretae rationis constituit. Non enim permittebat „mercatores, et numularios detestabilem avaritiae voraginem „a simplicibus, et rusticis superfluum lucrum congregare. „Haec est enim causa, quae maxime solet populos paupertatis, et inopiae periculis obvolvere; sed secundum statutum „pretium unusquisque vendebat, et emebat sine injuria, et „circumventione. Argenteos etiam denarios, ut supra „scriptum est, cudi fecit, quorum quadraginta Bizantius „census erat. Unde et nunc denarii numero quadraginta aureus „appellantur; non quod sint aurei, sed quod tot denarii „Bizantium valere illo tempore videbantur. Omnibus enim „diebus vitae suae in tota Hungaria non est mutata „moneta.“ etc.

**) Illustravit Decretum hocce animadversionibus eruditione plenis gratae recordationis Schönvisnerus in opere paulo ante citato [c]), quae lectu sunt perutiles, ac jucundissimae; Regis vero hujus protensam rei monetariae sollicitudinem uberiori luce affundunt.

§. 596.

Interdum aliis quoque communicatum.

Liberum interim sibi esse credebant Reges, hujus facultatis alios quoque, imperio suo obnoxios, participes interdum reddere intra limites ultro designatos. Talem Andreas I. Belae fratri suo dederat [d]), secundus Ordinis Theutonici Equitibus [e]); Mathias I. Civitati Cassoviensi durante beneplacito suo exercendum [f]). Non de eo, num id fecisse expediat, quod alterius est disciplinae, sed de

---

a) De Anno 1342.

b) P. II. C. XLV. Conf. Katona Hist. Crit. T. II. P. II. p. 168.

c) Pag. 220. usq. 313.

d) Hujus Numos, qua Ducis, vid ap. Schönvisner Op. cit.

e) Schlöczer loc cit. p. 319.

f) Kaprinay Hist. Dipl. P. II. L. II. N. 17. p. 155.

potestate loquor, quam Reges nostros aliis quandoque attribuisse adversus allata testimonia nequeo abnegare.

§. 597.

Ac legibus Regni subinde temperatum.

Utcunque ex his non invitus largior, Rei monetariae omnem curam, et moderationem primis Monarchiae seculis penes solos Reges stetisse, quo quidem tempore in hac publicae administrationis parte illi consilio tantummodo Senatus Regii usi fuerint; quin affirmo etiam ipsos adeo Regni Ordines non una vice sensisse, rem monetariam nemini tutius, quam Regi committi [a]). Nihilominus tractatus, sanctionesque ex Ordinum consensu eatenus intervenisse, leges oppido frequentes docent.

§. 598.

Ad damna a Republica avertenda.

Exstant enimvero sponsiones dissertissimae in Decretis Alberti [b]) et Uladislai II. [c]) de cursu, et valore monetarum non sine consilio Praelatorum, Baronum, et Nobilium immutando. Quantae praeterea leges in codice se nobis non objiciunt, de moneta solummodo in bona, ac justi ponderis liga feriunda, et in sua bonitate conservanda [d]); de moneta peregrina, his dotibus destituta, non recipienda, nisi ad justum valorem reduceretur [e]); de auro, et argento e Regno non exportando [f]); de Ismaëlitis, et Judaeis rei monetariae haud praeficiendis [g]). Quibus cunctis, aliisque ejusdem generis quid aliud intenditur, quam ut Reges Jure sibi competente utantur libere quidem: verum ita utantur, ne quid inde damni in Rempublicam redundet.

---

a) Eo tendit 1569. 20.

b) Cit. alias 1439. 10.

c) In dipl. confirm. §. 17. de anno 1490.

d) 1559. 46. etc.

e) 1548. 51.

f) 1405. 15. — 1492. 32. — 1659. 46. aliaeq. quam plurimae.

g) 1222. 24.

§. 599.

De veteri Pisetarii Officio.

Huc supremi Pisetarii Officium respexit, cujus simul, ac redituum inde obvenientium jam Caroli I. decretum meminit [a]). Debebat scilicet Archiepiscopus Strigoniensis, ad quem munus istud pertinebat, cum Magistro Tavernicorum Regalium justae ligae, ac conventioni in aere cudendo advigilare, perque suos homines, quos Decreta Piscetarios dixerunt, bonitatem neo cusorum denariorum quavis hebdomada explorandam curare. Nec leges desunt, quae Archiepiscopum ad munus hoc suum, medio Pisetarii explendum adurgent [b]), jubentque attendere, ne aurum, et argentum crudum e Regno efferatur, sub poena confiscationis praevaricatoribus dictanda [c]). Proventum hinc Primati assignatum, ex quo Pázmán annuos quinque mille florenos Nobilium educationi addixit, actu Pisetum vocatur [d]).

§. 600.

Regis Officia circa Rem monetariam.

Quemadmodum autem administrationi publicae meminisse incumbit, rem monetariam non ad quaestum praecipue, atque ad emolumenta aerarii, sed ad commercii una, atque vitae civilis commoda inventam primum, atque introductam fuisse; ita illum summa, ac vigil cura manet, procul quodvis falsi genus a suis arcendi, cujus quidem gravissimi delicti rei, unaque in Majestatem, rempublicam, et concives suos magnopere injurii evadunt non ii tantum, qui sine speciali Principis licentia monetam, quamvis probi ponderis, conficiunt, aut operam fabricantibus praestant; verum etiam, qui pecuniam publicam radunt, circumcidunt, adulterant; adulteratam scienter expendunt; vel aliunde in Regnum important. Quae res apud nos quoque causa fuit, quod jam prima Regum periodo in falsae

a) 1342. §. 39. et seq.

b) 1522. 19. — 1553. 23. — 1557. 15. etc.

c) Art. mod. cit. et 1563. 73. aliique.

d) In hanc mater. utilit. iterum Conf. Schönvisneri Op. cit. p. 288. et seq. — Item Schwartner Statistik, P. II. §. 47. in nota subnexa c.

monetae fabricatione deprehensi bonorum omnium privatione mulctarentur *). Serius autem legibus copiosissimis fraudatores hujusmodi poena infamiae [a]), atque perpetua infidelitatis nota plecti decernantur [b]).

*) Diplomaticum hoc de rigore vestigium Prayus alios inter vulgavit [c]): En verba e litteris Belae III. huc facientia „Cum „Laurentius Villicus de Besenen, quae ad Ecclesiam S. Gre„gorii pertinet, nec non et filius ipsius Demetrius nomine, „ac Joannes gener Gregorii de eadem Villa Besenen per „Camerarios nostros Sirmienses, Leopoldum videlicet, et „socios ejusdem in manifesto crimine fabricationis falsae „monetae deprehensi coram Ven. Patre Benedicto Archiepis„copo Colocensi Aulae nostrae Cancellario — — qui per „totam Syrmiam non solum honore Comitatus, sed etiam „vice et auctoritate nostra ex delegatione nostra fungebatur „exigente Justitia in ipso deprehensi fuissent convicti, ita, „quod et omnia Instrumenta eorum per quae ipsam falsariam „exercebant, nobis forent praesentata, et eorum bona secun„dum consvetudinem Regni addictum Ven. Patrem utpote „nomine Majestatis Judicem, et in partem dictorum Camera„riorum nostrorum essent devoluta.“ etc.

Caput XIX.

De Contributione.

§. 601.

Tributi genus.

Tributi pensitationem in aere, vel natura *) pro diverso Monarchiae nostrae tempore diversam omnino, usitatam attamen semper fuisse, seu legum Codicem, sive annales, aut publica Documenta inspiciamus, protinus adparet. Huc liberi denarii se referunt, statim sub Regni initiis exacti, quam in rem testes agunt Diplomata annorum 1015., et 1024. istud Abbatiae de Zala, illud Pécs váradiensi datum [d]): nam ambo tributi hujusce tamquam Regii proventus mentionem faciunt **). Huc Vicesimae

a) 1464. 26.
b) P. I. tt. 14. — 1462. 2. — 1495. 4. §. 4. — 1523. 40.
c) Hier. Hung. P. II. p. 62. Conf. Schönvisner Op. cit. p. 178.
d) Utrumque leg. in Katona Hist. Crit. T. I. — p. 194. et seq. item 313 et seq.

decimarum in Hungaria, et quarum in specie Albertus meminit [a]), Quinquagesimae in Transilvania, nec non Marturinae, sub initium in pellibus martis desumtae, ac subinde in tributum pecuniale reductae, quas Colomannus nominatim pro Sclavonia ordinaverat, et Andreas II. juxta consvetudinem, ab hoc Praedecessore suo constitutam, dependi voluit [b]); huc denique Telonia, quae pro usu viae a transeuntibus colligebantur ***); atque aliae diversi ordinis praestationes, in reipublicae usus rogatae, imperataeque pertinent [c]).

*) Indicat nobis alios inter Pray ex Litteris Ladislai Chuni de A° 1276. collectam victualium, et Marturinarum in Sclavonia, quae vulgo Zulusma, vel Solyosma dicitur, inque ipsis, ad quas mox provocavimus Abbatiae Zaladiensis fundationalibus Collectores tam victualium, quam denariorum memorari animadvertit. Horum eorundem mentio in confirmatoriis quoque S. Ladislai Litteris totidem fere verbis occurit [d]). Tributa porro in vino, et pecoribus aliquando praestita vel illud Bullae aureae statutum [e]) „Cybriones (ex hungarico Csöbör, quod certam urnae speciem denotat) tributa, boves, et duas partes castrorum Rex obtineat" sufficiens praebet testimonium.

**) Lex Colomanni [f]) Libertatis denarios vocat, compellationis causam tenor ipse articuli sic explicat: „Liber quo„que hospes, sicut Slavi, vel caeteri extranei, qui in terris „laborant aliorum, pro libertate tantum denarios „dent: Non alios etiam denarios insuper pro opere aliquo „dare cogantur."

***) Binorum Diplomatum antiquorum, in Camerae Regiae Archivo delitescentium, reminiscor, quae telonia simila pro tributo habuerant, unum Belae IV., atque ejus Nepotis Ladislai alterum. Priori transfert Rex in Fridericum, et Bartholomeum de Vegla quamdam Civitatem circa littus maris existentem, Scen (Segnia) vocatam, cum omnibus suis utilitatibus, et pertinentiis universis, simul cum tributo, seu telo-

---

a) 1439. 7.

b) 1222. 27.

c) Consuli de his pot. Pray in Hist. Reg. Hung. not. praev. T. I. C. II. et CXVIII. Palma not. Rer. hung. T. I. a. p. 129. — 133. — et sparsim Kovachich in Vest. Comit.

d) Pray Op. et loc. cit.

e) 1222. 29.

f) Dec. L. I. C. 80.

nio. — Posterius Monasterio Kompoldiensi Tributum concedit taliter videlicet, quod de quolibet curru salifero unum sal, et de uno curru, qui mása vocatur, unum pondus, et de una Tunella (vasculo) vini duos denarios in perpetuam elemosinam solvere debeant per Villam Kompold transeuntes etc. Eundem promiscuum significatum etiam in Decretis Mathiae I. deprehendes [a]).

§. 602.

Olim admodum varium.

Successerat subinde liberorum denariorum exactioni, sub Andrea II. utcunque abolitae [b]), nova — ut me stilo aevi illius exprimam — collectae, proventusque Coronae species, Lucri Camerae titulo, serius vero Contributio, ipso quoque nomine hodiedum perdurante invaluit. Reliquos multiplices tributorum titulos, quorum nonnulli ex occasione adoptati, ac plerumque haud diuturni adeo temporis fuerant, dedita opera praetergredior; proderit tamen vel ad hodiernam, de qua mihi proprie loquendum erit, rem tributariam Lucri Camerae notionem nonnihil evolvere.

§. 603.

Ubi prima Lucri Camerae mentio?

Primam Lucri Camerae mentionem Decretum Andreae posterius facit, Codicem haud ingressum [c]), quo spoponderat: „Se nullam collectam, nullam exactionem nec Lucrum Camerae quocunque numero possit censeri, „occasione aliqua super homines cujuscunque nationis, vel „conditionis colligi facturum, exceptis iis, qui Fisco „Regio in censu tenentur.“ Sed institutum ipsum tam relate ad classes incolarum, huic penso obnoxiorum, quam circa summam, eo titulo praestandam, nonnisi sub Carolo I. ex professo quodammodo regulatum, in legem publicam abiit [d]).

---

a) 1464. 15. — 1486. 35.

b) Vide Dec. itentid. per me cit. A. 1231. 6.

c) Art. paul. ant. cit. conf. Kovachich Vest. Comit. p. 104.

d) 1342. 19. et reliquis.

§. 604.

Quid Portae designant?

Accedente quippe Praelatorum, et Baronum voto unanimi, et de consensu eorundem decrevit Carolus, ut de singulis Portis, per quas currus foeno, vel frugibus oneratus transire potest *), in quovis Comitatu 18 denarii, sive tres lati grossi dependantur **); Eandem contribuendi rationem retinuerunt Ludovicus M. et Albertus [a]) postea copiossissimis legibus memoratam. Modus vero per Portas repartiendi Sigismundi, ac Mathiae Decretis [b]) probatus, quamvis posterior aliam census speciem inducere tentaverit ***), non solum in Lucro Camerae, donec viguit, verum circa contributionem, subsidiaque ita constanter retentus fuerat, ut hucdum etiam in his ideale istud pro mensura Regni Jurisdictionibus deserviat, quarum cuilibet numerum Portarum admetiri ad Regni Comitia spectat.

*) Leges recentiores [c]) hoc spatium sic definiunt, ut unam Portam faciant quatuor domus (sive Sessiones) colonicales et similiter domus inquilinariae duodecim unam Portam. Nomenclatio Portarum palatinalium, nam aliquando Regnicolares dicebantur, anno 1741. — nisi fallor — prima omnium vice adhibetur.

**) Grossi lati, quos Carolus sex denariis aequiparat, ad imitationem Neapolitanorum feriebantur [d]), licet eos famigeratos illos Pragenses valore aequasse observem [e]); erant enim ejus probitatis, ut quinquaginta marcam unam argenti octo unciarum effecerint, quod nobis ex Litteris Nicolai Monosló Archiepiscopi Strigoniensis illustris condam Palma ostendit [f]). Posteaquam vero insigniri divae Virginis effigie coepissent, ab ista Mariani (hungarice Máriás) nominati fuerunt [g]). Quam speciem monetae domi nostrae enatam, cudique solitam ante semisaeculum adhuc in cursu videre vulgare fuit.

***) Mathias pro Lucro Camerae, consentientibus Regni Ordinibus, tributum Fisci Regalis perpetuo duraturum sub-

---

a) 1351. 4. 5. et 12. 1439. 6. et 7.

b) 1411. 2. et 1471. 11.

c) 1609. 62. — 1618. 41. 1635. 8.

d) Schönvisner in Op. toties cit. Diss. III. C. I. p. 189.

e) De hac Mon. spec. leg. Gelas. Dobner Diss. ap. Pray Annal. Reg. Hung. P. II. ad annum 1412.

f) Not. Reg. Hung. T. I. p. 131.

g) Conf. Schönvisner, Op. cit. Diss. III. C. III. p. 234. et seq.

stituit, testemonumento, per Prayum e Codice manuscripto Capituli Posoniensis luce donato [a]). Nihilominus ab Regis hujus obitu reditum fuisse ad Lucrum Camerae, e subsequentibus legibus aperte colligitur.

§. 605.

Quando Lucrum Camerae desiit?

Elucet jam ex his, quae disseruimus, atque iis, quae Regni Decretis ultra continentur, Lucrum Camerae pro ordinario censu quotannis dependendo habitum, exactumque; verum ita, ut ejus tam quantitas, quam duratio variaret; quoties autem contributionem per Comitia offerri contigit, toties huic illud fuisse imputatum, docet id inter leges reliquas explicatius alibi provocatus articulus 9. anni 1563. *) Ex quo evidens est, cur invalescente contributione, Lucrum Camerae penitus, atque legalibus omnino e rationibus desinere debuerit.

*) „De Lucro Camerae, quod Sacra Majestas Caesarea, velut „proprium Coronae proventum singulis in posterum annis „sive decretum fuerit subsidium, sive non, juxta veterem „morem continue exigendum decerni postulat. — Visum est „Statibus, et Ordinibus Regni, quod quamvis non ignorent, Lucrum hoc Camerae specialem, et ordinarium esse Regum Ungariae proventum. Quia „tamen a multis inde annis ita semper observatum fuisse recordantur, ut oblato per Regnicolas Regibus subsidio, Lucrum Camerae semper intra illud fuerit computatum, et nunquam „seorsim cum subsidio exactum; ideo ne nunc quidem quidquam a veteri ista consvetudine immutari posse. „Atque propterea Sacrae Majestati Caesareae humillime supplicaverunt, dignaretur ipsos in veteri isto more clementer „conservare; ipsumque Lucrum Camerae intra dicam oblatam computatum acceptare. Id quod Majestas Sua „Caesarea clementer admisit. Ita tamen, ut in posterum id lucrum singulis annis juxta antiquam consvetudinem „exigatur, si quando contingeret (quod proxime praeterito „quadriennio contigit) per annum quempiam, vel per plures „annos nullam dicam publicari.“

§. 606.

Contributio.

Contributio, quae hac, vel Dicae *) sub denominatione

---

[a]) In Dissert. de Prioratu Auranae p. 52.

potissimum ab initiis Seculi XV. continuo in legibus comparet. nec eundem semper significatum habuit, nec eandem destinationem. Cum enim instabilis foret, atque ad tempus tantummodo. et praesentaneae solum Regni necessitati, rationibusque adtemperata in Comitiis decerneretur, fere subsidii naturam induerat, et cum hoc persaepe pro synonimo sumebatur ** [a]). Quid mirum igitur, si Contributionem e nonnullis Decretorum articulis non in defensionem Regni praecise, sed in alios quandoque fines publicos sacratam, solutamque fuisse observes [b]).

*) Dica — observat erudite Schönvisner [c]) — Jurisconsultis est Judicium, actio, libellus Actionem continens, alias vero exactionem publicam, ut in hoc articulo (Decreti Caroli I. §. 22) item Dica solet accipi pro taleola, Gallis Taille Hungaris Rovás, in qua rerum numerus annotatur, qui apud veteres Hungaros bacillis incidebatur teste, quem citat, Thuroczio [d]).

**) Subsidium strictiori sensu; prouti recentior legislatio illius significatum adhibet, in quantum immediate a Domino terrestri praestandum fuerat, leges veteres de propria bursa solvendum clare semper exprimebant [e]). Caetera a bonis, vel portis decreta colonis ferre incubuit.

§. 607.

Stabiliter licet adoptata.

Verum anno 1715. dilabentibus quaqua versum oculis, exemplo aliarum etiam per Europam Gentium, Majoribus nostris, ut praemiseram, agnitum fuit [f]), validiorem regulatam militiam pro omni eventu intertenendam esse, hanc vero sine stipendio subsistere, et istam sine Contributione comparari non posse. Contributio itaque jam ad hunc finem directe, atque unice oblata, destinataque existit. Qui proinde Contributionem Militiae regulatae intertenendae causa tunc temporanee solum decretam ac in singulis Co-

a) 1601. 4. 36. — 1638. 5. — 1681. 61.

b) 1542. 8. 1543. 10. — 1547. 8. — 1556. 3. 1557. 3. et 5. — 1609. 62. 1613. 9. — 1618. 37. et 40. 1625. 27. — 1630. 5. et 6. — 1649. 5. et 96.

c) Op. cit. p. 300. in nota.

d) Chron. Hung. P. I. C. XXXV. de Siculis.

e) In exemplo 1546. 5. — 1563. 25.

f) Ejusd. Ann. Art. 8.

mitiis eo sensu iterandam opinantur, quasi Regnicolis salvum reservatumque mansisset, pro lubitu ab hoc systemate recedere, in errore sunt manifesto. Isto enim sub respectu contributio perpetua est, uti causa, quae Regnum ad eam decernendam impulit.

§. 608.

Relate ad quantitatem in Comitiis defigitur.

Quid igitur — inquies — comitiali deliberatione illum demum in casum opus erit unice, dum de augendo pro ratione temporum quanto contributionali, ejusdemque per universum Regnum repartitione agitur? Minime profecto: dubium namque istud aliquando utramque in partem ventilatum, clarum praeprimis reddit tenor novissimae legis, quam propriis verbis subjicere malo *), palam nempe pronunciando, jus quantitatem Contributionis determinandi ad tractatus diaetales spectare, adeoque hoc ipso nulli tractantium ad invicem partium seorsim competere. Quid autem leges in eum eventum sanxerint? si repentina quaedam, atque improvisa Patriae necessitas ingruat, quae celeriorem deliberationem deposcere comperitur, qualemve in casum, et qua ratione concursus Regni de hoc praecise Contributionis objecto concludere possit? recensui (421).

*) „Sua Majestas Sacratissima — verba sunt Articuli 4. 1827. „— Status, et Ordines securos reddit, quod materia Con- „tributionis, et subsidiorum cujuscunque nominis, seu in „aere, seu in naturalibus, aut tyronibus a diaetali tractatu, „quorsum hanc juxta claros art. 8. 1715. et 19. 1790/1. teno- „res spectare ultro agnoscit — salva duntaxat quoad Con- „tributionem art. 8. 1715. in art. 22. 1741. uberius decla- „rata dispositione — in nullis etiam extraordinariis casibus „avocanda sit, neque cum eadem contributione relate ad „speciem, et quantitatem comitialiter determinatam quaepiam „extra diaetam mutatio suscipienda, verum haec prout ab „una Diaeta ad aliam in Comitiis Regni determinata fuerit, „ita exigenda veniat.“

§. 609.

A qua Nobilitatem leges eximunt.

Post stabilem Contributionem ex causa, et ratione,

quam vidimus, adoptatam, Nobilitatis exemptio ab omni tributaria servitute, porro, ut antea fuerat, illaesa substitit; quam in rem, si caetera deessent, testimonium leges posteriores [a]) subministrant. Sed morem magna in Regni parte ab eo quoque tempore semper continuatum, a Nobilibus, colonicales fundos tenentibus, obvenientem inde contributionem exigendi, cardinali huic praerogativae adversari quidam acriter contendebant, quod amplam saepe numero disceptandi propinavit materiam [b]).

§ 610.

Utrum etiam quoad fundos.

Quidquid interim adversus usum istum, quem lex jam diserta sequi per universum Regnum jubet [c]), in medium aliquando allatum fuerit, certum manebit semper, et per genuinum legum huc facientium sensum, ipsoque praeprimis fundamentali illo titulo 9. P. I. confirmatum; exemtionem, qua scilicet sui parte Nobiles non solum relate ad personas, sed in rebus simul suis, ab omni conditionaria, et tributaria servitute immunes pronunciat, non ultra, ut posterior, quam cito, ait, terminos territoriorum suorum: non ultra eorundem proprietatem extendi. Qui enim secus fieri potuisset, ut Nobiles seu ad Contributionem a fundis civilibus, alterique Jurisdictioni obnoxiis, sive ad servitutes dominales, ab urbarialibus praestandas, constanter, atque ubique per Regnum pertraherentur? si ad quaevis precario titulo possessa, exemtio isthaec sine discrimine intellecta fuisset.

§. 611.

Contributioni secus obnoxios?

Posteaquam scilicet nervus, quem insurrectioni portali aliquando sacratum fuisse conspeximus (560), pro intertentione regulatae militiae in perpetuum cessus est, fundi quoque, unde ille conflabatur — seu nostratium loquendi

a) 1723. 6. — 1741. 8.
b) Vid. act. diaet. anni 1827.
c) 1836. 11.

formula — Sessiones colonicales, nisi ubi lex disertis verbis aliter statuit, abinde averruncari vix, ac ne vix quidem amplius poterant, nisi stabilem Contributionem instabili, ac incerto talo Majores nostros innixam habere voluisse, arbitrarie asseverare pergas.

§. 612.

Continuatur uberior.

Illustrant magis adhuc sententiam nostram, omneque dubium dirimunt Acta Comitiorum, introductionem stabilis Contributionis proxime insequentium, cum legibus synchronis combinata. Enimvero confestim Anno 1723. [a]) conscriptio secundum ideam, eadem Diaeta acceptatam, juxta quam illa ad fundos quoque colonicali titulo a Nobilibus tentos, extensa fuit, perfici jubetur; et ab his ipsis fundis proximo iterum Regni Conventu intra sexennium habito [b]) contributio solvenda decernitur. Quam ideam anno demum 1751. Regnicolis etiam arrisisse, gesta ejus aevi Comitialia perhibent.

§. 613.

Ejusdem Quaestionis.

Incassum itaque opponitur palmaris illa Nobilium obligatio, excluso alio onere, pro Regni defensione militandi, legibus, quas repetitim provocare nec ipsi negleximus [c]), corroborata; quod item onus tributi fundo non inhaereat; de quarum ambarum constitutionum usu, et intellectu explicatio ulterior interclusa habetur (410). Personalem enim hanc militandi obligationem cum immunitate tributi relate ad personas, et res Nobilium proprias solum colligari, neque ad fundos dominali servituti obnoxios perferri potuisse, sed neque Articulum 6. 1723. novum jus quoddam suscitasse, verum unice priora confirmasse, in praecedentibus sufficienter adparet.

---

a) Vid. art. 67. 1723.

b) 1729. cujus act. hic utilit. releges.

c) P. I. tt. 9. — 1723. 6. — 1741. 8.

§. 614.

Illustratio.

Quid autem praecautioni, ne onus publicum quoquo modo fundo inhaereat, in legem referendae, ansam dederit, assequi nemini arduum adparebit, modo tantisper librare velit tractatus diaetales, qui anno 1729. locum habuerant, atque tenores repraesentationis, hoc in merito Anno 1741. ad regnantem eotum Majestatem Regiam adornatae, mentemque hanc facientium Statuum expendat. Causa quippe metus erat exinde subortus, quod Carolus III. ut in aliis haereditariis Provinciis obtinebat, Dominos terrestres hic quoque relate ad Contributionem, pro fundis suis colonicalibus obvenientem, fidejubere, satisdarique desideraverit; ut adeo nulla hic de usu, et intellectu legis quae sane ad Dominos terrestres, non vero ad Nobiles solum caetera tributo destinatum, colentes refertur, quaestio excitanda restaret.

§. 615.

Ex Articulo 8. 1741.

Prospectum quippe voluerunt Majores nostri, loquor utique de tempore praeterito, nostris enim diebus sublato nobiles inter, et ignobiles discrimine omnique incolarum differentia, quivis communia onera ferre obstringitur [a]), cum Contributio quibuslibet Nobilium subditis stabiliter imposita Dominis terrestribus in posterum admittere nequeat, fundos per Colonos tentos, licet ad haereditarium jus dominale porro spectent, causa emolumenti, majorisque commodi gratia recipere, atque in usus proprios convertere; ne tamen propterea Dominus pro subdito, facultatibus lapso, aut qualitercunque restante onus istud supportare, non etiam in locum profugi, laresve suos deserentis alium ipse continuo substituere, vel onus ferre adigatur; et ut, casu denique divisionis emergente, facultas fundum colonicalem, in defectu alterius habitationis, in curialem convertendi, salva deinceps quoque permaneat [b]).

[a]) 1848. 3.
[b]) P. I. tt. 40.

Caput XX.

De reliquis, qui supersunt, Reditibus publicis.

§. 616.

Fixi, vel eventuales.

Ultra hos a nobis totidem Capitibus pertractatos redituum publicorum fontes, alii adhuc non temnendae considerationis proventus aerario regio aliunde accedunt tam fixi, quam eventuales. Pro fixis subsidium habeo, quod Praelatos in conservationem munimentorum suppeditare dixeramus, (563) taxamque Judaeorum, quam tolerantialem vocant. Eventuales nomino Taxas reliquas, quae pro impetrata Nobilitate, aliisque privilegiis, tum pro dignitatibus, honoribus, titulis, atque exemtionibus desumuntur; deinde pretium pro bonis per donationem mixtam acquisitis solvendum; tum caducitates, et diversa mulctarum compendia. His adjice partem Thesauri fortuito inventi, et Lotteriam ita dictam Genuensem, in cujus utriusque emolumento aerarium ex usu persistit.

§. 617.

In specie pars inventi Thesauri.

Jus in thesaurum, quo nomine res pretiosa, de cujus Domino haud constat, designatur, negare quidam Fisco voluerunt, praesertim quia aperta in rem lex defuit. Sed usus omnino pervetustus pro Fisco decidit *). Modo e diserta Theresiae Augustae constitutione [a]) pars tertia Fisco, reliquae inventori, et fundi Domino obveniunt.

*) In Regestro penes Capitulum Magno-Varadinense ab anno 1214. ad 1235. in serie deducto, quod sub titulo „Ritus explorandae Veritatis" innotuit [b]), jam eo tempore fures pronunciantur, qui Thesaurum inventum cum deberent, Regi non indicassent.

§. 618.

Indirecta adjutoria.

Silentio nequaquam nobis praetereundae sunt complu-

a) dd. 27. Januarii 1777.

b) Consule Pray Hist. Reg. notit. sui aevi P. II. p. 101.

res praestationes varii generis, quae licet immediate in aerarium regium haud influant, in parsimonium nihilominus erogationum publicarum permultum conferunt. Ad hancce classem respectivae dotationes veniunt religionis Ministris, atque publicae Institutioni sacrae, prouti et Comitatuum Cassae domesticae administrationis, accommodorum publicorum causa erectae; inque hunc finem annis singulis constitui solitae, de quibus suis ubique locis agitur.

§. 619.

Regulamentum Militare.

Restat hic de notabili illo intertenendae Militiae adjutorio loquendum, quod tacitae contributionis indolem habet, secundum normam, accedente auctoritate regia, sub nomenclatione Regulamenti Militaris Anno 1751. durante Diaeta concinnatum. Hujus vigore certa nutrimenti, pabulique species, Militiae a Colonis defixo pretio praestanda, in vicem parati aeris, titulo Contributionis debiti acceptari consvevit, et ob differentiam inter realem valorem, et determinatum pretium, erga quod genus istud praestationis subministrandum est, deperditarum nomen accepit *). Subsidia bellica in Comitiis saepissime decreta, quae variabant semper, aevoque recentiori a sola fere Nobilitate ferebantur, quemadmodum et summa pecuniae aliquot ab hinc Comitiis ad tyrones militares, facilius conducendos, oblata, vel extraordinaria, vel temporanea sunt magis, quam ut certis reditibus publicis adnumerari valeant.

*) Noto in pertransitu: legem 1836. Articulo 11. contentam, onus ex hac militiae intertenendae obligatione in plebem tributariam redundans, in uberiorem considerationem sumendam decrevisse; sequela fuerat, exmissio regnicolaris (stilo nobis forensi utor) Deputationis, opinionem, meritum rei exhaurientem, depromturae, cujus opus proinde Regis, Regnique revisioni substratum fuit.

Caput XXI.

De Dominio eminenti.

§. 620.

Dominium eminens.

E natura civitatis, et remediorum ad finem, qui in

publica, privataque securitate consistit, summis Populorum Rectoribus, sed extraordinaria auctoritate Jus illud eminens, ut Grotius vocat [a]), tam in res, ac bona privatorum, quam personas sub Regni territorio existentes, necessario competit, eminens dominium illud, istud eminens potestas speciatim audit [b]). Necessario — inquam — nam si civi salute, et incolumitate Patriae suae nihil carius esse debet; si ad illam servandam opes, fortunae, vita denique ipsa parvi reputandae sunt, nec privata utilitas, quando cum publica necessitate in collisionem venit, huic anteferri ullo pacto potest; quis est tandem doctrinae civilis tantopere ignarus, ut Regi nostro, in quem alioquin omne imperium cum regimine transiit [c]); casum in illum potestatem similem negandam existimet, dum salus reipublicae, qua omnium salus continetur *), secus in summum periculum conjicienda, hujusmodi Juris, potestatisque exercitium absolute deposcit.

*) Juxta illud effatum Livii „Respublica incolumis et privatas „res salvas facile praestat; publica prodendo, tua nequicquam serves“ [d]).

§. 621.

Competit Summo Principi.

Ex causa itaque publicae necessitatis Jus surgit Regi Hungariae, quando Patriae defensio id exigit, privatorum agros, domos, fundos qualescunque ad loca munienda, et praesidia erigenda applicandi, fine arcendae, retundendaeque hostilis invasionis castra in privatorum haerediis metandi; coacto exercitu, sata in pabulum convertendi; annonam, aedesque, ne inimico opitulentur, aut vero refugium praebeant, destruendi; hosti obsidem dandi; porro penuriae vitandae gratia frugum evectionem interdicendi; leges adeo ad tempus suspendendi (371), quoties in eum casum adducta foret proborum civium incolumitas, ut citra illarum suspensionem haec in summum periculum conjiceretur.

---

a) De Jure belli et pacis.

b) Conf. Eggeri Opus, cui tit. Das natürliche öffentliche Recht. L. I. S. II. C. VI. p. 230. et seq.

c) P. II. II. 3.

d) Hist. Lib. XXVI. C. XXVI.

§. 622.

Certis tamen sub limitibus.

Habet tamen remedium istud eo jam ipso, quod extraordinarium maneat, semper limites suos, natura descriptos. Neque enim justus ei locus erit unquam, nisi ex fine reipublicae, ob evidentem ejusdem necessitatem; neque diutius, quam similis ratio perduret *). Unde stricta quoque justitia secumfert, illi, cui propter removendum, quod universis immineret, periculum jacturam experiri contigerit, damnum a caeteris resarciri. Atque isto sensu acceptum Jus eminens Regum nostrorum, et tali praecise modo, cujus non desunt nobis exempla, exercitum, nullum sane seu violandae cujusdam Juris periculum, seu quidquam dignum reprehensione involvit; namque nil ultra ex causa publicae necessitatis hic Princeps suo perficit jure, ad quod non privatorum quilibet pro publica salute tolerandum, ultroque agendum suapte obstringitur.

*) Non mihi possum temperare, quin Viri omni mea laude majoris Friderici Ancillonii doctrinam [a]) hic meam non faciam: „Es wäre — tradit is — ein eben so großer, als gefährlicher Irrthum zu wähnen, daß in extensiver Hinsicht die „Souvrenität sich im Staate über alles ausdehnen, und erstrecken soll, daß Alles, was durch menschliche Kraft bewirkt „und erzielt werden kann, daß Alles, was Vernunft und Freiheit fordern, oder erschaffen können, zu ihren Gebiethe gehöre, „und daß sie über alles unbegränzt schalten und walten könne. „— Zuvörderst da die Souvrenität durch den Zweck des Staats „bedingt ist; da ihre Rechte nur aus ihren Pflichten hervorgehen, und diese Pflichten in der Beschützung der „Rechte, und der Freiheiten aller bestehen, so kann „die Souvrenität nie rechtmässig über den rechtmässigen Besitzstand willkührlich verfügen, und „anstatt alle wohlerworbene Rechte unverlezt, und „ungestört zu erhalten, dieselben nach Belieben „aufheben, auflösen, vernichten, und die Befugnisse, die aus diesen Verhältnissen früherer Zeiten hervorgegangen sind, ohne weiters eigenmächtig vertilgen. Nur wenn die allgemeine Freiheit und „Sicherheit solche Opfer erheischt, und der nothwendige Zweck,

---

[a]) Ueber den Geist der Verfass. und den Einfluß auf die Gesetzg.

„zu welchem sich die Souvrenität selbst als erstes nothwendiges „Mittel verhält, die Aufhebung wohl erworbener Rechte for„dert, und eine eingreifende Veränderung des feststehenden Be„sitzes der obersten Gewalt gewissermassen auflegt, kann eine „solche furchtbare Maßregel genommen, und durchgesetzt wer„den." Verum non minus, ac solidum ratiocinium, a cunctis etiam, qui in partem legislationis vocantur, tenaci mente retinendum.

§. 623.

Quid Plenitudo regiae potestatis?

Usurpabant apud nos interdum pro dominio eminenti Plenitudinem regiae potestatis, ad quam crebro in diplomatibus provocatur; haec tamen plenum magis imperium denotat, nullis partibus destitutum, virtute cujus Regia Majestas curis suis, auctoritateque Regiminis suprema res cunctas, intra civilis territorii fines persistentes, complectitur; refertur proinde non ad extraordinarios eventus, verum ad continuum politicae gubernationis exercitium; quare e notione dominii eminentis, quam dedimus (621), differentia alterius ab altera sufficienter adparet. Hanc ipsam ob causam falluntur vehementer, qui Jus successorium Fisci in bonis deficientium, vel de laesae Majestatis crimine convictorum pro consectario dominii eminentis intuebantur; quod in eventuros similes casus stabili legum innititur praesidio.

Caput XXII.

De Juribus Regiminis externis.

§. 624.

In quo consistunt?

Saepe inter Nationes liberas negotia, atque aevo nostro fere continenter interveniunt, quae non alia via expediuntur, quam per Legatos. Porro gens nulla est, nullum Imperium sibimet ita sufficiens, ut non alterius ope, atque auxilio indigeat; hincque non raro populi, permutatis ad se invicem favoribus, mutuum incrementum promovere intendunt. Quo autem de simili ope, de auxilio, ac

favoribus istis, ubi necessitas postulaverit, moraliter certi reddantur, Regnis, et Provinciis, quae a se non dependent, accomodatior ratio haud suppetit, nec justior prae conventionibus, quas foedera appellamus. Ad injurias demum vindicandas, propulsanda pericula, et civitatem adversus vim externam defendendam, vel praemuniendam, jam bella gerere oportet, jam pacem conficere. Quare jura Regiminis relate ad nationes exteras, rite in his tribus consistere, Juris consulti statuunt: In Jure Legationis; in Jure Foederum; et in Jure belli, et pacis. Atque ista Regem hungariae, qua supremum universae Monarchiae Principem, ex obtutu Pragmaticae Sanctionis, et communis cunctorum Populorum salutis, utilitatisque usuare, inseparabilis ditionum conjunctio exigit, atque secum fert.

§. 625.

Et ad quem pertinent?

Et sane in Monarchia exercitium uniuscujusque horum jurium esse penes Principem, esseque debere, adeo patulum evasit, ut in concordem sapientissimorum semper Virorum sententiam abiret *) cum summus ille Rector, tamquam caput Imperii, simul unicus sit moralis illius corporis, cui praeest, relate ad exteros populos repraesentans.

*) Hanc doctrinae partem egregie prosecuti sunt — quorum plerosque e paulo vetustioribus recenset Meister in Bibliotheca Juris Naturae voce Legatus; et Ompteda in der Literatur des Völkerrechts P. II. p. 390. et seq. item p. 538. His e pluribus addo Scheidemantel Staatsrecht nach Vernunft und Sitten. B. Bacassi Einleitung in die sämmtliche Gesandtschaftsrechte. Wien. 1778. — Ahmert Lehrbegriff der Wissenschaften, Erfordernisse und Rechte der Gesandschaften 1784. — sileo recentiores.

§. 626.

De Jure Legationis.

Hoc ipsum in Hungaria a primis Regni initiis obtinuit. Jus in specie legationis, ut hinc initium faciam, solius Regis Hungariae quavis aetate fuisse, egregie tot illustrium Legationum probant exempla, quorum memoriam nobis

historia reservavit; nec minus id leges fuse commonstrant [a]); quibus ipsis nihilominus, salvo caeterum indubitato hac in parte Majestatis arbitrio, praestituitur, ut ad Portam Ottomannicam Legato Caesareo Ungarus nativus, a Consilio Hungarico instructionem recepturus, cum aequali in negotiis hungaricis tractandi auctoritate constituatur, et adjungatur. Quandocunque item Legati venirent e Turcia, vel eo dimitterentur, hoc semper tempestive Palatino insinuetur.

§. 627.

Notatur Rosemann.

Aliter longe Rosemanno hanc doctrinam sequentibus commentari placuit [b]): „Das Recht Gesandtschaften zu schicken „gehört zwar dem König allein, doch in der Ausübung ist schon „durchgehends die Gewohnheit angenommen worden, daß so „oft eine zu bestimmende Gesandtschaft das Königreich Ungarn „betrifft, der König nicht leicht etwas ohne vorläufig eingehol- „ter Meinung, und Gutachten der ungarischen Stände, und „ohne gepflogener Berathschlagung mit ihnen in diesen Punkte „vornehmen, und entscheiden will." Quis non observat hac eum hallucinatione, cui Acta publica recentiora non minus, quam superioris Seculi apertissime adversantur, plus praetendere velle, quam leges unquam constituerint; istae quippe de Consilio hungarico loquuntur, ille de diaetali discussione, et opinione.

§. 628.

Quae hujus Juris partes?

Praemissorum in sequelam a Rege solo dependet: I. Ad quas exteras Aulas, atque Provincias Legati sint expediendi. II. Gradum uniuscujusque primae, secundae, vel tertiae admissionis determinare; nec non III. Gradui condignum, caeterisque adjunctis correspondens stipendium defigere. IV. Debitam Legatis Instructionem praescribere,

---

a) 1618. 37. — 1630. 36. — 1638. 3. — 1647. 74. — 1649. 7. — 1655. 50. — 1659. 4. — 1681. 4. — 1715. 41. — 1723. 104. — 1791. 17. et 65.

b) In: Staatsrecht von Ungarn. p. 140. et seq.

quae natura sua caeteroquin secreta esse debet, ac nonnisi e politicis respectibus, qui raro patent, saepe e subitaneis eventibus provide desumitur.

§. 629.

In Foederibus ineundis.

Foedera, Nationem universam obligatura, inire apud nos pariter Reges tantummodo respicit: ineunda sunt autem re prius cum Consilio Hungarico deliberata, in quantum nempe Regnum Hungariae, vel eo spectantes ditiones attinent; et si quae in his majoris momenti negotia interveniunt, aliis quoque primariis Viris in consilium vocatis [a]). Ut foedera indiscriminatim objecta comitialia sint, et cum interventu Statuum facienda, nec Natio unquam postulavit, nec ratio Status, neque prudentia civilis patitur.

§. 630.

Interventus Ordinum Regni aliquando necessarius.

Ast si foedere simili de futura Successione, ut olim cum electio Regum vigebat, sermo foret: si de Provincia ad Regnum spectante; de legum fundamentalium mutatione; de Juribus Coronae; de oneribus per Regnum assumendis; vel si de subsidiis per Regnicolas ferendis agendum sit, tunc certe Regni Ordinum consensum negligere justum non foret, quod ratio ipsa confirmat, tum quod leges objecta ista ad comitiales Tractatus expresse reservaverint, tum quia secus insalutato populo, constitutio quaevis per foedera labefactari, imo simpliciter covelli posset [b]).

§. 631.

Quod etiam exempla docent.

Habemus quoque foederum sic initorum exempla, cujus generis sunt Tabulae, queis Status, et Ordines Hungariae Successionem, quam Sigismundus ad casum, si absque filio

---

a) 1741. 11. — 1791. 17.

b) Consule Aretin: Staatsrecht. T. II. p. 143.

decederet, Alberto IV. Austriae Duci fecerat, Anno 1402. confirmant [a]), nec non pacta tardius cum Friderico III. Imperatore, ejusdemque filio Maximiliano aliquando ex parte quoque Regni Hungariae inita, quorum mentionem in superioribus feceramus [b]); tandem Rudolpho regnante ad Tractatum cum Sigismundo Báthori Transilvaniae Principe conclusum, Rege ipso postulante, Statuum consensus accessit [c]). Haec tamen omnia Regibus ita volentibus evenerunt. Foedera proinde, quae cum injuria Majestatis, Rege inscio aut invito per calamitatem, praeteritorum temporum a conventiculis malecontentorum cum exteris Principibus, aut Nationibus inita fuerunt, tamquam invigorosa sane, et illegitima, velut criminales actus, merito condemnantur.

§. 632.

Jus belli gerendi.

Inter articulos, qui de Jure belli loquuntur, anni 1608. a. c. ordine secundus palmaris est, expressis statuens verbis, ut Rex pacem tum vigentem observet, observarique faciat; nec sine praescitu, et consensu Regni in Hungaria, et Partibus sibi adnexis ullum vel bellum moveat, vel militem extraneum introducat. Quem deinde distinctae, quibus pene ad literam repetitur, Sanctiones [d]), et conditiones quoque Diplomatum inauguralium Ferdinandi II. III. et Leopoldi I. aperte confirmant [e]), quo vix respexerint, qui pollicitationem ibi contentam a Mathia Archi-Duce, Hungaris obnoxio, per se solum factam fuisse, et ad Successores minime pertinuisse existimarunt.

§. 633.

Reges Hungariae.

Quod quamquam ita se habeat, dispositio attamen,

---

[a]) Has editas ex Apographo Autog. reperies in Disquis. de modo conseq. summ. Imp. in Hung. Mant. N. V.

[b]) Documenta haec cit. nunc. operi inserta, habentur ex Analect. apud Ursin. Vellium.

[c]) Vid. 1595. 56.

[d]) 1613. 5. — 1618. 2.

[e]) 1622. 2. — 1638. 1. — 1659. 1. condit. ubique 13.

barbaro hoste, patrios lares incolente, quae post pacem cum eodem initam, compositaque domestica dissidia, communi tranquillitati, et privatorum civium quieti forte peropportuna credebatur, in genere tamen valere neutiquam posse videtur; vel eo plane, uti quidam volebant, extendi, quasi nunc etiam bellum quaelecunque, nonnisi impetrato praevie Comitiorum assensu moveri queat. Spiritus enim, ac tenor ipse praecitatarum legum, ad literam sumtus, hostem in Regno existere supponit; atque de bello duntaxat in Regno, et Partibus adnexis non movendo cautelam extendit. Ad haec si eo, quod paulo ante praemonueram, respiciatur: Hungariam sub uno eodemque Principe caeteris haereditariis Provinciis inseparabiliter esse conjunctam, neque aliquomodo supponere sinit bellum quodpiam, quod solam duntaxat Hungariam, nec una caeteras etiam ditiones feriret.

§. 634.

Proprie respicere.

Objiciunt se adhaec genericae huic restrictioni, qua Rex in exercitio Juris belli a consensu populi dependeret, gravissimi sane momenti considerationes, quas Jurium Civitatis interpretes e professo evolverunt *), et Majores nostri jam dudum agnovisse videntur, cum articuli, qui secundum 1608., et reliquos, paulo ante provocatos, secuti sunt, de consilio tantummodo hungarico ad pacis, caeteraque negotia extera, Regnum attinentia, adhibendo loquantur [a]).

*) Neminem qui vel in aevi, quod vivimus, historia non prorsus est peregrinus, fugere potest, quantopere unicum persaepe momentum in bello movendo, aut pace conficienda de sorte universi populi decidat, quamque ad illud felici cum successu gerendum adparatus bellicos, et negotiationes circumspecte, celeriter, atque occulte instituere oporteat. Num ista a comitiali deliberatione suspendere, et in longius tempus rejicere sine manifesto Patriae discrimine tutum erit? aut Principi integrum Conventiones, cum foederatis Principibus arcane initas, horum ingratiis, et neque citra injuriam

---

a) 1681. 4. — 1715. 41. — 1741. 11.

palam detegere? Hosti ipsi suas prodere vires, intentiones, et consilia? Sed non opus est in re manifestissima plures rationes recensere, quarum equidem permultae supersunt.

§. 635.

Uberius explicatur.

Valet itaque, quod de regio Foederum Jure dictum fuit, apud nos utcunque de Jure quoque Belli. Quoties bellum regiis unice sumtibus extra Regnum movebatur, Principes nostri nunquam se crediderunt ad consensum Ordinum restrictos. Hoc magis, cum Monarchiae ex improviso illatum armis depellendum erat [a]), testem apello bellorum a Regibus Hungariae gestorum, et initarum pacificationum historiam tam veterem, quam recentiorem. Ut primum tamen ex parte Regni subsidia requiruntur, seu in aere, sive in tyronibus, aut cujuscunque tandem generis praestanda, vel Regni Insurrectio, tractatus diaetales semper, quemadmodum alibi dictum fuit, (399) inomisse locum sortiantur, est necesse, verum hunc praecise omnino in scopum, ut nempe proposita necessitate, oblatio ex parte Regnicolarum via, modoque legali impetretur [b]).

§. 636.

De potestate pacem ineundi.

Idem denique de pace conficienda sentiendum est casum in illum, quando justae Regni praetensioni, vel Provinciae ad Hungariam pertinenti renunciandum esset, nisi, qui plerumque casus esse solet, extrema Patriae necessitas ad aliud cogat. Quis etenim Principum, nisi suae obligationis immemor, et incurius proprii sui commodi, gloriae, et potestatis foret, citra hanc extremam inquam, et inevitabilem necessitatem suum truncabit ipse, aut truncari sinet Imperium. Insuper relate ad pacem condendam exigunt leges [c]), ut illa cum consilio Hungarorum tractetur,

---

a) 1609. 65. — 1622. 21. et 22.

b) 1790. 19. — 1792. 6. — 1796. 2. — 1802. 1. — 1807. 1. et 2. — 1808. 5. — 1812. 1.

c) 1681. 4. et aliae ibi citat. 1715. 41.

et conclusa per Regnum debite publicetur, quod res ipsa secum fert: obligat enim Nationem universam, et singulos Regni incolas.

§. 637.

Consectaria.

Cui Jus bellum gerendi competit, eundem correspondens etiam manet obligatio, tentare prius omnia, quam ad arma deveniat; severa nam res est, et atrox bellum, quod summa tantum necessitas honestum efficit. Donec igitur mitiora supersunt remedia, quibus Imperans securitati suorum, et indemnitati succurrere potest, quae Jus naturale gentium explicat [a]), justitia, aequitas, et fides arma capere vetant [b]), ast bellum, qua jam necessarium, sicut in unius Regis est potestate indicere, modumque, ac rationem illud gerendi ordinare, atque praescribere: ita etiam pacta, quae belli tempore a subditis locis persaepe ineuntur, ut valeant, summi Principis expresso, vel tacito consensu indigent [c]), qui nonnisi urgente extrema necessitate, ubi excidium urbi, aut regioni proximum imminet, legitime praesumitur.

Caput XXIII.

De forma Imperii, et Regiminis in Hungaria.

§. 638.

Forma Imperii in Hungaria.

. Determinare subjectum summi Imperii in Hungaria idem est, quod determinare formam Imperii; itaque hoc investigaturo non aliud recolendum est, plures imperent, an unus, et qua cum potestate? quo cognito, pronum fluit judicium, democratica sit, an aristocratica, vel monarchica Imperii forma, Regimenque absolutum, aut suo modo temperatum.

---

a) Vattel: Völkerrecht. P. II. C. XVIII. et seq.

b) Quod idem egregie illustrat loc. cit.

c) Consules hic oport. Ziegler de Jurib. Majest. L. I. C. XXXIV.

§. 639.

Est monarchica.

At monarchicam quidem esse Imperii formam, seu quod idem est: Majestatem civilem nemini, quam Regi tantum competere, ex iis, quae continua serie explicata dedimus, satis adparet. Talem autem fuisse pene ab exordio civilis unionis, mox postea certe, quam Majores nostri Ducem sibi unum praefecerant, et ab Anonymo memoriae proditum novimus, minime dissentiente Porphyrogenito; et antea, jam Leo sapiens scripserat [a]): Gentem hungaram ingenuam, ac liberam unius Imperio regi. Unius inquam apud Hungaros Imperium confirmat Historia Ducum, qui post Arpadum regnaverunt, tam apertis testimoniis, ut vere Stephanus adserta sibi dignitate regia, Regnum suum Monarchiam; Populum Gentem suae Monarchiae compellaverit [b]); nemoque erit rerum nostrarum rudis adeo, qui Monarchiam hanc ad nostra tempora permansisse ignoret.

§. 640.

Neque mixta Regiminis forma.

Pura tamen sit, an mixta regiminis forma dubitatum interdum fuit. Hermannus Conringius [c]) puram olim fuisse, et dominatui similem ad Andreae II. Regis tempora existimavit; abinde vero — datis Nobilitati conspicuis privilegiis — temperamentum ex Aristocratico genere admixtum accepisse haud obscure supponit. Quod temperamentum Joannes Gravius cum Lechnero [d]), et Jonyo [e]), ita sunt interpretati, ut formam Regni monarchico - aristocraticam claris verbis enunciarent. Vicissim Michaël Pancratius [f]), Joannes Ferdin. Behamb [g]), atque doctissimi rerum nostrarum

---

a) Tactic. C. XVIII. Conf. Kollár in Amoen. V. I. p. 25.
b) L. I. C. II. L. II. C. XVIII.
c) Conringii operum omnium T. IV. p. 345.
d) In facie Jur. Publ. Hung. C. II. §. 5.
e) In observ. ad Lechnerum ad C. II. §. 5. Not. I.
f) In Tract. pol. Hist. Jur. Reg. Hung. Sec. II. §. 32. et seq.
g) In observ. ad Berneger p. 172. et seq.

Scriptores multo jam frequentiores, nihil per Nobilitatis privilegia, quodve in quibusdám publicae rei definiendae partibus in communionem veniat, de summa, et plena Regis Majestate detractum fuisse agnoverunt.

§. 641.

Sed pura.

Horum sententiae omnino adsentiendum judico, quum pro comperto jam habeamus, Regem Hungariae quibusvis potentialibus Imperii partibus et antea fuisse gavisum, et nostris temporibus pollere adeo: ut omnis civilis Imperii Majestas, omnisque plenitudo potestatis in una Ejusdem Persona resideat, quod genus Imperii mixtam Regiminis formam suapte excludit. Largior interim — nec invitus — dum natione in tribus divisa, earum quaelibet seorsim suo Capitaneo suberat, rudem, qualis tum fuerit, nascentis Monarchiae formam nonnihil ex aliis quoque admixtam retinere potuisse. Quod reliquis barbaris gentibus, quae Regna per Europam condiderant, suis in primordiis caeteroquin familiare erat [a]).

§. 642.

Nihil officientibus nonnullorum in contrarium argumentis.

Itaque non Conringium nobis audiendum, non Lechnerum censeo. Falluntur illi, quando Regum nostrorum dominatui simile in principio fuisse Imperium, ac prorsus arbitrarium adstruunt; ubi vero mixtum postea successisse opinantur, opinionís, quam sunt professi, rationem probabilem desidero. Enimvero libertates nobilitatis, quam Conringius Privilegia nominat, ab Andrea Rege non tam concessas, quam redditas fuisse, supra ostensum erat. Quae autem varii generis a Regibus impetrabantur, tantum abest, ut ad minuendam Regis Majestatem valere possint, ut eam confirment potius, quod multis, solidisque argumentis firmarem, si res exploratissima probatione indigeret. Nuspiam profecto Reges nostri frequentius plenitudinem potestatis com-

---

a) Vide Hume Histoire d' Angleterre, et Robinson Hist. d'Ecosse; Michael Ign. Schmidt, Geschichte der Deutschen aliosque recentiores.

memorare sunt soliti, quam in largiendis privilegiis, et immunitatibus sive concedendis, sive confirmandis.

§. 643.

Suo tamen modo temperata.

Quae cum ita se habeant, omnino fatendum est, puram esse, ac simplicem in Hungaria Imperii forman; Regimen tamen nunquam fuisse arbitrarium, quod unusquisque, qui antiqua Hungariae tempora, cum recentioribus, animo a praejudiciis vacuo, contulerit, ipse facile animadvertet. Nec opus habeo repetere, quae in ulteriorem hujusce rei comprobationem, vel ante me tot alii viri eruditissimi plenam in lucem collocarunt, vel ego in Jura Regum nostrorum majestatica, legiferamque potestatem adferre, atque comprobare nullus praetermisi. Quamquam enim abunde ostendat historia arctiorem nonnunquam, quandoque latiorem Principum nostrorum in gubernanda Republica potestatem fuisse, pro iis, quae Seculorum decursu rerum, adjunctorumque momenta inciderant, augendae, atque extendendae nunc Regum, modo populi potentiae peroportuna; erat tamen illorum Imperium sic quavis aetate suo modo temperatum, ut Rex quibusvis licet Juribus majestaticis ornatus sit, atque instructus, horum attamen singula, ipsumque Imperium nequaquam pro arbitrio, verum secundum leges, accedente comitiali assensu, conditas, atque ex mente earundem semper exercuerit.

§. 644.

Corollaria.

Ex allatis gemina Corollaria sequuntur, primum est: Regem Hungariae esse Monarcham veri nominis, totumque Imperium in ejusdem unius manu consistere. Alterum quod Princeps haereditarius vi Juris, et pacto subjectionis acquisiti, transeundo in universa Antecessoris Jura, in aditu Regiminis nihil plus Jurium acquirat, quam quae Antecessoris erant; nec vicissim quibus iste gaudebat, ea invito adimi valeant, adeoque forma Regiminis pro unius partis arbitrio mutari nullum in casum possit. Quid autem

utriusque consensione fieri, quaeve mutationes vel interpretationes locum sortiri queant; quid exigat Diplomatis inauguralis sanctimonia; quid denique horum sub obtutu 8. articulus Anni 1741. praecautum voluerit, suis ubique locis notatum est.

§. 645.

Articulus 12. Anni 1791.

Nec movebit illud quempiam in contrarium, quod legem disertam habeamus, eamque fundamentalem, quae potestatem legum ferendarum Regi, ac Statibus, et Ordinibus Regni, ad Comitia legitime confluentibus communem edixit, si modo reflectat ad sensum veteri, et nostri quoque temporis in ferendis legibus usui aperte congruentem, quod illae nempe accedente nonnisi utriusque consensione apud nos condi valeant, quin propterea non eum ipsum Principem legitimum legislatorem agnoscas, cujus auctoritate Decreta sanctionem recipiunt, sub cujus nomine eduntur, atque promulgantur; et qui unus Jura Majestatis omnia suo nomine independenter ab alterius Superioris arbitrio exercet. Caeterum, ut ingenue fatear, quod sentio, potestatem legum ferendarum Status inter, ac Regem communem dicamus, aut huic solum, tamquam essentialem partem civilis Imperii propriam, semper nihilominus in legitimo Regni Conventu exercendam, et ad consensum Statuum restrictam video theoreticam mere differentiam involvere potius, quam practicas sequelas innectere, nec perspicio satis, quid ad praerogativam, aut libertatem Regni intersit, alteram prae altera sententiam tueri; utrobique enim verum manet, quod Verbőczius tradidit [a]). „Et sic postea Reges ipsi „convocato, interrogatove populo constitu„tiones facere coeperunt, prout et temporibus „nostris fieri consvevit" quaeve his ille de modo leges apud nos ferendi confestim subjecit.

§. 646.

Summo regis imperio non adversatur.

Error profecto manifestus illorum est, qui putabant

[a]) P. II. tt. 3. §. 2.

subjectum Majestatis in hoc Regno non esse unam Apostolici Regis personam, sed corpus Statuum Regi suo unitum, eorum item, qui negabant Principi summum Imperium ex eo, quod in hoc exercendo speciatim relate ad leges condendas restringatur. Causa erroris est, quod Imperium a modo illud exercendi non rite distinxerint, atque summum Imperium cum absoluto rem eandem existimarent, indeque sequelam formaverint, Imperium summum apud eum non esse, qui nequit id omni ex parte sine Statuum consensu exercere. Quod omnino falsum esse, viri classici egregie ostenderunt [a]).

§. 647.

Nec quod positivis Regni legibus obligetur.

Nihilo majoris ponderis est, quod dicitur: Regem nostrum positivis Regni legibus obligari, siquidem obligatio haec non absolute inde solum procedit, quod Regnatrici augustae familiae Summa potestas ea conditione delata, acceptataque fuerit, ut Rex ipse in aditu regiminis spondeat, Se leges tam Ipsum benigne observaturum, quam per alios observari facturum. Utrum quaero obligationes hujus generis, quae a mutua conventione, libere inita, obtinent, Regis independentiae, Majestatique plus officiunt quam pacta, et foedera, quae inter liberas et sui jurisGentes frequenter ineuntur, naturali istarum obsunt libertati [b]).

Liber V.

De publica Regni Administratione.

Caput I.

De publicis Institutis generatim, in specie de Cancellaria Aulica.

§. 648.

Generalis partitio Administrationis publicae.

Res Hungariae publica, cujus summum Imperium in ma-

---

a) Samuel Puffendorf de Jur. Nat. et Gent. L. VII. C. VI. §. 10. Adde Grotium de Jur. bell. et pac. L. I. C. III. §. 10. Bourlemaque: Princip. du droit politique T. I. P. I. C. VII. §. 47.

b) Grotius L. I. C. III. §. 16. et seq.

nibus Regis existere, et administrationem universam a suprema Ejusdem executiva potestate procedere in continenti dispeximus, negotia politica, juridica, oeconomica, seu cameralia, quae vocabulo tralatitio finantialia dicunt, et militaria ambitu suo complectitur. Quatuor his principalibus diversae cathegoriae partibus ad eadem rite moderanda totidem publicorum Institutorum classes respondent. Quae communia sunt vulgo centralia, atque superiora; quorsum nempe agenda uniuscujusque orbitam respicientia velut ad altiorem, et ultimam — quod ajunt — instantiam confluunt; vel specialia inferioris ordinis. Cernimus nunc tam ista, quam illa legibus novissimis pene universim sublata; ast ne tela, quam historica libertate pertexere intendo, incompletus labor evadat, primo a supremis Regni Tribunalibus ordiendo, postea singulorum reliqua, quali modo nobis antea exstiterunt, filo haud interrupto exhibebo; quibus suo ordine compositis, veteribus substituta, utut aeque et suo quasi cum ortu, supervenientibus disturbiis, desierint, paucis attingere praestitui.

§. 649.

Vetus Cancellariae Regiae initium.

Habuisse Reges Hungariae, ut alibi Principes, suam a primis hujus dignitatis intiis Cancellariam, Administros scilicet ad expediendas scripturas, conficienda mandata, ac Privilegia in formam diplomatis redigenda, indoles gubernationis, omnisque epochae monumenta ostendunt. Erant isti utcunque una custodes Sigilli regii, et pro medii praeprimis aevi more, hominumque tum scribere callentium raritate, aliquando exclusive Ecclesiastici, qui delabente adhuc Seculo 12. Notarii, Scriptores, Capellani etiam, quia pone regium Sacellum acta publica asservabant, promiscue adpellabantur. Hinc venit, quod istorum Praepositus in vetustioribus Documentis non semper Cancellarius tantum, quod nomen vix aliquo tempore exulabat, verum quandoque Archi-Capellanus, saepè Magister, aut Comes Capellae fuerit vocatus. Occurrit posterior titulus cumprimis sub Carolo Roberto, et Ludo-

vico I. Regibus [a]), nomen tamen Cancellarii, obliteratis reliquis, postea solum permansit.

§. 650.

Summus Cancellarius.

Est vero Summus Cancellarius probe nobis distingvendus ab Aulae Cancellario, quemadmodum bina ista officia inde a seculo 16. leges, et diplomata vix aliquando conjunxerunt. Illi nempe Sigillum duplex Majestaticum, huic secretum et antiquitus concreditum erat. Prioris dignitatem, ut in superioribus me attigisse recordor (§. 199), Regni Primas serius perpetuam tenebat [b]), sed aliquando ambulatoriam fuisse indubium est [c]). Posterior lateri Regis ex ipsa officii ratione constanter adhaeserat, sive ob molem agendorum, sive ut sit, qui vices absentis sustineat, verosimiliter jam cum ipso sui exordio Vice-Cancellarium nactus. Erat insuper, donec Reges nostri in Regno residebant, Cancellarius simul regii senatus, et sedis judiciariae commembrum, atque Judex Regni ordinarius [d]).

§. 651.

Ab Aulae Cancellario distingvendus.

Ut adeo Primas quidem Regni summus: Secretarius autem Cancellarius idem reapse, qui Aulae Cancellarius dicendus foret; prouti haec distinctio in duplici Mathiae I. Decreto accurate, ut non facile uspiam melius, exprimitur. In conclusione quippe Decreti II. de anno 1464. istud velut duplici authentico Sigillo munitum per manus Stephani Colocensis Archi-Episcopi summi Cancellarii; contra Decretum VI. anni 1486. Sigillo secreto roboratum per manus Joannis Episcopi Varadiensis Aulae Secretarii Cancellarii datum fuisse exponitur. Hoc non obstante Primas se summum, et Secretarium Regni Cancellarium nunc quoque

a) De his vid. Schvartner Intr. in art. Dipl. Ed. 2. P. III. C. III. p. 288. — 294., et Szovrényi op. et loc. alias. cit.

b) Conf. art. 10. 1741. et art. 3. 1751.

c) Schvartner op. nunc. cit. p. 294.

d) 1486. 68. §. 1.

scribit, auctore Ferdinando I., qui Archi-Episcopis Strigoniensibus hunc titulum, dignitatemque competere, editis in rem Litteris recognoscit, quas Pray [a]) ex professo agens tam de Cancellaria Regum priscae aetatis, quam de summi, et Secretarii Cancellarii origine, et satis nitide, pro more suo, et erudite est commentatus.

§. 652.

Recentior Cancellariae Auctoritas.

Ex quo Viennae sedem Rex Hungariae fixerat, Eundem Cancellaria quoque Regia eo comitata est; coeperatque sensim ejus independentia cum agendi potestate temporum injuria jam jam collabescere, cum urgentibus Regni Ordinibus sub Mathia II. pristino vigori iterum restituta fuit [b]). Et quo firmior deinceps evaderet, ac stabilior, decretum praeterea: ut si quae in rebus hungaricis, ab aliis Aulae Dicasteriis expeditiones fierent, vim nullam habeant [c]). His, atque aliis legibus [d]), Instructionibusque, quas ediderunt Leopoldus I., Carolus VI. Maria Theresia, et Franciscus I. Cancellariae constitutio, atque auctoritas innitebatur, eidemque a solo Rege dependentia adserta fuit [e]). Alioquin dubitari non potest, quod suprema ejus directio, et tempori accomodata regulatio — salvis legibus — praecise ad Regem pertinuerit.

§. 653.

Ejus Constitutio.

Constitutio ejusdem, antequam dissolveretur, ita se habuerat: ut caput esset Cancellarius Regius Hungarico Aulicus, idemque negotiorum omnium eo pertinentium moderator. Isto absente, vel impedito unus, vel quandoque — Rege ita volente — bini Pro-Cancellarii; his cum suffragii jure Consiliarii, quos etiam Referenda-

a) Opere de Sigill. Reg. et Regin. — L. II. C. VI. p. 112. — 120.
b) 1608. 9. et 10. a. c. 1609. 21.
c) Cit. 1608. 9.
d) 1559. 9. — 1563. 35. — 1618. 8.
e) 1715. 17. 1741. 13.

rios vocant, assidebant de Clero, Magnatum, et Nobilium statu. Secretarios praeterea, Concipistas, alios diversi ordinis Officiales [a]), expediendis, asservandisque, quae illic agenda interveniunt, necessario praesto fuisse novimus.

§. 654.

Atque Activitas.

Activitas Cancellariae exporrigebat se se generatim ad cuncta Regni negotia ad internam Reipublicae administrationem pertinentia tam gratiosa, quam politica, ecclesiastica, vel civilia, ut sunt Privilegia, Collationes Beneficiorum Ecclesiasticorum, Donationes, Nobilitationes, quae omnia, nisi via hujus Dicasterii dimissa, si legem respicimus, vigore destituuntur [b]). Per illud Princeps Comitia indixit, diaetales tractatus prosequendo, cum fine Comitiorum Articulos, sua sanctione roboratos, edebat; per illud ordinarie ad supremos Regni Magistratus, Consilium Locumtenentiale Regium, et publicas quoque Jurisdictiones Ordines suos largiri, proponere ad munera regiae denominationi retenta, vel eadem delegata a Principe potestate conferre; advigilare ordinatae, ac celeri justitiae administrationi; eandem per mandata judiciaria promovere; verbo regiae potestatis plenitudinem intra limites sibi designatos exercere ejusdem activitatem, et officium respexit.

§. 655.

Illa Juribus Majestaticis eminenter invigilabat.

In omni autem rerum istarum pertractatione ad potiores Cancellariae partes spectabat providere, ut Jura Regia illaesa, atque intemerata conserventur, neque legibus adversi quid Regio Nomine praecipiatur [c]), ne etiam sacro sancta Principis Auctoritas vel collisioni, vel cuidam jacturae exponatur. Eidem denique Jussa altiora, legumque effectum tueri, ac procurare incumbebat.

---

a) Vide Schematismum Regnicolarem.
b) Cit. 1608. 9. a. c.
c) 1543. 31.

§. 656.

Ratio, et forma consultandi.

Substernebantur autem Conclusa Collegii hujus Regiae Majestati pro ratione diversarum materiarum medio Protocolli, vel distincta propositione; resolutiones vero dabantur in majoris momenti objectis cum ipsius Principis subscriptione, in caeteris Illius nomine, subsignante utrinque Cancellario; priora Rescripti; posteriora Decreti nomen tulerunt, et ista recentioribus temporibus passim pro Mandatis Cancellariae inproprie profecto haberi, nominarique coeperant, quando utriusque generis mandata semper, vel uti praemissum fuit, e positivo Regis jussu procedunt, vel certae innixa normae, analogis casibus praescriptae, dum Regis conspectum Protocolla subeunt, subseque Ejus annutu firmantur, interdum etiam ex Ejusdem arbitrio mutationem sortiuntur.

§. 657.

Regimen in Hungaria.

Ancillabatur praeprimis recentius enata haec compellatio illis, quibus principium alibi adinventum: „le Roy regne, et ne gouverne pas" nostrae quoque Constitutioni appingere, et Regem Hungariae a regimine distingvere placuit; Principium inquam ad optimas etiam, ac salutiferas Principis ordinationes, regiamque auctoritatem callide velato Regiminis nomine vellicandam, admodum oportunum, certe malevole a multis ea intentione propugnatum; quale tamen apud nos receptum, agnitumque fuisse, commentum est, quod leges, usus perpetuus, atque nostra omnis aevi historia falsitatis aperte condemnant.

§. 658.

A Rege separari nequit.

Non regeram in probam hujus mei asserti, quae huc faciunt, a me paulo ante prolata, neque leges adducam, tametsi cumulatissimae praesto sint, a primis Monarchiae initiis conditas; non denique morem veterem, quo Reges,

ipsi in Consilio praesidebant, litesque dirimebant, cujus luculentum adhuc Ferdinando I. Sceptra moderante non deest vestigium. Sane posteaquam omnis experientia testatissimum reddidit, universim Regni incolas ad Regem se directe convertere potuisse, et reapse id continuo egisse, nil certe, si secula ad ultimam eam usque epocham, ad quam praesens lucubratio se extendit, respiciam, nil quidem hanc in rem Tripartiti effato clarius, ac verius dici potuit, quam simul Imperium cum regimine ad Regem pertinere [a]).

§. 659.

Cancellaria erat semper locus authenticus.

Inter loca fide digna, ut nobis loqui moris est, credibilia, aliquando etiam testimonialia Cancellaria quoque Hungarico Aulica quam maxime censebatur. Illam enim cumprimis conservandorum Librorum regiorum cura respexit, quibus a Ferdinandi I. temporibus — nam antiquiores post internecinam cladem Mohácsiensem fato perierant, aut quo superi norunt, loco delitescunt — Privilegia, aliaque majoris momenti Documenta litteraria ad perpetuam rei memoriam inscripta cernuntur. Hic praeterea non minus, quam in caeteris locis authenticis actus solennes, ut sunt: amicae Conventiones, Testamenta, Fassiones, Plenipotentiariorum, Procuratorumque Constitutiones, ac alia hujus generis peragebantur; atque super his omnibus tam Litterae Testimoniales, quam Transumta authentica, a Rege subscripta, petentibus extradari sveverant, plenam ubique fidem habitura.

Caput II.

De Consilio Locumtenentiali Regio.

§. 660.

Instituti hujus initia, et causae.

Natales perennis cujusdam Regii Consilii in Regali

---

[a]) P. I. tt. 3. et P. II. tt. 3.

illo Senatu, Regiae dignitati coaevo [a]), deprehendimus (367). Utebantur nimirum Reges nostri ad communem Reipublicae salutem ex legum praescripto procurandam lectissimis primae dignitatis, atque eximiae considerationis sacri, ac profani ordinis Administris, quos in Aula constanter retinere, et cum Monarchiae suae ditiones peragrarent, non honoris solum, sed etiam conciliandi gratia comites itinerum habere proficuum videbatur. Erat praeterea jam pridem in more Regibus Hungariae — ut suo loco pariter vidimus — (217) si quando longiori tempore a Regno abesse cogerentur, Locumtenentes constituere, adjectis ex omni ordine Viris, qui vicaria potestate Regni gubernationem procurarent. Id postea communi Regis atque Ordinum consensu Mathia I. regnante, in publicam legem abiit [b]), quae nobis prima omnium Consilii cujusdam Locumtenentialis vestigia repraesentat.

§. 661.

Fata varia.

Providum nihilominus hoc Locumtenentiae Institutum, quamdiu Reges in Regno residere contigerat, in casum suae duntaxat absentiae ad tempus persistebat; tametsi Consilium Regium continenter perduraret [c]); At ubi istud per cladem Mohácsianam cum ipse Regno uno quasi in funere concidit, Ferdinandus vero sceptro subinde potitus, stabilem extra Hungariam sedem haberet, nihil fere frequentius urgebant Regnicolae, quam Consilium hungaricum pristinae dignitati, auctoritatique restitui [d]); fuitque talium petitionum in sequelam sub eodem adhuc Rege simile Collegium reapse erectum, cui Locumtenentes Regii aliquamdiu, dein hac ipsa cum dignitate, et nomine Regni Palatinus praesederunt *).

*) Utrumque duo nobilissima aevi illius documenta, tot inter discrimina servata, indigitant. Protocollum quippe Litterarum missilium (prouti easdem aetas ingenua vocare non adhae-

a) S. Stephani D. L. 1. C. 7.

b) 1485. 10.

c) 1518. 39.

d) 1542. 30. — 1582. 1. — 1588. 3. — 1608. 10. a. c. 1609. 12.

rebat) Consilii ad Regem Ferdinandum I. sub Locumtenente Paulo Várdai exaratum; nec non collationis Diploma, quod alias provocavimus (230), super Palatini munere Nádasdio collato. Subnecto ex hoc iterum ad majorem fidem dictis conciliandam, quae huc conferunt. „Nobis, rebus maxime dif-„ficilibus urgentibus, a Regno nostro remotius existentibus „negotiis, quae moram ulteriorem non admitterent, emergen-„tibus, cum Consilio fidelium nostrorum Consi-„liariorum, qui praeter ordinarios Consiliarios nostros „adminus sex: ex Praelatis videlicet duo, ex Baronibus toti-„dem, et ex Nobilibus similiter duo nostris sumtibus penes „eundem (Palatinum) semper intertenebuntur. Quorum sci-„licet similiter Consilio Regni nostri Hungariae, et Partium „sibi subjectarum negotia geret, et administrat, inter quos „etiam ordinarii Consiliarii nostri, qui Palatinum ipsum pro „occurrentibus eorum, et Regni nostri necessitatibus, vel „Posonii, (quae Civitas locus, et sedes administrationis suae „esse debet) vel alibi pro temporum, et rerum nostrarum „necessitate agentem accesserint, in Consilio suum semper „locum, suamque Sessionem, et vocem habeant, pro unius-„cujusque dignitate, honore, et statu." etc.

§. 662.

Usque tempora Caroli VI.

Itaque a veteri isto Consilio, quod Regis loco, dum abesset, negotia procurabat, citra dubitationem repetenda est demum Locumtenentialis Consilii Regii origo, illius tamen activitas injuria temporum instabilis admodum, ac praesertim Leopoldi I. tempore vehementer labefactata [a]), inter domesticas procellas quasi penitus evanuit, donec tandem sub Carolo Imperatore legalem, ac stabilem consistentiam nancisceretur.

§. 663.

Hujusce Dicasterii Scopus.

Anno igitur seculi prioris tertio supra vicesimum ex mutua Regis Statuumque consensione compluribus legum articulis [b]) Consilium Locumtenentiale Regium,

---

[a]) Conf Palma Notit. rer. hung. T. 3. p. 341. cum Belio in not. nov. Hung. T. 1. p. 435. et seq.

[b]) 1723. 97. usque 102.

nuper abolitum, coaluit; per quod Regia Majestas executivam potestatem, qualem Eidem propriam esse dispeximus (320), in politicis negotiis ordinarie exercebat; ut adeo ex isto praecise obtutu leges illae organicae, atque aliae serius conditae processerint, quae auctoritatem, et obligationes hujusce Consilii definiverunt, indeque omnis ejus ad Regem, et Regnum relatio metienda sit.

§. 664.

Ad Regiam Majestatem relatio.

Haec principaliter in eo substitit, quod Consilium Locumtenentiale a summo Principe, nemineque alio dependeat [a]), supremumque sit rei politicae in Regno dirigendae Dicasterium [b]); primum universi Regni αὐτονομίαν contingit, illudque secumfert, ut referenda, aut proponenda via quidem Cancellariae hungaricae, ast immediate Regiae Majestati submitteret; eademque via responsum, ac mandata jam medio Decreti, jam per Rescriptum consequeretur. Dein id quoque, quod mutuum licet cum reliquis Dicasteriis in Regno, vel caeteris Imperatoris ditionibus negotiorum commercium foveret, nullius attamen decisione in his, quae suam contingunt agendorum provinciam, ligaretur, verum unius duntaxat Regis ordinibus.

§. 665.

Ejusdemque per Regnum.

Suprema vero rerum politicarum directio eidem non modo per Hungariam, verum in Provinciis quoque huic adnexis ex legibus delata [c]), in universas Regni Jurisdictiones ecclesiasticas, ac civiles sese exporrexit, puta Dioecesium Antistites, Comitatus, Civitates liberas, Districtus privilegiales, atque Gubernium Fluminense. Non secus ad litteraria, et reliqua Instituta publica; ad Capitula demum, Religiosorumque Contubernia. Unde suapte

---

a) 1723. 101. — 1741. 11. — 1791. 17.

b) 1790. 14.

c) 1790. 58.

consequitur: universa haec Collegia, atque Instituta vicissim ad Informationes, quas dirigens istud desideraverit Dicasterium, reddendas, atque ordinationes, quas dederit, effectui mancipandas omnino obstringi, legali Comitatuum systemate, quod inferius dispicietur, his nil officientibus, illaese permanente.

§. 666.

Agendi potestas.

Activitatem hinc profluentem, legibus Regni generatim definitam, luculenter, atque explicate describit cumprimis Instructio Imperatoris, et Regis Francisci I. [a]). Ex hac disces in specie, quas in civili regimine, et quibus in negotiis partes obeundas habuerit, quae Praesidis, quae Consiliariorum Jura, ac munia; quae officia caeterorum Individuorum; et quis demum tractandorum in Consilio negotiorum modus. Cui, si excipias Cancellariae, Camerae Regiae, Regni Judiciis, Praefecturis militaribus propria, reliquorum omnium civilium objectorum vel immediata cura, effectusque, vel superior Inspectio, et directio concredita erat.

§. 667.

Ampla quidem.

Sphaeram proinde agendorum Consilii Locumtenentialis, ut eam in nuce designem, fuerat: I. Res Tributaria, et ob quam ista introducta est, militiae intertentio, ac dislocatio. II. Jura Principis circa sacra, et varias in Regno Religiones. III. Educatio, atque Institutio, huicque connexa res litteraria. IV. Suprema quarumvis publicarum Fundationum, Institutorum, Fundorum item fundationalium directio. V. Cura eorum, quae ad sanitatem, Censuram Librorum, ac politiam reliquam referuntur. VI. Objecta Comercii, et Oeconomiae publicae, quo regulatio fluminum, canalium, riparum, viarumque structurae, telonia, nundinae, et silvarum custodia accensentur. VII. Rei tam

---

a) Data Anno 1801. die 31. Decembris.

postalis, quam VIII. Pupillaris superinspectio. IX. Nobilitatis legitimatio. X. Urbarialium quaestionum diremtio, denique caetera, quae tuitionem, vel conservationem incolarum, vel fundi contributionalis contingunt.

§. 668.

Sed Regi subordinata.

Ex his protensam quidem Consilii potestatem cognoscere poteris, vicariam tamen, quod vel nomen, et indoles Locumtenentiae satis designat, et a Rege — ut diximus — pendentem; quare mandata Regia, qua subordinatum exequens Discasterium ad Jurisdictiones, et subordinata Instituta dimittere, utque debite effectui dentur, districtim omnino intendere tenebatur. Quemadmodum vero executiva potestas legibus Regni conformiter a Principe exercetur, ita Consilium etiam diserta mansit obligatio, diaetales conclusiones in effectum deducendi, et contra positivas Patriae leges nihil determinandi [a]), quaeve his adversa sunt, praecavendi, idque tanta cum libertate, ut adversus ipsa mandata regia occurrentes nefors reflexiones cum reverentia altissimo sistere obtutui lege obstringeretur [b]); insuper vero eidem expressis benignae Instructionis tenoribus concessum sit, pro re nata etiam Regni Palatini intermediationem expetere [c]). Cave nihilominus hanc facultatem eo extensam putaveris, quasi suprema Jussa impedire in ejus fuisset potestate, id enim non tantum legali Regni Constitutioni, et summae Regnantis auctoritati, verum omni rectae administrationi adversaretur. Si proinde allatis motivis Princeps a suis non recedat ordinibus, subordinati Dicasterii est, eisdem omnino satisfacere.

§. 669.

Quae praesente Rege suspenditur.

Quoties Regem longiori tempore in Regno morari con-

a) 1723. 102.
b) 1791. 14.
c) Cit. Instruct. de anno 1801. §. 2.

tigerat, quoniam sine publica jactura fieri vix potest, ut negotiorum publicorum tractatio interrumpatur, Consilio regio continuatio agendorum per mandatum speciale exercenda comitti solebat. Regis quippe absentis duntaxat causa institutum est, eoque scopo, ut esset, qui ejus nomine negotiorum curam gereret. Profluit proinde haec dispensatio ex natura Locumtenentiae.

§. 670.

Interna ejusdem coordinatio.

Quantum ad internum Statum constiterat — lege ita definiente — Consiliariis viginti duobus, e Statu Praelatorum, Magnatum, et Nobilium ex omnibus Regni partibus, sine religionis discrimine delectis, praesidebat Palatinus [a]), qua Regius Locumtenens; sedes ejus Posonii prius, postea Buda erat. Duodecim adminus Consiliarii Praesidio adesse debuerant [b]), quos, uti et Directorem Cancellariae, Cassarum Fundationalium Praefectum, item Superiorem, et Vice-Directorem Commissariatus Provincialis, Secretarios denique ad praeviam Consilii praesentationem, velut Regiae Majestatis nominationi reservata, Rex ipse, caetera vero Individua conceptibus concinnandis, ac describendis, vel rationibus revidendis, aut actis asservandis, inque ordinem redigendis adplicita Dicasterium votorum pluralitate pro attributa potestate constituebat [c]). Ab his Commembra adhuc excipe Collegii litterarii duplicis ordinis, tardius introducti, quorum unum gremialem Studiorum Commissionem nominare placuit. Revisoratus Officium alterum, velut revisioni librorum occupatum; illorum namque denominationem Principes sibi pariter retinuerunt.

---

a) 1723. 97. — 1741. 11. §. 6. etc.
b) Modo cit. 1723. 97. §. 4.
c) Vid. 1723. 98. et 100. ac Instruct. cit.

Caput III.

De Institutis Consilio Locumtenentiali Regio subordinatis.

§. 671.

Sunt haec duplicis generis.

Pro perficiendis his multiplicibus, ac gravibus negotiis praeter Officia Protocolli, Expediturae, Regestraturae, Exactoratus receptis nominibus sic adpellari solita, non desunt plura adhuc, et pro objectorum varietate, varia, munia, collegia, atque Instituta, in adjutorium, debitumque effectum agendis procurandum, vel objecta technica, e re propriae artis uberius eruenda, et illustranda, intra ipsum Dicasterium vel extra illud sua provincia defunctura.

§. 672.

Commissariatus Provincialis.

Quoad rem tributariam in specie, cujus urgendae, incassandaeque cura antiquitus Regios Perceptores, sive Dicatores, et in Comitatibus Centuriones *) manebat, providentia Caroli VI. Commissariatus Provincialis eundem cum Consilio Locumtenentiali Regio ortum reperit [a]), suo cum Directore, seu Praeposito, ejusdemque vices gerente, quos ambos Consiliarios de gremio, et illum una Magnatem esse oportebat [b]). His subordinantur de statu equestri Provinciales Commissarii decem per universum Regnum, hoc ex obtutu in totidem Districtus divisum **), collocati, unde etiam districtuales vocantur. Qui omnes, proponente antea Consilio Locumtenentiali, nominationis regiae sunt, et Salarium e quotta Contributioni adjecta desumunt.

*) Singulos Comitatus ad accuratius colligenda tributa publica in Centurias aliquando fuisse distributos, unicuique Centuriae vero Centuriones praefuisse, quorum muneris erat, pecunias ab eadem hoc titulo colligere, Comitique Comitatus

---

a) 1723. 100

b) Cit. 1723. 100.

resignare, Strigonium ad Festum Michaelis submittendas, docet Colomanni Decretum [a]).

**) Quatuor sub initium, mox septem, postremo jam decem Districtus similes definiti sunt, pro ratione auctae populationis, majorisque extensionis; nam et per Banatum Temesiensem tres Comitatus, tum oppida Scepusiensia, et Sclavoniae, ac Comitatus Bacsiensis notabiles plagae accesserunt.

§. 673.

Agenda quae sint?

Iisdem Comitiis, quibus Commissariatus hic erectus erat, instructionem quoque pro eodem elaborare visum fuit, subinde regia auctoritate confirmatam. Extendit se ista I. Ad curam eo impendendam, ut quae circa Contributionem legali modo praestituuntur, effectui mancipentur, quotta itaque Militiae obveniens, rite, ac in tempore dependatur. II. Ad systema militiae, intra Regni limites dislocandae, ex aequo, et provida cum circumspectione elucubrandum. III. Ad vigilantiam, quo militiae tam in stativis, quam per Regnum transeunti intertentio, et vecturae provinciales, a praejungendo, praejuncturarum nomine venientes, secundum regulamentum militare subministrentur inito super cunctis istis cum Magistratibus civilibus, ac militaribus computu, utque in alimentis, vecturis, atque aere parato a Contribuentibus praestabantur, debite imputentur, praepediendo omnimode, ne injusta onera, exactionesque subrepant, ne Populus praeter Juris praescriptum ad praestationes faciendas adigatur; atque ut litibus, ac jurgiis, si quae milites inter, ac provinciales locum caperent, in tempore finis imponatur, quo non succedente, altior auctoritas decidit.

§. 674.

Instituta reliqua.

Non minus aderant ad negotia ecclesiastica, prout et piarum Fundationum politica, et oeconomica; ad objecta educationis, institutionisque litterariae enucleanda, ac prae-

---

[a]) L. 1. C. 79.

paranda binae gremiales Commissiones, Ecclesiastica videlicet, et, quam supra dixeram, Studiorum, dein regiae Studiorum Directiones penes Academias per Regnum collocatae. Ad Bonorum Politico Fundationalium Oeconomiam procurandam, neque actu desiderantur oeconomici Praefecti cum caeteris Officialibus; pro Juridicis Causarum Director, et Causidici, quos Forum Fiscales dicit; in adjutorium demum administrandae Rei aedilis commercialis, postalis, censurae, sanitatis, facilitandae navigationis, oeconomiae publicae Directio hydraulico - aedilis, Praefecturae Postarum, Proto-Medicus; sed Revisores Librorum, Censuraeque praeventivae Collegium abolita sunt.

§. 675.

Gubernium Fluminense.

Nulla autem ratione Gubernium regium Fluminense, ac totius Littoralis hungarici hic praeteriri potest, per Augustam Mariam Theresiam Praeside Gubernatore cum primario, caeterisque Assessoribus erectum (38), subjectumque in objectis cathegoriae politicae Consilio Locumtenentiali Regio, non item quoad stricte maritimo-commercialia, et lites cambio-mercantiles, vel Consulatus maris. Reliqua Officia Fluminensis Gubernii, horumque agenda referre jam non expedit, quae alioquin ex eorundem nomenclatione facile divinare licet.

Caput IV.

De Jurisdictionibus Regni publicis.

§. 676.

Quid Jurisdictio in genere?

De Jurisdictionibus Regni publicis ante omnia quid nobis hoc significatu veniat, sive potius venerat, explicandum esse video. Jurisdictio enim sensu communi, magisque objective pro potestate sumitur, publicam, privatamque Civium felicitatem legalibus, et idoneis modis procurandi, atque sic definata pro activitatis, limitumque diversitate eminens est, vel delegata ordinaria, vel extra-

ordinaria, ecclesiastica sive sacra, vel profana; ista vero iterum in politicam, cameralem, juridicam, militarem, et quae harumce subdivisiones restant reliquae, secerni solet [a]).

§. 677.

Jurisdictionum Regni publicarum.

At vero nostro vulgari, et proprio loquendi more, nomine publicarum Regni Jurisdictionum corpora intelligimus moralia, nulli privatae potestati subjecta, quae auctoritate, in ipsa Regni Constitutione radicata, per se suosque legitimos Magistratus publicam administrationem, advigilando simul legum effectui, ac sanctimoniae, intra ambitum sui territorii prosequuntur. Activitatem hanc cunctarum Regni Jurisdictionum Diaeta anni 1848. usque futuram legis provisionem intactam reliquit, non item reliquam sive compagem, formamque, seu occurrentium negotiorum pertractationem, pro quibus temporaneas, usque futurum Regni conventum mutationes sanxerat, suo loco memorandas.

§. 678.

Attributa essentialia.

Ex hinc essentialia quae fuerint antea, et publicis tantummodo Regni Jurisdictionibus singularia attributa, citra haesitationem in sequentibus licet defigere, quod nempe I. Legalia essent executivae potestatis organa, unaque II. Fideles avitorum Institutorum, ac legum conservatores. III. Quod liberis suffragiis suos ipsi deligerent Magistratus, quibus cum unum idemque corpus morale effecerant, junctisque invicem viribus politica, juridica, oeconomica quoque ad sui gremium attinentia, et in casu Insurrectionis, vel si tyrones statuendi, hujus quoque speciei negotia legum, et altiorum ordinationum in obsequium, inque Patriae defensionem operarentur.

§. 679.

In executione altiorum Ordinum.

Character, quem primum posui, secum fert, ut intra

---

[a]) Conf. Kelemen Op. cit. L. III. P. I. C. I. §. 730. et seq.

fines proprii territorii via duntaxat harum Jurisdictionum mandata regia, Regnique dicasteriorum ordinationes effectui tradendae sint; neque alteri exequenti, nisi prorsus extraordinarii eventus hoc inevitabiliter deposcant, citra Constitutionis violationem credi valuerint; illae vicissim ad legum, et altiorum Ordinationum observantiam, eorumdemque implementum, quam diligentissime manutenendum, ac procurandum, eatenus responsioni obnoxiae, obstringantur. Unde ad partes illarum pertinebat, non tantum continuum Litterarum commercium cum superioribus Regni Dicasteriis fovere [a]); verum quandoque directe a Principe mandata recipere, et suas jam Eidem immediate, jam ad Regium Consilium relationes praestare.

§. 680.

In vigilantia legum.

Alterius vis, et efficacia in Jure remonstrandi consistit, inque facultate gravamina ad Regni Conventus deferendi, si quid in altioribus Ordinationibus contineretur, legibus aut Regni totius, vel privatis suis, suorumque rationibus juxta earundem opinionem adversum, salva semper homagiali veneratione, mandatis legitimi Regis debita. Nulla igitur ratione, si Princeps ab iis non recedat, obsequium Regni Jurisdictiones denegare audent, non solum ideo, quoniam Regiae Majestati obedire caeteroquin subditus omnis tenetur (426), verum etiam, quia jam per se satis conciliari non potest, atque contradictorium apparet, ut per quos supremae rectoriae potestatis dispositiones ex Regni constitutione proprie tantum effectui dandae sunt, iis nihilominus fas sit, sibi commissa suo pro judicio, et arbitratu explere, vel renuere.

§. 681.

Et negotiorum publicorum administratione consistunt.

In vigilantia itaque, executione, et publicorum varii

---

a) Conf. 1723. 112.

generis objectorum administratione ambitus omnis ejus potestatis consistit, quam publicae Regni Jurisdictiones eo cum temperamento, quale illis ex usu perpetuo, menteque Constitutionis praestitutum indicavi, jure suo per secula exercuerant. Quin in earundem staret arbitrio, hos limites transcendendo, in legibus dispensare; vel talia decidere, suscipere, et obligative praescribere, quae vel altioris solummodo potestatis sunt, vel legislationis materiam constituunt. — Nam etsi Statuta, in suo gremio observanda, cum Regis annutu valide condere permitterentur, obnoxia tamen legislativae, et executivae potestati a tramite legum, normaque sibi praescripta sua auctoritate qualem qualem in partem deflectere. nullo absolute tempore licebat. Quantumcunque hac nonstra, froenum omne indignante, aetate proh dolor! non una alterave Regni Jurisdictionum, quod, nisi facta, in omnium recordatione posita, abnegare velimus, fateri cogimur, immemor illius suae obligationis, quae in legum custodia, atque altiorum observantia mandatorum consistit, hos limites perrumpere non tentaverit modo, verum transcenderit etiam.

§. 682.

Quae igitur Jurisdictiones hoc nomine veniunt?

Ex hac Jurisdictionum Regni publicarum adumbratione haud difficulter jam assequimur, strictiori Juris nostri publici intellectu in earundem numero non quamvis sine discrimine Communitatem, licet privilegiatam, neque Tribunalia promiscue, aut Dominia terrestralia subintelligi, tametsi his omnibus species Jurisdictionis, ex lege sibi competentis, patuerit, verum solummodo universis praemissis characteribus in complexu vestitae. Et quidem eminenter Regni Comitatus, postea liberae Regiaeque Civitates, atque tali Privilegiorum favore exculti Districtus Jazygum, et Cumanorum, Oppidorumque Hajdonicalium, quibus cunctis Jus quoque medio suorum Repraesentantium ad Comitia interveniendi vel ex antiquissima consvetudine, vel per disertam recentiorem diaetalem sanctionem competere supra demonstratum fuit.

Caput V.

De politica Comitatuum Administratione.

§. 683.

Argumentum hujus Capitis.

De Regni Hungariae partitione in Comitatus, deque horum juxta, ac Supremorum Comitum exordiis dictum est suis locis: qualis autem tunc veteris hujus Instituti forma, ac systema fuerit, quas dein vicissitudines per diversa temporum intervalla subierit, quaeve viguerit quavis epocha negotiorum, in Comitatibus tractandorum, ratio, quae interna singulorum constitutio, quorum omnium pars maxima in conjecturis subsistit, thema — cedo — non injucundum penitius ingredi, atque discutere non est consilii nostri; quanta igitur veritate nitantur, quae de illis Franciscus Adamus Kollár [a]), Pray [b]), atque complures [c]) tradiderunt, lubens iis relinquo pervestigandum, quibus ad Patriae Historiam illustrandam illud prosequi in animo, ac deliciis fuerit.

§. 684.

Congregatio Comitatuum.

Uti vero Comitatus modo provisorio adhuedum persistere sinebantur (§. 677.), eorum quivis pars est, seu provinciola quaedam, in plures districtus, aut — usitatiori nostra loquendi formula — Processus tributa, cujus gremialis nobilitas corpus Statuum, et Ordinum junctim efficiens suo cum Magistratu, subque legali Moderatore publica negotia, causis civilibus, et criminalibus demtis, quae — ut suo loco redibit — in sede Comitatuum Judiciaria cognoscuntur, reliqua tam politica, quam oeconomica, re tributaria minime excepta, ex veteri instituto, et libertate, ab ipsis propemodum Regni cunabulis occurrente [d]), in

a) In Hist. Jur. Publ. Amoenit. Volum. utroque.

b) Pray in Notit. ad Hist. Hung. p. 73. et seq.

c) Nominatim Katona Hist. Crit. T. 1. p. 86. et seq. Kovachich in Not. Comit. Bolka not. dipl. vet. Const. Comit. — Math. Bél. — Timon. — Piringer etc.

d) Colom. D. L. 1. C. 28.—36.—37.

publicis Conventibus pertractabat, cumque in his, quos jam aetas Sigismundi Congregationes vocavit [a]), praeter ordinarium Magistratum universus coetus Nobilium cujusvis gradus, et ordinis, qui in gremio vel degunt, vel bona possident, cum Jure suffragii comparere posset, haud immerito titulo Universitatis Praelatorum, Baronum, Magnatum, et Nobilium non modo ipse in propriis scripturis uti consvevit, verum ab aliis quoque honorabatur, quod tamen de generalibus solum Congregationibus intellige, ad quas nempe pro gravitate, ac indole objectorum tota Nobilitas convocatur; nam ad minoris momenti, vel urgentia definienda Nobiles, qui in promtu haberi possunt, invitati, cum Statuum, et Ordinum titulo in particularem Congregationem conveniebant.

§. 685.

Objecta eo spectantia.

Ad generalem Congregationem praeprimis spectabat: I. Publicatio Articulorum diaetalium, Mandatorum regiorum omnis generis, et Intimatorum Consilii Regii Locumtenentialis, horumque executio. II. Electio Magistratus Comitatensis [b]) ac Nunciorum diaetalium [c]). III. Comitialis Instructionis elucubratio. IV. Subrepartitio onerum publicorum. V. Omnis extraordinaria ad aerarium proprium assignatio. VI. Armalium, vel aliorum Privilegiorum divulgatio [d]). VII. Promulgatio vel elargitio Litterarum de Nobilitate testimonium praebentium, aut a privatis Jurium suorum in cautelam praesentatarum, desideratarumque. VIII. Relatio Chirographorum in publicum Protocollum [e]), vulgo Intabulatio. IX. Superinspectio rei pupillaris [f]). X. Determinatio actionis publicae ex ratione perpetrati criminis, sive alterius delicti. XI. Quaerimoniae privatorum, quatenus ad judiciariam discussionem non pertinent, saepe eo derivandae. XII. Cura denique Politiae publicae, Contributionis, et Cassarum.

a) 1435. 7.
b) 1723. 56. — 1729. 15.
c) 1625. 62. — 1723. 7.
d) 1630. 30.
e) 1723. 7.
f) 1764. 26.

§. 686.

Quorsum etiam cura Politiae.

Respectu Politiae publicae ad Comitatus proprium semper spectabat officium invigilare structuris molarum, ne alteri noceant, prout et Conservationi Silvarum [a]), viarum, et pontium; prospicere securitati publicae, reique sanitatis; intendere decimatoribus [b]), migrationibus colonorum [c]), teloniis, eorumque exactoribus [d]); quemadmodum et mensurarum, ac ponderum aequalitati [e]); rerum venalium primae necessitatis pretia defigere, eorundem hac activitate ad liberas quoque civitates extensa [f]), oppressionem undecunque intentandam reprimere [g]), ut non adferam huc adhuc pertinentia, ac praemissis adfinia, quae longum esset singillatim percensere.

§. 687.

Rei Contributionalis.

Contributionis porro repartitio, ejusdem exactio, et Cassae administratio, quae profecto summam tutelam, et curam desiderant; res etenim ipsa loquitur, necesse evasisse, ut suo cum Magistratu publicum, cujus curis res tributaria incumcebat, per se ipsum quoque sedulo provideat, ne quis contributioni obnoxius ab illa eximatur; ut aequa sit inter eos repartitio; sincera, et tempestiva in libellos inscriptio; exigatur tempore, ac modo minime Contribuenti molesto; neve inutiles, aut vetitae fiant erogationes, quibus etiam honoraria Militiae in stativis existenti tribui solita accensetur. Ut rationes suo tempore reddantur, redditae intra bimestre spatium revideantur, et restantia ad eam reparandam cum effectu adigatur [h]).

---

a) 1807. 21.
b) 1411. 6.
c) 1435. 7.
d) 1723. 15.
e) 1807. 22.
f) 1715. 79.
g) 1715. 101. et 1723. 18.
h) 1723. 63.

§. 688.
Et Cassarum pertinet.

Duae sunt autem in quovis Comitatu cassae, contributionalis scilicet, sive militaris una, et altera domestica, inter se nequaquam confundendae. In illam infertur contributio proprie sic dicta, intertenendo per Regnum militi regulari in comitiis decreta; haec ad sustentandas domesticas Comitatus necessitates deservit; ejus generis sunt: Magistratuum, et Officialium salaria, diurna etiam, si gremium publici causa excedere debent; Conventiones servitorum; sumtus ex capite politiae, ac securitatis, commodique publici necessarii; subsidia praestanda sortem calamitosam, ut sunt: incendia, contagiones, tempestates, jacturamque graviorem expertis; erogationes in captivorum intertentionem; in aedium publicarum structuras; et quae sunt reliqua. Accedebant interdum Cassae temporariae: velut insurrectionalis subsidiorum, aliaeque.

§. 689.
Modus negotia publica.

In generalibus Congregationibus ante omnia initium fiebat ab illorum relatione, quae in proximo ab hinc conventu in effectum deducenda, vel investiganda disponebantur; tum ad vulgandos altiores ordines, et reliquas correspondentias (voce, usu recepta, utor) deinde ad particularium Congregationum intermedio tempore celebratarum revisionem, et authenticationem procedebatur, atque reliquas agendorum species, quas jam utcunque recensui; demum petitiones privatorum, et documenta ad perpetuam rei memoriam, vel in Jurium sustentationem deservitura, in pertractationem venerant.

§. 690.
In Comitatibus pertractandi.

Ex his similibus tamen agendis, ut rite decidantur pleraque praevie investiganda, pervolvenda, aut in systema redigenda sunt; quem in finem, mos invaluit, coetus minores — usitato vocabulo Deputationes — con-

stituere, partim continuas, quales in exemplo sunt: oeconomicae, et orphanales, vel occasione quadam speciali, non pauca etiam, tamquam minoris momenti, vel quod moram non ferant, aut peculiarem deliberationem neque deposcant, in particularibus Congregationibus assumi consvevisse praemiseram *). Cujus tamen in potestate non erat generalis Conventus sanctionibus derogare [a]), imo. quae illa determinavit, iste justis e considerationibus haud infrequenter immutare poterat, nec particularis Congregationis decisa, antequam per generalem ratihabeantur, robur continuae firmitatis sortiuntur.

*) In exemplo Militiae, vel publicorum transportuum, per Comitatum proficiscentium, accommodatio, aut promotio publicationes rerum perditarum, terminorum edictalium, vagabundorum, aliorumve suspectorum, vel profugorum, aut collectio charitativarum Simbolarum ab altiori loco admissa.

§. 691.

Conclusaque ferendi.

Intra debitae activitatis limites votorum pluralitate conclusa, protocolloque illata, etiam pro absentibus vim obligativam exerebant. Quum autem in omni Republica rite ordinata, nulla sit Regiminis pars, quae supremam Principis summi inspectionem, et revisionem efficacem excludat (444), mirum non est, haec quoque Comitatuum Protocolla Regiae Majestati, jure per usum ipsum comprobato, medio Supremi Comitis substerni debuisse.

§. 692.

Singulares Comitatuum Praerogativae.

Praeter Jus Statuta condendi, et Judicialem Administrationem tam civilem, quam criminalem, quam Jurisdictionibus Regni ex indole attributam vidimus (681), habent Comitatus singuli Archivum [b]), Sigillumque authenticum [c]), a Regia Majestate concessum; Congregationum auctoritatem per indecens dictum, aut factum laedere attentans,

a) 1723. 58.
b) 1765. 11.
c) 1550. 62.

sedis violationi, poenisque per leges complures [a]) obnoxius declaratur *): Curiae, sive Praetoria Comitatuum ab omnibus oneribus publicis immunia sunt; Jura tamen curialia. quae regalia vocant, exercere in illis vetitum est [b]); habet denique vexillum [c]) quilibet Comitatus proprium, sub quo signo, ingruente casu Insurrectionis, gremialis Nobilitas arma capiebat.

*) Ad sanctimoniam loci eo fortius communiendam Decreto Mathiae I. [d]) vel ingredi aedem Comitatus judiciariam armato non licuit, Articulus autem in Decreto primo Uladislai II. occurrens [e]), ad priorem sanctionem, totidem verbis repetitam, insuper decernit „ut ingredientes Nobiles, et alios cujus- „cunque status homines ad sedem judiciariam cujuscunque „Comitatus intra ambitum Regni, vel de eadem Sede ad „propria regredientes, in ipsa Sede, aut in eorum itinere, „quicunque turbare, molestare, verberare, vel interficere prae- „sumserint, nota infidelitatis alias consveta convincantur.“

§. 693.

Munia Supremi Comitis.

Caput, et Moderator Magistratus, totiusque provinciae Supremus Comes [f]) negotia publica, curae suae comissa, pro munere quidem suo, regia tamen auctoritate administrat, ejusdemque officium, quod innumera monumenta probant *), Constitutioni coaevam regiae collationis est [g]), in quod neonominatum post acceptum a Principe Diploma per Delegatum, sive Commissarium Regium, nisi eatenus dispensatio interveniat, solenniter introducere ad recentissimam memoriam usuveniebat, munere suo deinceps plena cum potestate defuncturum. Occasione horum auspiciorum juramentum, quod antea Supremi Comites coram Regia Majestate nuncupabant [h]), tardius secundum

---

a) P. II. tt. 69. 1435. 7. 1486. 58. 1492. 67. — 1635. 89. 1649. 94. et cumprimis 1723. 57.

b) 1723. 73. §. 4.

c) 1595. 17. — 1741. 63. §. 19.

d) 1486. 65.

e) 1492. 79. §. 3.

f) 1723. 56.

g) 1553. 30.

h) Art. mox cit.

praescriptam formam Regi, legi, et quem adeunt, Comitatui coram hujus Universitate palam praestare in morem abiit. Cuncta haec valent etiam, si Supremus Comes haereditarius sit, ubi autem ordo minorem aetate respiceret, Regis est huic, prout et alteri per provectiorem aetatem, valetudinem, vel aliis e rationibus impedito Vicarium, seu Administratorem substituere. Caeterum officium Supremi Comitis vita durante licet, continua praeteritorum memoria, perpetuum *), tamen nil impedit, quin is propter excessum graviorem, cujus cognitio ad Regem pertinet, ab illo amoveri queat [a]).

*) Emanasse Collationes Regias hujusce dignitatis ad Regis duntaxat beneplacitum restrictas, nominatim Ferdinandi I., quarum altera Georgio Drágffy, altera Georgio Báthory, utraque de Comitatibus mediocris Zolnok, et Crázna sonat, libros regios, quorum jam meminimus, inspicienti patulum fit; quod in pertransitu annoto.

§. 694.

Ad negotia politica.

Quaenam dotes in conferenda hac dignitate respiciendae sint, alibi recitavi (510). Partes vero hujus eximii muneris varias, ac multiplices singillatim describit instructio legibus innixa [b]), quam dum expendo, video nullam esse propemodum administrationis publicae partem, in qua Supremorum Comitum auctoritas, et vigilantia versari non debeat; utpote qui — quod lex diserte exprimit [c]) — tam politicorum, ac publicorum, quam etiam justitiae administrationis curam sibi principaliter commissam habent. Resultat inde praeprimis obligatio legum, et altiorum Ordinum effectui; tum publicae, ac privatae tranquillitati; tutelae rei pupillaris; conservationi viarum, pontium, aedium publicarum; atque — ne longus sim — iis omnibus esse intentum, quae circa hanc gerendae Reipublicae speciem Comitatibus, quibus praesunt, exequenda, servandaque in continenti exposui.

---

a) 1536. 36. 1538. 27. §. ult. et 1723. 56. §. 1.

b) De A. 1768. vid. Bél not. rer. Hung. T. I. p. 57.

c) 1723. 56.

§. 695.

Juridica.

Parem etiam Moderatoribus Comitatuum in judiciariis provinciam leges imposuere. Praeterquam enim quod eos reapse Jus — quod adversus omnem legum nostrarum spiritum, atque intellectum nuper nonnullis in controversiam revocare libuit — Sedibus Comitatus judiciariis praesidere ex mente primaevae institutionis indubie respiciat, imo ad id ipsis collationum litteris, hanc obligationem expressis verbis imponentibus, nisi justa de causa praepediti — districtim obstringantur [a]), illos generatim cura manet, ut relate ad lites cujusvis generis justitia debite, et in tempore administretur. Ad quod facilius praestandum Tabellae universarum tam civilium, quam criminalium causarum, coram Comitatu decurrentium, captivorum item condemnatorum, vel lite deflua in custodia existentium, statis temporibus eorum inspectioni sistuntur.

§. 696.

Cassalia, et Oeconomica.

Idem fere obtinet relate ad exactionem Contributionis, nec non fidelem cassarum, aerisque, eo pertinentis, custodiam, ne scilicet erogationes superfluae locum capiant, ne accumulentur restantiae. ne clandestine quaepiam cassae subrepant, vel privatae ratiocinantium cum pecuniis publicis speculationes. Ad similes proin errores vitandos de cassae statu, institutaque ex improviso visitatione, tabellares informationes, ac quoties necesse videbitur, extractus perceptorales Moderatori exhibere praescribitur.

§. 697.

Atque reliqua Praesidii Consectaria se diffundunt.

Profluunt haec agenda utcunque ex ipsa Moderationis, Praesidiique natura, quemadmodum etiam Congregationibus terminum praefigere, Sessionem indicere, et solvere;

---

a) Vid. cit. Instruct. Supr. Comit.

seriem objectorum isthic assumendorum determinare; ordinem, decorem, locique sanctimoniam tueri; electionem Magistratus, seu Sedem restauratoriam quovis triennio, quem terminum leges defixerunt [a]), servare, Subsellia autem, intermedio tempore vacua effecta, interimali Surrogatione explere; Judices Nobilium — ratione servitii svadente — de uno districtu in alium transponere; investigationes denique, relationesque Magistratui concernenti injungere: qui cum caeteroquin omnis ab immediata eorundem directione dependeat, si quem gravi culpae semet obnoxium reddere contingat, ab officio quoque defungendo suspendere. Quae omnia leges, et avita consvetudo majorum auctoritati, munioque Supremorum Comitum adjunxerunt.

§. 698.

Vice-Comitum existentia pervetusta.

In Magistratu comitatensi, quem generatim e Statu Nobilium, Dominis terrestribus nullatenus obligatorum, et — si modo fieri potest — possessionatum constitui, copiosae jubent leges [b]) aerae ante actae, ast moderna liberalior Regni incolas sine discrimine munerum quorumvis gerendorum capaces reddidit [c]). primus ordine, et dignitate Vice-Comes est, qui nomen istud e fine suae institutionis utcunque jam a primis Regni initiis *) accepti: ejus enim et originetenus illa fuerat destinatio, ut Supremo Comiti adjutricem una, ac vicariam operam praestet.

*) Nominant diserte Vice-Comitem Litterae S. Stephani Fundationales anno 1037. Monasterio Bakonbél datae [d]), aliae item dupplicis ordinis Abbatiae S. Adriani de Szala per eundem Stephanum, et Ladislaum I. Reges concessae [e]), Vice-Judicum aut parochialium (qui utique a Comite Parochiano distincti erant) saepe etiam Curialium Comitum nomenclatione utuntur, et per hoc munus Vice-Comitum designari, vel ex Bulla Aurea verosimile fit [f]).

a) 1723. 56. §. 2.

b) 1471. 15. 1492. 80. 1504. 2. 1723. 56. §. 3. 1729. 15.

c) 1844. 5.

d) Ap. Katona Hist. crit. T. I. p. 441. atque alios.

e) Id. op. et Tom. cit. p. 313. et T. II. p. 567. et ap. Batthyánium loc. cit.

f) 1222. 5. Conf. Pray in Hist. Reg. Hung. not. praev. §. 22. et Bolka not. Diplom. Vet. Const. Comit. p. 117. et seq.

§. 699.

Quos antiquitus Supremi Comites nominabant.

Officium istud diu satis non electione, verum Comitum Parochianorum denominatione fuisse collatum, lex Mathiae [a]), et hoc vetustiora diplomata *) demonstrant. A Vladislai tamen II. temporibus frequentius statuerunt leges, Vice Comitem non absque consensu Statuum [b]), ast per Comitem una, ac Comitatum eligi [c]). Quia vero omnia, quae recentiori praesertim aevo huic muneri agenda accreverunt, rite, ac in tempore explere non est unius, tametsi vigilantissimi, ac summe industrii hominis, provisum postea fuit, unum quidem ordinarium, et in postemum Vice-Comitem in quovis Comitatu persistere, cui nihilominus pro exigentia necessitatis, quam sensim cuncti propemodum persentiscere coeperant, Substitutus adjungatur [d]).

*) In Decreto anni 1291., a nobis saepius e Kovachichii laudato opere [e]) in rem nostram adhibito, cavet Rex Andreas III. art. 4. „Se non passurum, ut Barones in Parochia „sua, vices Judicatus acturos, ignobiles con- „stituant.“ Idem jus Vice-Comites nominandi Decreta paritionis Sigismundi, et Vladislai II., queis ille Comitatui Sümeghiensi Stephanum de Kanizsa, Iste Bihariensi Episcopum Varadinensem praefecerant [f]), clarissimis verbis eotum Supremis Comitibus competiisse docent.

§. 700.

Horum Auctoritas.

Auctoritatis, munerisque partes Vice-Comitibus propriae praecipue in eo continuo substiterunt, quod Moderatoris in gerendis, promovendisque negotiis publicis vices

---

a) 1486. 60.

b) Cit. 1504. 2.

c) 1548. 70. — 1723. 56.

d) 1729. 15.

e) Kovachich Syllog. Decret. T. 1. p. 16.

f) Primum prostat in Dipl. Collect. Széchény ex Authogr. Tabul. Aul. Secret. desumt. de A. 1395. — Alt edid. Pray Hyerarch. Hung. P. II. p. 150. ref. an. 1494. quorum omnium memin. Bolka op. paul. ant. cit. p. 123. et 124.

sustineant [a]), hoc ipso Magistratus reliquus eisdem parere teneatur. Quaecunque igitur e ratione praesidii vigilantiae, et inspectionis Supremum Comitem attinent, ea omnia, isto e Comitatus gremio absente aut impedito, vel fine celerioris effectus persaepe praesente etiam, Vice-Comes immediate exequitur. — Sunt quaedam praeterea per leges huic Officio speciatim delata, uti est reambulatio, seu revisio metarum [b]), restitutio in possessorium actu quodam violento ejectorum [c]), multaque alia, quae partim fine conservandi ordinis, tranquillitatisque eidem constanter adhaerent, partim ex occasione sive legum, seu supremae, superiorisque potestatis ordinatione comitti solent. Amplam denique Vice-Comitum in Judicialibus activitatem Jus privatum recenset. — Negotiorum inter Ordinarium, et Substitutum Vice-Comites partitionem usus receptus in singulis Comitatibus definit.

§. 701.

Officia Judicis Nobilium.

Utrum in Judicibus Megalibus, a Mega (Megye) sic compellatis, qui Regi, Comitatum visitanti, adjungebantur, et dissensiones populi discreto judicio dirimendas habuerant, vera sint — ut quibusdam placet — hodiernorum Judicum Nobilium exordia, alii discutiant *). Hac posteriori sub denominatione jam Decretis Sigismundi, Ladislai, Mathiae I. Uladislai II. frequentius comparent; quibus scilicet cavetur, ut in aditu officii juramentum praestent [d]); utque in singulis Comitatibus e bene possessionatis eligantur, judicio in actibus potentiariis absque dilatione ferendo intersint [e]), aliaque ut plurimum ad justitiae administrationem pertinentia.

*) Bilotos sive Bitochos regales in antiquis monumentis occurrentes, qui furtorum tantum, et latrociniorum discus-

a) 1578. 4.
b) 1635. 20. — 1802. 23.
c) 1802. 22. — 1807. 5.
d) 1435. 1. — 1486. 73. — 1492. 33.
e) 1454. 15.

sionem faciebant [a]), cum Judicibus Nobilium ejusdem fuisse instituti putabant Szegedy, Bél, Szaszky, et quibus horum opinionem amplecti visum est; at contrarium ostendit Kollár [b]), non enim, ut iste rite observat e Regestro Magno Varadinensi, ad quod laudati Scriptores potissimum respexerunt, vel uno exemplo doceri potest, Bilotos causas servientium regiorum, sive Nobilium unquam cognovisse.

§. 702.

Summarie recensentur.

Summa agendorum in quovis Comitatu pro uniuscujusque extensione pluribus, paucioribus ordinariis, et Vice-Judicibus Nobilium admensis, in determinationum publicarum, aut a Superioribus sibi commissorum executione consistit. In officio praeterea Judicis, nam et causas habuerunt suo Judicio tamquam primae Instantiae assignatas. Praeterea Vice-Comiti, hac in Sphaera versanti, tamquam Cojudices adlaterati sunt. A quo autem tempore Regii homines, a Mathia Corvino pro singulis Comitatibus eum in finem constituti [c]), aboliti fuerunt, cautumque fuit, ut Comes, aut Vice-Comes, et Judices Nobilium in ipsis Sedibus Judiciariis Judicia administrare, alias etiam executiones judiciales, sive commissiones facere teneantur [d]), ad integritatem ferendi in hoc tribunali Judicii praesentia Judicis Nobilium necessaria evaserat. Ad haec adde inquisitiones politicas, et judiciales ad publicam non minus, atque privatorum securitatem manutenendam, in exemplo: rei pupillaris, huic eveniente casu instantanee per Inventaria succurrendo; et quae sunt reliqua, hinc profluentia.

§. 703.

Agenda Jurassorum.

Ad ista, quae recensuimus, rite ac legitime prosequenda tamquam in Adjutorium constituti sunt Jurati

---

a) 1222. 5.
b) Hist. Jur. publ. Amoen. V. II. Sec. IV. C. V. p. 46. et seq.
c) 1486. 8.
d) 1492. 53.

Nobiles [a]), nunc voce, e Jurato Assessore contracta. Jurassores, a Vice-Comite, et Judicibus Nobilium ad causas suae Jurisdictionis judicandas, aliosque authenticos actus peragendos, quin in ipsis Comitatuum Sedibus Judiciariis cum suffragio praesentes; hos a Tabulae Judiciariae Assessoribus distingvi, nemo nostratium ignorat.

§. 704.

Notariorum.

Notariorum tam ordinarii, quam reliquorum Pronotariorum, sive Vicenotariorum Officium eo redit, ut Acta in publicis Conventibus, Sedibusque Judicariis perlegant; referant processus; conclusa, vel Sententias adnotent; inque publicum Protocollum redigant; expeditiones adornent; Acta petentibus post impetratum indultum sub fide authentica extradent; et Archivum Comitatus justum in ordinem redactum conservent, optimaque fide custodiant. Ad quod certius assequendum in plerisque Comitatibus Archivarius, in majoribus Regestrator quoque existit.

§. 705.

Fisci Comitatensis.

Est etiam suus singulis Comitatibus Fiscalis, imo et Vice-Fiscales unus, pluresve, qui causas publicas promovent; processus criminum reis dictatos erigunt; iisdemque nisi suos habeant Causidicos, ac defensores assistunt; pariter ac gremialibus incolis ad res suas, justasque quaerelas vindicandas, idoneis praesidiis destitutis, quod patrocinii beneficium praestabant pariter ex officio colonis, gravamina adversus Dominos terrestres ad Sedem Dominalem, vel Comitatuum deferentibus, donec videlicet nexus ille dissolutus non foret; inspiciunt, quomodo tractentur captivi. Invigilant in Congressibus publicis ne Regis, Coronaeve, ne Regni, vel Comitatus in specie, aut unius e Statibus juri libertatique quoddam praejudicium inferatur;

---

a) 1498. 15. §. 5. et 6. — 1518. 2. Bács. — 1593. 7. — 1596. 5. et aliae.

ne quis temere Nobilitatis praerogativa, et incompetenter uti ausit, caeteraque.

§. 706.

Perceptorum, et Exactoris.

Cassarum curam gerunt Perceptores generales, totidemque hinc, et illinc in districtibus, quot numero requiruntur, particulares, genere Nobiles, et ut major ab iis esset de fideli Administratione securitas, cassamque publicam indemnem praestandi facultas, etiam possessores [a]). Sunt hi, quod ex natura officii pronum est, imo et haeredes eorum rationibus reddendis obnoxii, qua in re, si moras nectant, ad id faciendum gravibus sub poenis imo detentione quoque personarum adigi possunt [b]), prout vicissim onus satisfactionis non haeredes, sed morosum Magistratum ferit, rationes a Perceptoribus confectas excipere negligentem [c]), quibus revidendis Exactor Comitatus occupatur.

§. 707.

Officiales, et Servitores Comitatuum.

Non carent denique Comitatus ultra enumeratos Magistratus, stabilibus suis Medicis, Chirurgis, Obstetricibus, Geometris, Castellanis, aliisque ad tuendam securitatem, aut annonam Militiae administrandam, quos Comissarios vocant, ad inspiciendum porro rei aedili, ripis fluminum, rei equariae, qui omnes tamen in Magistratu non continentur; provisi denique etiam sunt Servitoribus, Satellitibus, vigiliis, quorum quae esse possint, sintque agenda officii, aut servitii causa, ex ipsa significatione nominis intelligitur.

§. 708.

Magistratus Comitatensis a quo constituitur?

Qui in censum Magistratus veniunt, hos ex individuis,

a) Ex mente 1567. 7. collato cum 1471. 15. 1723. 56. §. 4.
b) 1554. 20. 1622. 65. 1647. 39. coll. cum 1715. 57. et 1723. 63. §. 8. et 9.
c) Cit. 1723. 63. §. 12.

per Moderatorem propositis. ipsa sibi delegit Universitas [a]) in regula omnes, nisi quod in plerisque Comitatibus exceptio vigeat relate ad Individua — si ita loqui fas est — notarialia, ubi eorum nominationem usus pervetustus Supremo Comiti attribuit. Obnoxiantur autem haec Officia novae electioni, seu vulgari nobis termino restaurationi, quam quovis triennio servare leges praecipiunt [b]). Quarum vigore electus sibi delatum munus invita Communitate recusare nequit sub poena 25 Marcarum, verum per annum integrum adminus illud sustinere obstringitur [c]), ad reassummendum tamen postea per quinquennium cogi non potest [d]).

§. 709.

De Restauratione ejusdem.

Restauratio observantiam longaevam, legibus innixam, si respicimus, ea ratione peragenda est: scilicit resignatis Sigillo, tum Archivi, et Cassae clavibus, sedibusque relictis, universus Magistratus Officio decedit; postea praemissa candidatione, singulorum delectus ex ordine suscipitur. Hinc ad officium Vice-Comitis cum priori minimum quatuor [e]), ad reliqua tria individua delectui sunt submittenda, qui vel acclamatione, vel si pluralitas votorum discerni nequeat, connumeratione deciditur. Jure suffragii hic Nobilis quilibet fruebatur hactenus, si vel in gremio Comitatus degit, vel bona tenet nobilitaria; erat namque insignis hujus activitatis scopus ille, ac finis, ut quivis ad morale corpus Statuum pertinens, suum ipse sibi sic eligat Judicem *). Peracta electione quivis, quem publica fidutia in subsellium quoddam collocavit, Jusjurandum, obtentae stationi respondens, palam nuncupare debet [f]).

---

a) 1723 56. §. 4. 1729. 15. §. 3.
b) Cit. 1723. 56. §. 2 — 1729. 15. §. 3.
c) 1435. 2. — 1492. 34. — 1559. 54.
d) n. c. 1435. 2. et 1492. 34.
e) Tot. Cit. 1723. 56. §. 2. — 1729. 15. §. 3.
f) 1435. 1. — 1486. 73. — 1492. 33. — 1723. 56. §. 4. coll. cum. 1548. 70. §. 1.

*) Quo igitur animo a partium studio, ac privatis finibus libero, quantaque cum gravitate, decentia, et religione isthic procedendum sit, res ipsa loquitur. Ut adeo indigni nomine hungarico merito habendi sint, qui factionibus, mercatu, vociferatione, aliisque tumultuariis, atque malesanis ausibus, et loci, et actus adeo solennis profanatione, violationeque se se contaminare nostris proh dolor! diebus non vererentur, non erubescerent, quamvis adversus similes excessus poenae per leges dictatae non desint, quae si cum rigore manutentae, et salutare in exemplum citra respectum ullum, vel conniventiam etiam inflictae fuissent, flamma, dum hic, et illic erumpere coeperat, tempestive supressa, non contulisset magna sui parte ad propagandum, augendumque exitiale illud incendium, cujus amaras sequelas universum Regnum persentiscit.

Caput VI.

De Administratione negotiorum in L. R. Civitatibus, atque reliquis Jurisdictionibus.

§. 710.

Regimen Civitatum.

Habet una quaeque Civitas, ut praemiseram, proprium Magistratum; ejus pars una est Senatus interior, constans Judice, Consule, Capitaneo, et Senatoribus, quorum numerus viribus, amplitudini, necessitatique singularum respondet. Princeps hujus Senatus Judex, alibi Consul, ille justitiae administrandae, iste negotiis politicis, et oeconomicis praeest, Capitaneus vero securitatem Civitatis internam procurat. Notariorum Civicorum functiones fere congruunt agendis Notariorum Comitatus, nam, ut constat, sua habent Civitates Protocolla, quo Senatus conclusa inferuntur, Archivum item, ac Sigillum, quod intuitu actorum, negotia Civium respicientium, vim habet Sigilli authentici. Partem alteram, sive Senatum exteriorem, Praeside Tribunoplebis Communitas, e quavis Civium classe delecta, constituit.

§ 711.

Hujus forma.

Civilis hinc regiminis forma quae sit, facile adparet;

residet illud quidem in collegio Senatus interioris, sed Communitatis electae sive consilio, sive consensu temperatum; cujus utpote sententia persaepe, quin in oeconomicis annutus quoque necessario requiritur. Ut enim proprium subjectum Jurium Civitati competentium ipsa est integra omnium Civium Communitas; ita Magistratus uterque in Collegio Virorum consistit, sub auctoritatis regiae aegide delectorum, qui rem communem Civitatis ad normam legum, privilegiorum, particularium Statutorum, et Ordinationum regiarum perficiunt.

§. 712.

Modusque.

Interim modus iste administrationis internae quantumvis ad popularem magis ex ipso Civitatum instituto accedat, ad incommoda tamen individualis suffragii singillativorum promiscue Civium evitanda, uniformi complurium Seculorum usu jus electionis Magistratus in Civitatibus penes electos Cives est, quibus per regium indultum, ante paucos annos concessum, pro ratione majoris, minorisque numeri, alios quoque ad solennem eum actum, suo suffragio augendum, aggregare.

§. 713.

Civicum Magistratum restaurandi.

Electionem interventu supremae auctoritatis fieri innuebam; restauratur enim Magistratus annue, aut quovis biennio, vel triennio pro more plerumque ex ipso elibertationis Privilegio desumto, impetratoque eatenus speciali indultu regio; et si ita regiae Majestati videtur, Commissario regio interveniente, ad quem jus pro officiis candidandi pertinet; quod secus Senatui relictum habetur. E numero itaque propositorum Consul, Judex, Capitaneus, prima utpote in Magistratu Officia tenentes, nec non Tribunus plebis, tum Officiales reliqui periodicae subjacent Restaurationi; non item Senatores, atque electi Cives, quorum munus stabile est. Actus vero Restaurationis, semper regia insuper indiget confirmatione.

§. 714.

Objecta administrationis civilis.

Objecta, quae praeter modo explicatam munerum civicorum restaurationem, nec non ablegatorum electionem Magistratus et in parte electi Cives agendo, consultandoque definiunt, vel exequuntur, hic itidem alia sunt — quod quivis pervidet facile — politica, alia oeconomica, et alia juridica. Politica quidem, praesertim si gravioris sint indaginis, nec non oeconomica promiscue uterque Senatus, collatis inter se consiliis; Juridica Judex cum Assessoribus ex interiori Senatu pertractat.

§. 715.

In specie politica, et oeconomica.

Negotiis politicis, et in parte oeconomicis adnumeranda est Politia Civitatis, omni sui parte accepta, adeoque et procuratio nunditiei, ordinisque nundinarii, cura salubritatis publicae, inspectio directiva ludorum trivialium, Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, Theatrorum, Aedium, Structurarumque publicarum. Dein Jus largiendae Concivilitatis, Fornicis, Quaesturae. Administratio proventuum quorumvis e bonis nempe, vel regalibus beneficiis Civitati propriis, aut ex annuis Symbolis per Cives, incolasque pendendis, promanantium. Administratio item, atque cura Cassarum, reique tributariae, in qua, inter Cives partienda, a Comitatibus Civitates minime pendent. Cunctis his denique, atque caeteris rite expediendis, in adjutorium praesto sunt Fiscales, Praefectus Urbarii, Vice-Capitaneus, Cassae contributionalis, oeconomicae, domesticae, seu cameraticae Perceptores, Camerarii, et Subcamerarii, Orphanale Officium, aliique Officiales, et Servitores; suprema tamen Inspectio, ac directio omnis administrationis penes regiam Majestatem fuerat.

§. 716.

De Administratione negotiorum in Districtibus.

Vix supermanet quod ultra de administratione publica

in Districtibus, oppidis majoribus, locis denique ruralibus proferam; hanc enim materiam in superioribus, cum de illis Communitatibus disserebam, utcunque occupavi, vel certe ex annalogia eorum, quae de Jurisdictionibus publicis, modoque, in Comitatibus, liberisque Civitatibus circa negotia pertractanda usitato fusius explicuimus, quivis facile divinabit; ut adeo superfluum foret, repetere talia, quae caeteroquin aut antecedenter hanc in rem dicta sunt, aut per se inclarescunt. Id unum simpliciter reticere nolim, ultimis Comitiis legalibus in electione Magistratuum, quos antea Regni Palatinus nominabat, deinceps popularem electionem esse substitutam, ordinatumque, hanc patule fore peragendam.

Caput VII.

De Institutis Oeconomicis.

§. 717.

Origo Camerae Regiae.

Aerarium Regium, universaque proventuum publicorum Administratio, in primordiis Tavernicorum Regalium Magistro concredita fuisse videtur (236), postea distincto Thesaurario Regio *). Constituebatur hic olim plerumque e Statu Praelatorum, donec videlicet Viennensi Pacificatione conventum est, ut Thesaurarius non esset nisi natus Hungarus, isque Secularis [a]). E re autem communi existimabatur futurum, eidem adjutores addere, quorum consilio, atque opera in obeundis muneris sui partibus uteretur **), ex quo deinde evenit, ut Thesaurariatus formam induerit Dicasterii, cui Camerae Regiae Hungarico — Aulicae nomen inditum est; ejusdem Praeposito autem aliquamdiu Praefecti Camerae, serius Camerae Praesidis nomen adhaesit.

*) Post annum 1681. titulus Thesaurarii in desvetudinem abierat, usque annum prioris seculi octvagesimum tertium, a quo Dignitati Camerae Praesidis sic iterum conjunctus visitur, ut Vice-Praesidi postea una Vice-Thesaurarii regii daretur titulus.

---

a) 1606. 5. et aliis postea legibus.

**) Referebant nonnulli Cameralis Collegii incunabula ad annum 1609. propterea — reor — quia hoc anno Thesaurario Consiliarii adjungendi ordinantur [a]); at vero anno adhuc 1542. Comitia Camerae suae Regiae Majestatis, Cameraeque Praefecti mentionem faciunt [b]). Adest etiam Codex inter manuscripta Musei nationlis, continens Instructionem Praefecto huic, caeterisque Consiliariis Camerae Hungaricae, tum Posonii existentis, auctore Maximilano in 75 articulis praescriptam. Pretiosum sane antiquitatis domesticae fragmentum, quo veteri rei aerariali hungaricae insigne lumen affunditur. Consentio hinc Schvartnero [c]), dum Camerae Hungarico Aulicae initia Ferdinando I. tribuenda existimat, minime tamen in eo, quod Regem eundem ab aerario Fiscum: regios a Regni proventibus primo omnium separasse praetendat; nam huic sententiae, argumentis destitutae, usus refragatur continuus, quamquam non invitus assentior, primis Monarchiae seculis Regis aerarium, et publicum vix disjunctim exstitisse.

§. 718.

Recentior Constitutio.

Praeter Camerae Praesidem igitur, atque Vice-Praesidem Camera Regia, antequam eam dissolutam cerneremus, Consiliariis constabat, ad referendum, consiliandumque, dein pro expeditionibus, conceptibusque concinnandis, quos usitato more Secretarios, et Concipistas vocavimus. Praeterea Officinam rationariam, caeteraque officia, ac officiales ejus nominis, atque cathegoriae, quales ad Consilium Regium Locumtenentiale recensuimus; adhaec neque deest utique Tabularium amplum, sive Archivum, quibus Instrumenta litteraria, Fiscum Regium attinentia, eoque inferri solita, exstinctarum Familiarum cymelia asservantur.

§. 719.

Independentia ab aliis Dicasteriis.

Ad asserendam Camerae in munere suo gerendo independentiam hoc imprimis leges numerosae sanxerant, confirmaruntque, ut a nullo alio Dicasterio Ordines reci-

a) 1609. 21.
b) 1542. 16. et 43. Con. Poson. §. 5.
c) Statistik, P. III. p. 344.

piat, sed correspondeat solum cum Camera Aulica Viennensi [a]); quapropter Mandata Regia, quamvis via hujus ad illam dimissa, nonnisi in forma Rescripti penes regiam subscriptionem [b]) exarari comperimus.

§. 720.

Munus.

Praecipuorum Cameralium agendorum complexum ad normam datae per Regem Instructionis efficiunt: I. Procuratio Regiorum, publicorumve redituum, si solam demo contributionem, quam ratione paulo ante descripta pertractari exposui; Bonorum videlicet Cameralium tam Coronae, quam reliquorum Fiscalium, tum vacantium Ecclesiasticorum, et ab anno decurrentis seculi septimo, Montanisticorum etiam, deinde redituum e taxis, tricesimis, salinis, postis resultantium, non tamen metallicorum. II. Fidelis thesauri regii custodia, ac dispensatio; quam immediate exequitur Cassae Cameralis Praefectoratus. III. Superior vigilantia, tuitio, et vindicatio Jurium Regiorum Fiscalium. IV. Pertractatio eorum, quae ad Aerarii regii creditum referuntur. V. Constituitur demum sub ejusdem tutela Oeconomia Civitatum Regiarum, tamquam peculii regii, idque a Caroli III. temporibus; unde ad sopiendos hac ex parte defectus eidem Commissiones exmittere, non tamen sine praevio Suae Majestatis indultu, lege concessum [c]). Caeterum in rebus politicis, et judicialibus partes ejus nullae sunt [d]), praeterquam in causis contrabandae.

§. 721.

De reliquis Cameralium negotiorum Administris.

Satis, quae diximus, patefaciunt, debitam, ordinatamque redituum cameralium ex parte procurationem, et custodiam pluribus majoris sane momenti negotiis implicitam, variis Collegiis inferioribus, administris item opus habere.

---

a) 1608. 5. a. c. 1715. 18. — 1723. 16. — 1741. 14. pluresque leges anterior.
b) Cit. 1741. 14.
c) 1715. 36.
d) 1622. 25. — 1659. 46. — 1681. 37.

Provident itaque nominatim rem oeconomicam, ruralem, silvanalem, aliis forestalem, postalem, salinarem, tricesimalem Administrationes, et Praefecturae diversi generis, Officia Salinaria, eaque fodinalia, vel transportualia, et quae praeterea regalis hujus distractioni intendunt. Tricesimalia tandem superioris, inferiorisque ordinis, per universum Regnum vel maxime in limitibus consistentia. Rem vero Juridicam ad Causarum Regalium Directoratum, subordinatos Fiscales Regios, et Camerales spectare, assequi pronum est.

§. 722.

Ratione bonorum subest Camera Juri communi.

Ratione bonorum, quae curae atque administrationi Camerali credita sunt, idem Jus commune, eademque obtinent onera, quae caeterorum bona possidentium. Eapropter Fiscus regius in causis tam active per se, quam passive contra se movendis forum, ac processum ordinarium sequi tenetur [a]). Dispositiones concernentis politicae Jurisdictionis ad cameralia bona pariter extenduntur [b]); Officiales Camerales legibus Regni subsunt [c]), de quibus, atque his adfinibus in Jure privato exponitur diligentius.

§. 723.

Administratio Montana in Hungaria inferiori.

Camera in re montana, et monetaria utcunque originem ducit a Principibus Augustae Domus, exemplo tamen veterum Hungariae Regum; jam enim Caroli I., ac superiorum etiam sub epochis Praefectus monetalis Cremniczii domicilium habebat, iisque praefuerat, qui proventus regios e secturis colligebant, et in pecunia conflanda operam navarunt, Comes nempe Camerarum, hodie nomine, a Teutonis mutuato, Supremus Camergraphius*): Collegium autem, cui praeest, quodque Schemniczii residet, e pluribus in re montana Consiliariis con-

a) 1741. 23.
b) 1723. 63. §. 7.
c) 1715. 44.

stans, Supremi Camergraphiatus Officium inferioris Hungariae nomen tulit. Sub hujus directione constituuntur binae inferiores Camerae Cremniczii una, altera Neosolii, et complures insuper montium, fodinarum, silvarum, reique oeconomicae, juridicae, ac monetalis Munia, et Magisteria.

*) Hunc Reges nostri una perpetuum Delegatum regium, seu Commissarium septem montanarum Civitatum inferioris Hungariae esse voluerunt, quod eas privilegiis, et immunitatibus donatas, propterea, ut se hoc certius, ac securius Fodinarum culturae impendant, peculiari quoque tutamine complecti voluerint.

§. 724.

In Hungaria reliqua.

Quam auctoritatem, aut quae agenda hoc rei montanisticae Collegium per inferiorem Hungariam sustinet, iisdem pollet in Hungaria superiori Inspectoratus Szomolnokiensis, et Nagy Bányensis; in regione vero, quam Banatum dixere, Directio Montana Oraviczensis, ubi ad normam fere Camergraphiatus Schemnicziensis, rei montanae dirigendae Assessores, suis cum Praefectis, vel Directoribus praesto sunt. Universae autem hac Administrationes in monetariis, et metallurgicis medio Camerae Aulicae Viennensis directe ordines suos recipiunt. Judicia Montanistica inferius attingentur.

§. 725.

De agendis eo pertinentibus.

Horum Institutorum scopus, munia et officia qualia sint, ex ipsa illorum explicatione jam inclarescit: I. Curare scilicet diligentissime omnia, quae pertinent ad fodinas, et administrationem Bonorum Montano-Cameralium. II. In ordine continere operas non regias solum cujusvis cathegoriae, sed etiam privatorum metallicorum, horumque societates, atque eorundem lites consopire. III. Advigilare rei fusoriae, cusoriae, incisoriae, omnique Monetarum fabricationi. IV. Recipere, ac judicare causas, quae a caeteris minoribus Tribunalibus, ac Civitatibus, Oppidisque Montanis eo deferuntur.

Caput VIII.

De ratione administrandi Justitiam.

§. 726.

Vetus Justitiae administrandae ratio.

Circa administrandam justitiam Principi potestatem supremam in Hungaria semper fuisse propriam, videor mihi in anterioribus sufficienter comprobasse. Mos vero, et ratio Judiciorum, ne ad Ducum tempora, dum Gylas, et Carchan Judicum vices obibant [a]), redeam, eadem fere primis sub Regibus isthic, quae Seculis illis reliquae Europae erat. Fiebant citationes ad exemplum Boicorum Institutorum [b]) per missionem Sigilli regalis, aut alterius secularis vel ecclesiastici Judicis, quod e Ladislai, et Colomanni Decretis colligimus [c]). Perficiebant istam provinciam Praecones, quorum antesignani Comites, vel Archi-Praecones. Definiebantur lites retrusis Monarchiae temporibus, in Regis Curia, cui aliquando Praesentiae Regiae, et Regalis Consistorii nomen, Regemque ipsum Praesidem venerabatur; Palatino, ac Comite Curiali praecipuas in hoc Judicio partes habente [d]). Ne tamen litigantes Regis domicilium persaepe non exiguis cum molestiis adire cogerentur, e lege Colomanni bis quotannis in singulis Episcopatibus Comites Parochianos cum caeteris Magistratibus ad dirimendas causas convenire oportuit [e]). Quandoque Rex ipse hunc in finem Regnum obibat [f]). Praeterea Comites, et Vice Comites, Judicesque Nobilium in prima, quod ajunt, Instantia causas ventilasse, sat antiqua testimonia produnt [g]). Judicia vero ecclesiastica apud nos Regno ipsi coaeva, primae leges nostrae sufficienter demonstrant [h]).

---

a) Constant. Porphyrog. Op. cit. C. 40.

b) Vid. Capitularia Francor. ap. Baluzium.

c) S. Ladisl. L. I. C. XLII. L. III. C. III. et XXV. item Colom. D. L. I. C. V. VI. et XIV.

d) S. Lad. D. L. I. C. III. Conf. Bartal Op. et. loc. cit. p. 317. et. seq.

e) Colom. L. I. C. II. et. VII. usque 13, 23., 24. et 64.

f) Eod. Dec. C. 37. et 1222. 1.

g) Conf. Palma Not. Rer. Hung. Ed. 3. T. 1. p. 136. et seq. item Pray. loc. paul ant. cit.

h) S. Steph. D. L II. C. 2. 3. et 12. S. Lad. L. I. C. I. et IV.

§. 727.

Foraque olim.

Supra recensitis pedetentim accessere Judicia Palatinalia (222) hiberno tempore celebrari vetita [a]). Obtinebant deinde trinae forenses Proclamationes. ac proclamatae Congregationes, quas Sigismundus ad praevertendas, vindicandasque violentas occupationes introduxerat [b]). Haec tamen Judicia per Mathiam Corvinum, atque Uladislaum II. fuere abrogata [c]). Postea Octavalia, indito eis nomine ab octavo Festorum die, qua initium sumebant, in codice domestico admodum frequenter recurrunt. Porro Protonotarialia, nam Magistri quoque Protonarii, quos dein lites in Curia Regia retulisse non ignoramus, quoad certa causarum genera ad tempora usque Caroli Caesaris, hoc nomine VI. [d]), in diversis regni partibus Judicia faciebant. Concedebatur insuper specialis Judicii exercendi potestas, Privilegio mediante a divis Regibus liberis Majoribus, ac perpetuis Comitibus, liberis item villis, ac postea Civitatibus Regiis, Districtibus, Oppidis privilegiatis, ac terrestribus Dominiis.

§. 728.

Ac Judicia varia.

Vigebant adhuc in causis dubiis Judicium Duelli, a Regno condito ad Uladislai II. tempora [e]), licet jam et hujus Antecessor illud duntaxat ad Curiam militarem. atque eas solum causas restrinxerit, ubi secus omnis deficeret probatio [f]). Nec non, mutuatis itidem e vicinia exemplis. Judicia Ordalia, sive ferri candentis. et aquae bullientis, quae prohibuit Colomannus alibi, quam in Sedibus Episcopalibus, majoribusque Praeposituris celebrari [g]). Haec de priscis Foris, ac Tribunalibus, quorum

a) Vid. Pray op. paul. ant. cit. p. 69.
b) 1435. 4. et 5.
c) 1486. 1. 2. et 17. — 1492. 35. 36. et 38.
d) 1723. 72.
e) 1492. 37.
f) 1486. 18.
g) D. L. I. C. XXII.

initia, vitamque, et quas per diversa tempora vicissitudines habuerunt, explorare enucleatius — quamquam non injucundum modo, verum perutilis ad Patriae legum, veterumque documentorum intelligentiam labor evaderet — tamen non ultra, quam ad thema propositum necesse videbatur, mihi ingrediendum existimavi *), quando illud ab aliis egregie praestitum reperio, et magis expedit exponere statum Judiciorum, maxima sui parte Caroli VI. providentiae in acceptis referendum, quae jam ordine enumerabimus.

*) Illustrarunt antiquitatis hungaricae partem hanc viri de eadem immortaliter meriti: Mathias Belius, tum Pray, Palma, Kovachich, Kelemen, Bartal pluribus suorum operum locis, ad quos proinde illos, qui Fororum varietatem, et Judicia olim in Hungaria usitata amplius prosequi cupiunt, tute remitto.

§. 729.

Curia Regia.

Eminet inter haec Curia Regia, quae vetustum hoc cognomentum, quamvis ad fixa Dicasteria exacta, aliam postea formam induerit *), deinceps etiam retinuit [a]), e duobus, cum erigeretur, Tribunalibus, Tabula quippe Septemvirali, ac Regia conflatis, et sic ad se invicem junctis, ut ab origine sua et Referentes, atque Tabularium commune haberent, in gravioribus negotiis extrajudicialibus, cum exempli causa opinio Regiae Majestati depromenda foret, in unum considerent, Mandata pariter, utramque in complexu attinentia, ad Curiam Regiam in complexu sumtam dirigerentur, et Sententiae utriusque Tribunalis e Cancellaria sic dicta minore, apud Regiae Tabulae Praesidem, quem hic brevitatis ergo cum aliis Personalem tantum nomino, regio et nomine, et judiciali sub sigillo expedirentur.

*) Olim praeter Judices Regni ordinarios, eorundemque vices gerentes, ac Protonotarios reliqui Judices pro tempore variabant, saepe in ipsis Comitiis pro omnium notitia condito articulo designabantur; quod nobis Decreta Ferdinandi,

---

a) Conf. Bartal op. et loc. cit.

Maximiliani, et sequentium Regum affatim ostendunt. Ex his vero alii ad Judicium primae Instantiae, Forumque illud Octavale, alii appellationibus interveniebant.

§. 730.

E Tabula Septemvirali.

Princeps, ac Superrevisorium Forum, seu Tabula Septemviralis cognomentum istud inde accepit, ut vulgo, nec sine probabilitate creditur, quod vel septem praecipuae dignitatis Viri Curiam Regiam, ut Judices ingrederentur, vel quia tot ad Judicium fuissent necessarii. Quid quid rei subsit, retentum fuit postea etiam, quum numerus adsidentium auctus est, nam hos etiam aetas nostra Septemviros compellat. Praesidet hic Palatinus Regni, una Locumtenens Regius [a]), hoc absente ex lege Judex Curiae Regiae [b]), qui si ipse desit, alter e Baronibus Regni, verum jam peculiari Decreto per Regiam Majestatem hac auctoritate muniendus.

§. 731.

Velut Supremo Justitiae Tribunali.

Membra illi, praeter Palatinum, viginti unum: nempe Antistites quinque, quos inter Primas Regni, et continua consvetudine Archi-Episcopus Colocensis; e Baronibus Regni, et Magnatibus septem; et novem ex Equestri Nobilium ordine. Ut valida sit sententia minimum undecim cum Praeside Judices lex requirit [c]). His forte deficientibus, integrum est Praesidibus utriusque Tabulae pro criminalibus, divortialibus, et fiscalibus causis extraneos ad complendum Judicium adsciscere, quorum tamen numerus provida dispositione ad duo Individua restrictus habetur. Supremum Justitiae Tribunal de iis duntaxat judicat, quae ordinaria Appellationis via ad illud devolvuntur, unde jam nulla est provocatio [d]).

---

a) 1723. 24.

b) Ejusd. Art. §. 4.

c) Cit. 1723. 24. §. 3.

d) 1791. 12.

§. 732.

Et Tabula Regia Judiciaria coaluit.

Tabula Regia Judiciaria locum a Septemviratu proximum occupat, cui Personalis Praesentiae Regiae in judiciis Locumtenens praesidet, adsident vero Judices sequentes: bini Praelati, totidem Tabulae Barones, et Vices gerentes Palatini, et Judicis Curiae, Protonotarii quatuor, Assessores Archiepiscopales duo, Regii reliqui. Intervenit adhuc, cum processus indolis Montanisticae referuntur, proprius Referens, deinde Director Causarum Regalium, absens tamen, dum ad Fiscum Regium attinentes revidentur. Non desunt praeterea, sicut in aliis quoque Judiciariis Collegiis minoris cathegoriae Protocollis, Expeditionibus, Scripturis reliquis perficiendis destinati; Juventuti quoque, Jurejurando obstrictae, nempe Juratorum Notariorum agmen, praxis hauriendae gratia aditus ad Consessus utriusque Tabulae patet, cui etiam functiones nonnullae judiciales minores, ut sunt: examina testium, citationes, admonitiones, et aliae similes obtingunt; tres denique Advocati, annuo stipendio ex Aerario Regio provisi, egenis, ad Curiam Regiam causam habentibus, patrocinantur.

*) Adhaesit ei nomen Locumtenentis, quia, ut sub Mathia Corvino [a]) et Vladislao II. [b]) constitutum reperio, in absentia Secretarii Cancellarii in locum istius judiciale Sigillum regium eidem tenendum concredebatur.

§. 733.

Accessit Forum Appellatorium cambiale.

Accrevit istud Curiae Regiae, quum anno decurrentis Seculi quadragesimo negotiis Cambio Mercantilibus comitiales sanctiones codicem, foraque propria ad lites ejus nominis dirimendas pro Hungaria, et partibus adnexis valitura constituerunt [c]). Ab eo itaque tempore Appellatorium hocce Tribunal Sectionem Curiae Regiae illa tamen ratione constituere decretum est, ut Praeside atque sex nu-

---

a) 1486. 68.
b) 1492. 42.
c) 1840. 15.

mero Assessoribus, a reliquis Tabulae Regiae commembris distinctis, constet, quorum quinque ad integritatem Judicii requiruntur. Huc, si Fluminense primae Instantiae Forum demas, unde Appellationes ad homonymum Gubernium maritimum fieri lege praescribitur, a reliquis hujus cathegoriae omnibus causae fine revisionis perveniunt; Superrevisio nihilominus ad Tabulam Septemviralem pertinet, auctam eapropter membris duobus, e Civitatibus, vel districtibus deligendis, qui speciali in Consessu, computato Praeside adminimum septem Individuis praesentibus, simul Referentes agunt.

§. 734.

Tabulae Regiae in Judicialibus provincia.

Causae in Tabula Regia tractari solitae, sed a Cambialibus diversae, aliae dicuntur tabulares ex eo, quod in his sit Forum primae instantiae; aliae ab inferioribus Judiciis appellatae, et illic revidendae. Ad sententiam pronunciandam novem minimum Judicibus constare debet [a]), iisque ordinariis — substitutio enim ad civiles lites judicandas locum non habet. Ad accelerandum juris cursum, praeter alia, hoc scopo salubriter determinata, admissum fuit causas occurrentes, tabularibus demtis, in duobus Senatibus assumere [b]). Jus substituendi, ut in Tabula Septemvirali, Praesidi competit. Referentes ad utramque Tabulam antea Protonotarii soli fuere, auctis agendis, quatuor insuper Assessores huic muneri adplicare visum fuit [c]).

§. 735.

Tabula Banalis.

Banalem Tabulam Praeside Bano, aut ejus Locumtenente — si diutius absit — compositam ex Praelato, Vice-Bano, Protonotario, Magnatibus, et Nobilibus confirmavit

---

a) 1723. 25.
b) 1807. 9. — 1836. 45.
c) 1792. 16.

Carolus IV. [a]). Ejus Jurisdictio ad Provincias, Bani Moderationi creditas, illiusque speciei causas pertinet, quales in Hungaria Tabula Regia decidit Olim ad hanc ab illa provocatum est; et inde ad Septemviralem [b]); postea ad istam directe [c]).

§. 736.

Tabulae Districtuales.

Judicatu Causarum, quas antea — ut memini — (727) Magistri Protonotarii in partibus cognoscebant, per Carolum VI. justis et gravibus de causis abrogato, successere his lege publica Tribunalia in quatuor Regni Districtibus, unde illis Tabularum Districtualium nomen: quibus eadem occasione modus, et juris dicendi limites, tempora quoque, ac Sedes [d]) Comitatus denique ipsi ad unam quamque designati habentur [e]). Judicant hae Causas antea Protonotariales [f]) intra ambitum sui Districtus emergentes, et quae ipsis recentioribus constitutionibus deferebantur [g]). Constant Praeside, et Assessoribus sex, vel pluribus quandoque, si Suae Majestati numerum augere placeat: habent singulae suum etiam Notarium, qui lites referat; ad Sententiam autem pronunciandam tres minimum Assessores Praesidi, aut ejus Vices gerenti adesse praescriptum fuit. Eadem est Tabulae Judiciariae in Croatia conditio, nisi quod ab ista ad Tabulam Banalem, indeque ad Septemviratum causae duducantur [h]).

§. 737.

Fora Cambialia I. Instantiae.

Alterius ordinis septem Fora districtualia, causas cam-

---

a) 1723. 27.

b) Art. nunc. cit.

c) 1807. 9.

d) 1723. 30.

e) 1723. 31. §. 1. — 4.

f) 1715. 28. — et cit. 1723. 30 et 34. §. 2.

g) Cit. 1723. 31. §. 7. et 8. — 1729. 44. — 1807. 9. §. 4. et 5.

h) 1729. 31.

biales in prima instantia dijudicatura, per universam Hungariam ante fere decennium erecta, collocataque intuemur *). Ex illis Pestini praeter Praesidem, ob assignatae regionis majorem extensionem, sex Judicibus constat, Juris, et Cambialium negotiorum gnaris, ad haec quatuor e coetu mercatorum, quos iste ad triennium deligit. Collegia reliqua individua solum quinque numerant. Assumuntur isthic imprimis lites ejusdem nominis, dein quae mercatores inter, et fabricantes vertuntur, dum productio librorum mercantilium desideratur, publico protocollo insertorum. Nonnullae aliae praeterea ibidem indicatae, ultra quas alterius generis processus assumere lex eadem vetat. Caetera explicite insuper constituta Jus privatum respiciunt [a]).

*) Pestini, Posonii, Sopronii, Corolostadii, Aradini, Debreczini, et Eperjesini, Fluminense et Tribunal Consulatus Maris ibidem confirmata sunt.

§. 738.

Judicia Comitatensia.

De Jurisdictione Comitatuum in genere quaedam superius attulimus. Fora autem in quovis Comitatu, ut succincte Kelemenius aliquando notabat [b]), tria diversa veniunt distingvenda; Sedis Judiciariae videlicet; — compendiose Sedriam dicimus, — Vice-Comitis dein, et Judicis Nobilium. Posterioribus pedaneorum cognomentum inde mansisse creditur, quod dum olim generalia Judicia in Comitatibus per Regem, Palatinum, aut huic substitutos quandoque super colle, hunc in finem conscenso, fierent, Vice-Comites, Judicesque Nobilium ad hujus pedem in prima instantia Jus dixerint. Sunt vero pedanei Judices in Civilibus causis duntaxat, non item criminalibus; Sedes Judiciaria vero, in utriusque causae species exporrecta, Jurisdictione gaudet, et nonnullas civiles in prima instantia, alias, quum a pedaneis adpellantur, habent decidendas.

---

a) De his vide cit. art. 15. 1840.

b) Op. cit. L. III. §. 743. p. 1326. et seq.

§. 739.

Sedes Judiciaria e quibus membris componitur?

Jam commemoraveram in sede Comitatuum Judiciaria Praesidium eminenter Supremum Comitem, isto vero absente, alterum Vice-Comitum ordinarie respicere (700). Intervenire praeterea nonnullos e Magistratu, nominatim Judices Nobilium, et horum adjunctos Jurassores, litem referente, ac manu sua sententiam Causae scribente Notario. Ultra istos advocantur Tabulae Judiciariae ejusdem Comitatus Assessores, quorum pariter superius mentio facta fuerat. Provocatio vero abinde ad Regiam, aut Banalem Tabulam est. Vice-Comes cum Judicem in causis ad suum Judicatum pertinentibus ex lege agit, Judicem Nobilium, et Jurassorem in collegium accipit; pari ratione Judex Nobilium sine Adjuncto Jurassore integrum Judicium non constituit, quae memini in Superioribus attigisse.

§. 740.

Judicia Urbana.

Inter primaevas liberarum villarum, ac postea Urbium libertates identidem recensui, exemtiones ab alieno Judicio; vetustioris non minus, quam recentioris originis Civitatibus cum ipsa elibertatione attributam, vigore cujus cives, et qui ad Jurisdictionem civicam referuntur, in causis tam civilibus, quam criminalibus, nisi lex eximat, Judicio proprii Magistratus parent. Propriis item quoad causas civiles Foris gaudent Appellatoriis, quo titulo aliae ad Tavernicorum Regalium Magistrum *); aliae ad Personalem Praesentiae Regiae Locumtenentem hactenus promovebantur, illo tamen cum discrimine, quod a Sede personalitia nulla ulterior appellatio suffragetur, a Sede tavernicali vero Causae antea etiam ad Tabulam Regiam, nunc ad Septemviralem tantum immediate transmittantur [a]). Utrobique assident: Tavernico quidem Vice-Tavernicorum Magister, Ablegatique Civitatum, erga Praesidis provocationem per suos exmissi:

[a]) 1807. 9. §. 3.

Personali proprio arbitrio delecti, periti, atque idonei Judices. Notari meretur adhuc in causis praecise civilibus penes confoederatas septem montanas civitates **) intermedium adhuc, antequam postrema revisio coram Personali locum habeat, a sententia sui Magistratus Forum appellatorium obtinere, quod ex singularum Ablegatis conflari solet.

*) Prostant in Corpore Juris peculiares articuli, his in specie Civitatibus praescripti, quos Joannes Thuz de Lak Tavernicorum Regalium Magister sub Mathia Corvino [a]) collegerat, quive postea privilegio Regum Uladislai II., et Rudolphi confirmati, auctique fuerunt.

**) Puta Cremniczium, Schemniczium, Neosolium, Bakabánya, Libetbánya, Bélabánya, et Ujbánya.

§. 741.

Montanistica.

In regionibus, locisque, in quibus Minerae coluntur, demtis causis, quae nullo modo conjunctae sunt cum rationibus, et cultura fodinali, criminalibusque, reliquae personales, ac reales montanisticae omnes propriae Jurisdictioni, montanis quippe Judiciis subjacent [b]). Ex istis alia sunt districtualia, quae nomen, numerumque a Districtibus acceperant, et his vel distinctus Judex Montanus districtualis praesidet, uti Schemniczii; vel quod in reliquis obtinet, ipse Collegii Praepositus. In Judiciis inferioribus, ac prioribus subordinatis jus dicunt Judices substituti Montium, interdum Silvarum Magistri. His quoque utrumque Curiae Regiae Tribunal Fora Appellatoria constituunt [c]).

§. 742.

Districtuum, aliorumque Locorum.

Apud Jazyges, et Cumanos Forum primae instantiae in causis civilibus sunt Senatus Locorum, Capitanei Di-

---

a) Conf. Alex. Horányi memor. Hung. T. III.

b) 1609. 29. — 1622. 33.

c) De Jud. Mont. legi meret. Faber Princ. Jur. Met. ed. II. C. 4. p. 176. et Jurjevich Just. Jur. Met. L. 4. C. 1. p. 175. et. seq.

strictuales, indeque Supremus Palatinalis Capitaneus, suis cum Considentibus totidem intermedia Fora Appellatoria constituunt; Supremum vero in Sede Palatinali — Palatino Praeside — consistit, ad quam suo ipse delectu Cojudices advocat, altioris plerumque Subsellii Viros. Oppida Hajdonicalia pariter primum Judicem in locali Magistratu, intermedium in districtuali Judicio habent, unde ad Fora superiora fit appellatio. In Provincia 16, Oppidorum Scepusii appellabatur a locali Magistratu ad Judicium Provinciale, dein relate ad causas civiles directe ad Sedem Personalitiam, et non ultra. In criminalibus vero Forum districtuale apud cunctos hosce Districtus primum agit Judicem, atque hinc itidem ad Palatinum a Jazygibus, et Cumanis; a reliquis ad Curiam Regiam procedit. — Nobiles Campi Turopolya a Magistratibus, qui eisdem pro primae Instantiae Judicio sunt, ad Sedem Judiciariam Comitatus Zagrabiensis deducuntur, postea ad Tabulam Banalem, Lites vero Praedialistarum civiles, Judicia Octavalia Praelatorum dirimunt *). — Privilegiatis Judiciis adhuc merito adnumeratur Forum Universitatis Regiae Academicum, quod in coercendis criminalibus delictis, si quae interveniant, occupatur. — Causas Communitatum, quarum complures e divorum Regum Privilegiis localia sua Judicia habuere, cum reliquis indiscriminatim partim coram proprio Magistratu, hoc deficiente, apud Judicem Nobilium, partim ad Sedem Judiciariam in prima instantia lex deinceps erigere ordinavit [a]). Idem, sublatis Sedibus Dominalibus, pro Communitatibus, quae isthic Judicia recipiebant, locum habet. De his quantumvis abolitis pauca Illustrationis gratia verba facere si ratio operis non exigeret, svaderet veritatis studium, a qua multi et devium, et nimium deflectendo, neque jam consepultis parcere potis sunt.

*) De his Judiciis informari uberius qui desiderant, opportune consulent Ignatium Frank, qui thema istud egregie omnino illustravit in principiis Juris civilis Hungarici T. II. Sup. I. p. 532 et seq.

---

a) 1848. 11.

§. 743.

Sedium Dominalium.

Colonorum itaque competens primae instantiae Forum, quod alibi Curia, nobis Sedes dominalis erat [a]), a dominis terrestribus hunc in finem suis sumtibus celebranda; cujus exordia, Jurisdictioni dominali conjuncta, Regno ipsi coaeva esse, nemo ambigebat hactenus; ejusdem vetustatem Bulla Aurea docet, quae vetat praedia Servientium discuti a Comitibus Parochianis [b]). Quid vero Juris exinde, atque obligationis Dominum terrestrem manserit Verbőczii tempore, idem pluribus explicuit [c]). Ad Judicium istud pertinuerant controversiae Colonorum quaevis, sive illae inter eos ipsos, sive adversus Colonum, qua in causam ab extraneo adtractum, sive demum e nexu subditelae inter Dominum Terrestrem, et Colonum verterentur; Consimili modo Causae quoque criminales, ubi Dominus per speciale privilegium Jure gladii gaudebat.

§. 744.

Cujus Forma.

Praesidebat autem Sedi Dominali vel in persona Dominus, vel illius Delegatus, quod tamen eo mutatum est [d]), ut non liceat unquam Domino Terrestri praesidere iis in causis, quae se inter, et Subditos vertuntur, neque illius Officiales agere Cojudices; verum Praesidium Assessori Comitatensi, omni partium studio in sensu legis experti, per se tamen deligendo, concredere debeat; additis binis Juris peritis, Judicis Juramento adstrictis. Accessit ex officio cum Jure suffragii Judex Nobilium suo cum Adjuncto simul instar testis publici, et authentici, praeterea Fiscus Comitatensis, ut Colonis suo pro munere assistat. Ibant hinc Causae civiles juxta, ac Urbariales primo ad Sedem Comitatus Judiciariam tum illae ad Fora Appellatoria, hae

---

a) De his cons. Car. Pfahler, Jus Georg. Sec. II. C. I. §. 29.
b) 1222. 5.
c) P. III. tt. 25 et 26.
d) 1836. 10.

ad Consilium Locumtenentiale Regium, atque dein pro ratione adjunctorum ad supremam quoque inspectionem regiam. Nec poterat Sedis Dominalis Sententia consententibus quantumvis colonis, quando de eorundem ad Dominum relatione agitur, citra ulteriorem revisionem unquam in effectum deduci.

§. 745.

A Forma reliquorum Fororum.

Perhibet genus istud Judicii magnam a Foris caeteris discrepantiam, quando et appellatio in causis Urbarialibus ad altius Forum semper, ac necessario locum habet, et Fiscus Colonis ex officio patrocinatur, et probae omnes nonnisi cum interventu Magistratus publici eruuntur, suamque fidedignitatem recipiunt. Unde objectio e generali illo principio desumta „neminem in causa propria Judicem esse posse“ ad privatum hocce, et patrimoniale Forum prorsus incongrue oggerebatur.

§. 746.

In favorem Colonorum divergebat.

Quis enim amabo si — quae praemisimus — in justam considerationem sumserit, non illico advertet: cuncta illa in favorem Colonorum sic fuisse constituta, ut videlicet alacriter, et cum minimo rei familiaris, temporisque dispendio, quid quid seu ad primam causae instructionem, sive ad uberiorem illustrationem, probationemque pertinet, id totum in loco domicilii, ac sumtibus dominalibus locum habeat, nil autem probarum per dominales homines, verum per Magistratum publicum legitime erutum assumatur, nil nisi hoc Censore agatur in Judicio; nil autem in executionem abire possit, nisi per sententiam Fori, et Dicasterii altioris. Nimirum sicut ex indole nexus haerilis provenerat, ut Domini Terrestres, quando Terras suas populosas reddiderunt, cum patrocinio primum una Judicium intuitu quaerelarum reservarent, quas Subditi nefors Domino suo haberent proponendas; ita vicissim supremae potestati pro summo suo universos tutandi munere sufficientia, et oppor-

tuna praesidia non deerant ad securitatem Colonorum ab omni arbitrio, et oppressione praeservandam.

§. 747.

Fora Fluminensia.

Causae Civiles in Urbe, Districtu, liberoque Portu Fluminensi degentium — Cambio mercantilibus, vel consulatus maris exceptis — novellari lege [a]) primum Judicem in locali Judicum, atque Rectorum Foro nancisuntur, unde ad Collegium Capitanei, hinc immediate ad Septemviralem Tabulam appellatio procedit; criminales vero, quae coram Sede illa Capitanei inchoandae sunt, revisionem altiorem utriusque Adpellatorii Fori pro indole cujusvis causae pertranseunt.

§. 748.

Fora Ecclesiastica.

Ecclesiasticis denique Judiciis [b]) Dioecesanus Episcopus, vel pro eo Vicarius praeest [c]). Collegium Judicum Consistorium audit, hinc fiunt Appellationes ad Sedem Metropolitanam, inde ad Regni Primatem, summum tandem Pontificem [d]), qui tamen Judicem in Regno, et Seniorem plerumque Episcopum delegare solet. Nam quaerelas extra Regnum Romam deferre sub poena capitis, et amissione beneficiorum interdictum est [e]). Obiter noto a Colocensi Archi-Episcopo nequaquam ad Primatiale Judicium, ast recte Romam provocationes fieri.

§. 749.

Judicia Delegata.

Nihil addam de judicandi activitate, quae e delega-

a) 1836. 19.

b) Legi meret. de his uber. Paul. Klosz Prax seu form. Proc. For. spir. Tyrnav. ed. — et impr. Mich. Szvorényi, et Ad. Brezanoczy. — Conf. etiam. Ig. Frank Op. sup. cit. p. 346.

c). 1638. 31.

d) 1471. 19. — 1492. 45. — 1498. 63.

e) Cit. 1471. 19.

tione Regia provenire solet, dum Judex legalis deficit; aut e legum praescripto Camerae Regiae Hungarico Aulicae, vel Regni Palatino est propria; de his enim mentio in superioribus facta est. Tantum adhuc Nundinalia Judicia memoro ad faciliorem ex ratione commercii administrationem Justitiae, quae Nundinarum sive annualium sive hebdomadalium tempore locum sortiuntur, et in certis huc se referentibus casibus summarie procedunt. Specialia huic Judiciorum generi lex minutatim promit.

Caput IX.

De Militaribus Institutis.

§. 750.

Administrationem Rei Militaris universae.

Restat ut de Administratione rei militaris, atque homonymis Institutis quaedam, sed pauca solum verba faciamus; nam de diversa regularis, et extraordinariae Militiae specie, de modo campestrem conductione, vel per statutionem supplendi, de populari conscriptione quali ratione, ac modo in effectum deducenda, de influxu demum politicorum Dicasteriorum, Magistratuum civilium, Regnique Jurisdictionum in dislocationem, intertentionem, provisionemque Militiae quaequae per leges praecauta, vel constituta usuveniunt, ea cuncta diversis una, ac opportunis locis per decursum operis interserta habentur.

§. 751.

Ordinare, ac praescribere Imperantis est.

Ab his reliqua vel stricte sunt militaria, vel Sphaeram disciplinarem feriunt, in quibus Miles a suis Praepositis immediate dependet; vel administrationem ipsius militaris status politicam, oeconomicam, juridicam attinent. Quibus quidem universim sanctiones, normamque Rex Hungariae — pro supremo Belliducis in hujus sui Regni copias imperio — (526) irrestricte praescribit, hancque potestatem sibi ex indole Constitutionis propriam quovis tempore vindicavit. In praesenti vero conjunctione Monarchiae coa-

dunatus e diversis ejusdem Regnis, ac Provinciis exercitus nonnisi uno eodemque gubernationis systemate regi, atque unius communis summi Principis ordinationibus relate ad omnem Rei militaris administrationem tam belli, quam pacis tempore subesse potest.

§. 752.

Instituta Militaria.

Ex norma itaque per summum Imperantem praescripta, princeps universae Rei Militaris dirigendae Dicasterium, summumque exercitus Caesareo Regii Tribunal Viennae ad latus residet Principis. Huic supremae Armorum Praefecturae per Regna, et Provincias Monarchiae collocatae subordinantur.

§. 753.

Summarie recensentur.

Dividuntur porro hic etiam agenda in plures ramos vulgo Departamenta, Militare scilicet districtim tale; tum politicum, oeconomicum, annonarium, ac juridicum; quibus fere omnibus, suis Praepositis instructis, subordinata in Partibus Collegia, atque Individua parent; ut in specie campestres bellici Commissarii, tum rei annonariae curandae Praefecti, Justitiarii sive Auditores; Superiores et Castrenses ecclesiastici, Medici, Chirurgique stabales: Directiones Rei fortificatoriae, geometricae, tormentariae, aliaeque pro adjunctorum ratione complures. Praeterea Legionum, Divisionumque Praefecturae, et Commendantes, de quibus hic agere locus non est.

§. 754.

De Foris militaribus.

Ratio demum administrandae Justitiae in causis militaribus, ut illam quoque breviter attingamus, est partim penes singulas Legiones, partim apud Judicium delegatum; illic Supremus Vigiliarum, hic Supremus Armo-

rum Praefectus ordinarie praesidere solet. Utrobique ad Tribunal Appellationis, et ab hoc ad Supremum Consilium Aulae bellicum provocationes fiunt. Utut vero causae militum privatae, ac quaevis objecta, quae servitium, ac disciplinam militarem attinent, huic subsint judicio [a]), de Juribus attamen militis hungari possessionati nequaquam decidit: ista enim ordinariae civili Jurisdictioni reservantur [b]). Qua denique ratione pertractatio mobilis juxta, ac immobilis haereditatis decedentium militum locum sortiri debeat; quidve eatenus Jurisdictionem civilem, quid militarem concernat, lex novissima minutim definit [c]).

§. 755.

Nova Gubernationis Forma.

Systema administrationis publicae, et Instituta huic per Hungariam, Partesque adnexas destinata, posteaquam suo me ordine explicuisse reputo, jam articulum postremorum Comitiorum tertium in nuce daturus sum, qui sublatis cum pristina gubernationis forma, ac modo regiis Dicasteriis Cancellaria, Consilio, Camera, propriam illis collegialem pertractationem in centralem — ita eam modo nominant — permutavit, eidemque Ministerium, responsioni obnoxium praeficiendum decrevit, activitate Regni Jurisdictionum deinceps etiam, atque ad ulteriorem usque legalem provisionem, norma quoque administrandae medio exstantium Tribunalium Justitiae tantisper intacte relictis.

§. 756.

Cum distincto Hungarico Ministerio.

Specifice autem provocato articulo constituta haec sunt: I. Potestatem executivam Regia Majestas, quando in Regno morabitur, in sensu legum medio distincti Ministerii Ipsa exclusive exerceat, absentis loco Regni Palatinus, quem in eventum ejus Persona aeque inviolabilis fit.

---

a) 1655. 7. — 1723. 11.

b) Ibid. conf. Kelemen Op. cit. L. III. §. 746.

c) 1830. 9. conf. 1741. 38. et 1764. 8.

Maneant tamen nominatio Praelatorum, Regni Baronum, nobilitatis, titulorum, ordinum collatio, et Jus adgratiandi regiae decisioni reservata. II. Mandata sive immediate regia, seu regio nomine vulganda, ut legitima sint, sine discrimine semper subscriptione indigent unius de gremio Ministrorum. III. Vel istam igitur ob causam praescriptum invenio, quemdam illorum, additis in adjutorium binis Status Consiliariis, continuo Regi coram adesse oportere IV. Constet Ministerium Praeside, et Commembris octo, negotiis Regni internis, et cum reliquis Monarchiae Ditionibus in nexu positis, rei item aerarialis, financialis, bellicae, commercialis, iis praeterea, quae ad Justitiam, gratiasque largiendas, quae tandem ad cultum, et litterariam institutionem referuntur dirigendis, ac procurandis. V. Praesidem Ministerii Regiae Majestati, extra Regnum commoranti, Palatinus, Ministros reliquos Praeses confirmandos proponat, Idem, utroque Priorum absente, Collegio praesideat, quod ille pro ratione agendorum convocabit.

§. 757.

Responsioni obnoxio.

Ministeriale Collegium, quoad ea, quae administrationis sibi creditae sphaeram contingunt, responsioni subjectum, una per legem obstringitur, reditus publicos, indeque supportandas erogationes diaetali corpori annue remonstrare, et de his, quorsum conversis, ratiocinium fine revisionis exhibere. Adhaec, dum alterutra duarum Tabularum postulaverit, non tantum ad praestandas dilucidationes Congressui praesens adesse, sed acta quoque officii subministrare. Erit vero Minister, vel ipsum in complexu Collegium in quaestionem vocandum ob laesam Regni integritatem, ob violatam Constitutionis, legum, vel proprietatis sanctimoniam, ob reditus publicos, bonaque status pessumdata, aut vetitos in fines conversa; si denique culpose vel legum effectum procurare negligat, vel antevertere intermittat, quae ad manutenendam securitatem publicam agere muneris sui, obligationisque fuissent; Casu simili eveniente, actionem adversus gravatum determinare incumbet Tabulae inferiori: Superiori Judices ex proprio

gremio deligere, denique ad Judicium ferendum duodeni Judices requiruntur.

§. 758.

Vix decreta interiit.

Reperiuntur adhuc nonnulla, praecedentibus adjecta, in exemplo erectio Status Consilii, ad proxima Comitia dilata; provisio de individuis abolitorum Dicasteriorum qua ratione, vel quo loco applicandis, et minoris momenti alia, isthic eo tutius dissimulanda, siquidem cuncta ex authoritate crebrofati articuli observanda, cum abolitis pari sorte, praecipitique passu suum repererint interitum.

Errata potiora in Tomo I.

Pag.	*Parag.*	*Linea.*	*Pro.*	*Legatur.*
5	§. VIII.	l. 5.	libere populi	liberi populi
„	§. VIII.	l. 23.	honorum	honorum,
„	§. IX.	l. 7.	undique	undique
7	§. XI.	l. 10.	contenderet	contenderat.
8	§. XIII.	in §. l. 10.	Tullius	Tullius [a]), et in §. XIV. dele [a])
9	§. XIV.	l. 27.	definitiam	definitam
15	§. XXVIII.	l. 10.	occurentes	occurrentes
18	§. XXXV.	l. 3.	a simili	simili
23	§. XLV.	l. 10.	quarum	quorum
	§. XLVI.	l. 3.	difficultatum	difficultatem
27	§. 3.	l. 7.	Morovam	Moravam
„	§. 3.	l. 9.	Cecils	Cetiis
„	§. 3.	l. 9.	Anysum	Anisum
28	§. 5.	l. 17.	et firmatis	et firmitas
34	§. 15.	l. 3.	efecta sit	facta sit
39	§. 20.	l. 2.	intia	initia
39	§. 20.	l. 14.	Belae	Bela
43	§. 22.	in nota l. 5. ab init.	quaeis	queis
48	§. 33.	l. 21.	ut	utut
102	§. 121.	in nota l. 12.	clendiis	clenodiis
106	§. 127.	in nota l. 1.	Profiteur	Profitetur
127	§. 163.	l. 13.	primaeve	primaevae
131	§. 171.	l. 9.	miti	mitti
153	§. 207.	l. 11.	Seckenbergii	Senkenbergii
183	§. 250.	l. 6.	praeter	praeterea
211	§. 304.	l. 9.	initum	initium

In Tomo II.

Pag.	*Parag.*	*Linea.*	*Pro.*	*Legatur.*
15	§. 339.	in nota lin. 2.	Analecta	Annal.
20	§. 349.	lin. 7. in §.	imperio	imperio,
63	§. 424.	l. 12.	obsequim	obsequium
67	§. 430.	In nota lin. 2.	alios	alias
74	§. 445.	lin. 13.	spartam	partem
80	§. 457.	l. 6.	existimationem	existimatione
89	§. 471.	l. 14.	ac decimam	ad decimam
109	§. 502.	l. 13.	instiutionisque	institutionisque
110	§. 503.	l. 10.	ad quod	quod
111	§. 506.	l. 4.	strictorii	strictiori
142	§. 561.	l. 14.	pecularia	peculiaria
178	§. 622.	l. 12.	violandae	violandi
182	§. 629.	l. 7.	vivis	viris
183	§. 631.	l. 14.	calamitatem,	calamitatem
206	§. 676.	l. 7.	definata	definita
209	§. 681.	l. 16.	nonstra	nostra
215	§. 693.	l. 6.	coaevam	coaevum.

Reliquos minoris momenti errores lector benevolus ipse facile corriget.

80

1-P. [illegible]


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 09 24 01 015 9